. ~~Aye~~ 1/3/0 . 18 November peter fitzske.

CHRISTIANI GRYPHII,

Rectoris olim apud Vratislauienſes Magdalenaei

APPARATVS

SIVE

DISSERTATIO ISAGOGICA

DE

SCRIPTORIBVS HISTORIAM SECVLI XVII ILLVSTRANTIBVS.



LIPSIAE,

APVD THOMAM FRITSCH,

M DCC X.

CONSPECTVS
DISSERTATIONIS ISAGOGICAE AD
HISTORIAM
SECVLI XVII.

Praeloquium.

§ 1 De libris hiſtoriam ſec. XVII ſcripturo neceſſariis p. 1
2 De aliis hiſtorici requiſitis 3
3 De peregrinatione 4
4 Inſtituti ratio & diſpoſitio 4

Caput I.

DE SCRIPTORIBVS HISTORIAE VNIVERSALIS.

§ 1 Difficultas hiſtoriae vniuerſalis ſcribendae 6
2 Deſcriptiones rerumpublicarum 8
3 Hiſtoriae vniuerſalis huius ſeculi ſcriptores 13
4 Mercurii ſemeſtrales & menſtrui 19
5 Collectores actorum publicorum 22
6 Compendia & tabulae chronologicae 23
7 Genealogiarum & teſſerarum gentilitiarum ſcriptores 28
8 Geographi 30
9 Miſcelli quidam ſcriptores 34

Caput II.

SCRIPTORES HISTORIAE GERMANICAE ET BOHEMICAE.

§ 1 Dicendorum ordo & ſcriptores iſagogici 36

§ 2 Praecognitorum quorundam, praecipue chorographiae ſcriptores 37
3 Scriptores genealogici & qui notitiam aularū dedere 42
4 Iuris publici doctores 44
5 Hiſtoriae ſec. XVII periodi 4 & ordo dicendorum 61
6 Hiſtorici huius ſeculi 63
7 Faſti hiſtorici 73
8 Vitae heroum germanicorum 75
9 Annales prouinciarum & vrbium 78
10 Acta publica, maxime in Collect. Londorp. & Diario Europ. non extantia 88
Periodo prima habentur acta
Controuerſiae Brunſuicenſis 90
Donawerthicae 91
de ſucceſſione Iuliacenſi, Cliv. & Mont. 92
tutela legitima inter Palatinos electorales & Neoburgicos 93
electoratu Palatino inter Freherum & Gewoldum 95
tumultu Francofurtano 96
ſucceſſione Grubenhagica 97
11 Acta publica Periodi II, nempe de
Motibus bohemicis 97
quibus adduntur:
Hoëi litigia 105
Vaticinia illius temporis 106
Acta monetaria 109
Electoratu a Palatino in Bauarum translato 111
Hamburgenſium libera in Albi nauigatione 113
Religionis libertate in S. R. I. 114
12 Acta eiusdem Periodi, de
Sueci irruptione in Germaniam 121
Clade Magdeburgica 123
Victoria Lipſienſi 125
Caede Wallenſteiniana 127
Pace Pragenſi, &c. ib.

§ 13 Scripta de pace Weſtphalica 130
14 De vaticiniis eo tempore editis 135
15 Scripta publica Periodi III de
Bremenſi controuerſia 138
electione imperatoris 139
vicariatu 141
iure coronandi regem Rom. 142
diſſidiis inter Suecos & Brandenb. 143
Erffurtenſium cum Moguntino lite ib.
bello Gallo-Germanico 145
Sueco-Germanico 149
Acta Periodi IV de
iure recuperatorio Gallorum 151
diſcordiis Hamburgenſibus 152
ſucceſſione Lauenburgica 153
Electoratu Colonienſi ib.
bello Gallico ib.
nono electoratu 155
ſucceſſione Mecklenburgica 156
variis euentibus ib.
monetae corruptione ib.
16 Epiſtolae 157
17 Oratores, poëtae & fabulae mileſiae 160
18 Pompae ſolennes & alia varia 167
19 Scriptores de Bohemia 169
Sileſia 173
Luſatia 175

Caput III.

DE HISPANIA ET LVSITANIA.

§ 1 Scriptores chorographici 177
2 Scriptores hiſtoriae Hiſp. vniuerſales 179
3 Scriptores genealogici 181
Annales 182
4 Hiſtorici, oratores & poëtae 188
5 Pompae ſolennes 193
6 Miſcella 196
7 Luſitanica 198

Caput IV.

G A L L I A.

§ 1 Praeloquium 206
2 Chorographiae ib.
3 Dignitates & iura publica 210
4 Genealogiarum ſcriptores 217
5 Hiſtorici vniuerſales 220
6 Regum ſingulorum hiſtoria 223
7 Vitae virorum illuſtrium & epiſtolae 233
8 Annales & topographiae 242
9 Acta publica ſ. ſchediaſmata praecipue de
Ancraeo ſ. Conchinio 249
Luinaeo 250
Richelio 252
Mazarino 254
motibus ciuilibus anni 1650 261
negotiis publicis poſtea inſecutis 261
10 Pompae & triumphi 264
11 Oratores, poëtae & ſatyrici 267
12 Epiſtolae 288
13 Miſcella 291
14 Scriptores de Lotharingia 293

Caput V.

MAGNA BRITANNIA ET HIBERNIA.

§ 1 Chorographia Angliae 296
2 Status politicus 306
3 Genealogiae 307
4 Hiſtoria vniuerſalis 308
5 Singulorum regum hiſtoria, nempe
Eliſabethae & Iacobi I 310
6 Caroli I 314
7 Cromwellii 324
8 Caroli II 325
9 Iacobi II 327
10 Guilielmi III 329
11 Vitae virorum illuſtrium 330
12 Acta publica ad Carolum I ſpectantia 331

§ 13 Caroli II Imperium concernentia 336
14 Tempore Iacobi II edita 346
15 Pompae ſolennes 354
16 Epiſtolae 356
17 Oratores, poëtae & fabulae mileſiae 358
18 Varia 361
19 Scriptores de rebus ſcoticis 363
20 hibernicis 365

Caput VI.

BELGIVM.

§ 1 Diſpoſitio 368
2 Chorographia vniuerſalis 368
3 Speciatim Belgii regii 369
4 foederati 372
5 Genealogiae 376
6 Ius belgicum 377
7 Hiſtorici vniuerſales & Periodi VI hiſt. belgicae 379
8 Hiſtorici Periodi I 380
Periodi II 382
Periodi III 383
Periodi IV 384
9 Periodi V 385
Periodi VI 387
10 Vitae illuſtrium virorum 387
11 Acta publica Periodi I 389
Periodi II 393
Periodi III 395
Periodi IV 397
12 Pompae ſolennes 401
13 Epiſtolae 403
14 Oratores & poëtae 403

Caput VII.

HELVETIA.

§ 1 Praefatio 409
2 Chorographiae 409
Hiſtorici 411
Acta 412

§ 3 De Rhaetia 413
Valeſia 414
Geneua 414

Caput IIX.

ITALIA.

§ 1 Prooemium 415
2 Chorographiae & itineraria 415
Genealogiae 419
Status politicus 419
Hiſtorici vniuerſales 420
3 Romae deſcriptio chorograph. & hiſtorica 422
notitia politica 424
conclauia Pontif. 425
vitae Pontificum 426
Cardinalium & alia 430
Vrbium ſtatus eccleſiaſtici deſcriptiones 432
4 De ducatu Mediolanenſi 437
regno Neapolitano 440
Sicilia 449
Sardinia 450
5 Reſpublica Veneta 451
6 Sabaudia & Pedemontium 468
7 Magnus Hetruriae ducatus 473
8 Reſpublica Genuenſis 474
9 Ducatus Mantuanus 476
10 Mutinenſis 477
11 Parmenſis ib.
12 Luccenſis reſpublica 478
13 Melita inſula 478
14 Pompae ſolennes 480
15 Epiſtolae 484
16 Oratores 489
Fabulae mileſiae 491
Poëtae 495
17 Muſeum phyſicum Boconis 502

Caput

Caput IX.

HVNGARIA CVM REGNIS ET PROVINCIIS VICINIS.

§ 1 Propoſitio 504
2 Tabulae geographicae & topographicae 504
3 Chorographi & hiſtorici 505
4 Ius hungaricum 508
5 Acta publica ib.
6 Oratores & poëtae 512
7 Varia 512
8 Prouinciae vicinae 513

Caput X.

POLONIA.

§ 1 Chorographia 514
2 Notitia politica ib.
3 Ius polonicum 518
4 Genealogiae 519
5 Hiſtoria 520
6 De Pruſſia 525
7 Acta publica 525
8 Oratores & poëtae 529

Caput XI.

DANIA.

§ 1 Chorographia 536
2 Notitia politica 538
3 Hiſtoria 539
4 Acta 541
5 Oratores 542
6 Poëtae 543

Caput XII.

SVECIA.

§ 1 Chorographia 547
2 Ius ſuecicum 548
3 Genealogiae 549
4 Hiſtotia ib.
5 Acta 552
6 Oratores 553
7 Poëtae 555

Caput XIII.

MOSCOVIA.

§ 1 Scriptorum de reliquis regnis paucitas 556
2 Primum eorum Imp. Moſcicum 556
3 Scriptores de eo 557

Caput XIV.

IMPERIVM TVRCICVM ET TARTARIA.

§ 1 Ordo dicendorum 561
2 Itineraria generalia ib.
3 ſpecialia 568
4 Notitia politica 572
5 Hiſtoria 575
6 De Tartaria 576

Caput XV.

PERSIA.

§ Itineraria 578

Caput XVI.

IMPERIVM MAGNI MOGOLIS, ET ALIA INDIAE, QVA AD ORIENTEM VERGIT, REGNA.

§ 1 Imperium Mogolis & reliquae prouinciae Indiae 581
2 Regnum Siamenſe 584
3 Reliqua Indiae regna 586

Caput XVII.

SERES ET IAPONIA.

§ 1 De Seribus 587
2 De Iaponia 590

Caput XIIX.

AFRICA.

§ 1 De Africa vniuerſa 591
2 Piratarum respublicae ib.
3 Imperium Maroccanum 592
4 Abyſſinia ib.
5 Regnum Congenſe & Angolenſe 593

Caput XIX.

AMERICA.

§ 1 Prooemium 594
2 America meridionalis ib.
3 ſeptentrionalis 598

Praeloquium.

PRAELOQVIVM.

§. I.

VAſtum hiſtoriae hujus ſeculi oceanum ingreſſuri, haud facile absque praeſidiis idoneis & neceſſariis, quae inter boni ſcriptores familiam ducunt, emergent. Hos igitur pro virili indicabimus, & ſimul breuiter admonebimus, quid hiſtoriae notitiam faciat. Equidem ſcriptores hic vtramque paginam faciunt, iique non vnius generis. Praeter enim hiſtoricos, quos *vniuerſales* vocant, & ſingularum gentium ac regionum particulares, mirifice hic quoque iuuant *annales (chronica* vulgo vocant) tum prouinciarum tum vrbium quoque, *compendia* itidem *hiſtorica* & *chronologica*, ſi cum iudicio conſcripta ſint, *atlantes* quos appellant, ſiue collectiones tabularum tum geographicarum, tum hydrographicarum, *chorographiae* & *topographiae*. Expedit praeterea perſcrutari *vitas* & *elogia illuſtrium virorum*, *commentarios* ab ipſis de rebus ſuis ſcriptos, *acta*, quae audiunt vulgo *publica*, *diſſertationes* de negotiis grauioris momenti, *epiſtolas* à proceribus ſcriptas, ſiue publico, ſiue privato nomine, *genealogias* & *ſtemmata familiarum* regiarum & illuſtrium, *notitias*

rerumpublicarum ſingularum, triumphos, pompas funebres, haſtiludia, quae ex hiſtoria ſuperiorum ſeculorum FRANC. MODIVS in duobus PANDECTARVM TRIVMPHALIVM voluminibus ex optimis ſcriptoribus magno cum iudicio collegit, dignus profecto, quem hoc nimis ſcribaci ſeculo non ii tantum, quibus manus & digiti pruriunt, ſed iudicio quoque pollentes viri imitarentur. Iuuabunt quoque libri de *teſſeris gentilitiis* ſiue arte heraldica confecti. Nec plane negligenda erunt *itineraria* & *diaria* ac *Mercurii*, vt paſſim audiunt, & narrationes ex nunciis hebdomadariis congeſtae: quamuis enim hi ipſi vtplurimum vanis auctoribus nitantur, poteſt tamen vir cordatus eos quoque in vſum ſuum convertere, cum Plinio teſte, *nullus liber tam malus ſit, ex quo non aliquid boni decerpas.* Quid quod nec ipſa *poemata*, ſi hiſtorica ſint, *ſatyras* & *fabulas Mileſias* ſive *Romanas* penitus reiecerim, cum ſaepiſſime, vt ſuo loco docebitur, *ſub fictis nominibus res verae adumbrentur*, notumque omnibus ſit, ſtatum Galliae, qualis ſub finem ſeculi ſuperioris erat, a IOH. BARCLAIO *in Argenide* ſcitiſſime delineatum fuiſſe. Et in eundem cenſum retulerim reſpublicas fictas, e. g. IANI NICII ERYTHRAEI *Eudemiam*, & alia ejus generis infra commemoranda. Proderit inſuper hiſtoriae exactioris & interioris cupido, non ſolum libros

libros typis expreſſos, ſed manu etiam ſcriptos inueſtigare, qui tamen cum plurimum in *archivis*, quae vocant, ſive apothecis librorum ſecretioribus tum principum, tum rerumpublicarum aſſerventur, facile perſpicimus, non cuivis eſſe hanc adire Corinthum.

§. II.

Praeter hoc librorum ſubſidium, neceſſe eſt, vt qui eo rite vti velit, variis rebus ſit inſtructus, ſine quibus oleum & operam perdet, & in tanta rerum copia ad inopiam redigetur. Iudicio igitur imprimis polleat neceſſe eſt, vt poſſit bonos à malis, futiles & ineptos à probis diſcernere. Praeterea linguarum non latinae tantum aut gallicae, ſed italicae, hiſpanicae & anglicae quoque notitia non carebit; " nimis enim „ meo quidem iudicio aberrant, qui putant, apud „ Anglos nihil aliud eximii, quam in theolo- „ gia aut forte philoſophia quaerendum eſſe. „ Oſtendemus ſane ſuo loco, illos hiſtoriam ſuae gentis, & eandem quidem vernaculo ſermone mirum in modum illuminaſſe. Immo in his noſtris quoque prouinciis, ſi eius rei facultas ſeſe offerat, linguae polonicae, hungaricae & bohemicae cognitio non parum nobis in hiſtoria illorum populorum lucis affundet. Immo ſi Africae & Aſiae gentium abdita penitus introire deſideres, non diſſuaſerim, ut aliquem linguae turcicae & arabicae uſum tibi compares. Ad ſummam, qui ſolius vernaculae

aut latinae linguae beneficio hiſtoriam ſeculi percipere geſtiunt, illi nimis ſero intelligent, quam multum a ſcopo aberrarint, quamque parum ſolidi in his linguis hactenus prodierit.

§. III.

Sed nondum iſta ſufficiunt. Si enim ultimam operi manum imponere cupias, *peregrinatio*, non quidem, vt vulgo fit, ſine iudicio, & quae opifices ſapiat, ſed cordata prudensque & qualem *Boeclerus* in perdocta diſſertatione *de Peregrinatione Germanici* delineavit, inſtituenda, & converſatio inſuper *virorum illuſtrium atque eruditorum* ambienda, ex qua una ſaepe horula plus diſcas, praeſertim quod ad *arcana aularum & rerumpublicarum* attinet, quam ſi integros dies inter libros & pluteos deſideas. Quod autem ad hanc rem mores venuſti ac lepidi mirifice proſint, animosque hominum nobis concilient, nemo opinor dubitavit, cui cor rite ſalit.

§. IV.

Et haec quidem generatim *de praeſidiis hiſtoriae* dicta ſunto. Nos vero, cum omnia haec lectoribus noſtris ſuppeditare vires & facultatem excedat, illo tantum, quod primo poſuimus loco, bonis nempe libris & eorum cognitione contenti erimus. Nec eſt, quod de MSS. codicibus multa hic exſpectent, cum noſtrum non ſit, ſanctiores procerum cancellos irrumpere,

nec

nec etiam, ſi tale quid in poteſtate noſtra foret, tutum eſſet, arcana regum ac principum evulgare. Indicabimus tamen ſubinde, quae vel ipſi adſpeximus, vel ab amicis in promtu eſſe accepimus, quaedam MSS. bona ſimul fide profeſſi, plerosque, quos hic citabimus, codices à nobis ipſis non tantum conſpectos, ſed etiam haud perfunctorie tractatos fuiſſe. Si tamen rariores, quorum copia nobis facta non fuit, laudabimus: fiet id fide eruditorum prudentumque virorum. Progredimur itaque bono cum DEO ad *ſcriptores* primum *hiſtoriae univerſalis*, quibus deinde ſuccedent, qui *germanicam*, *hiſpanicam*, *gallicam*, *anglicam*, *belgicam*, *helvetiam*, *italicam*, *hungaricam*, *bohemicam*, *polonicam*, *moſcicam*, *turcicam*, *perſicam*, & quae ſupereſt *Aſiae*, *Africae* atque *Americae hiſtoriam*, qua hujus ſeculi limitibus continetur, conſignarunt. Adiicietur ſub finem *gemina appendix*, quarum altera *ſcriptores eccleſiaſticae hiſtoriae*, altera *literariae* complectetur.

DISSERTATIONIS ISAGOGICAE AD HISTORIAM SECVLI XVII.

CAPVT I
DE
SCRIPTORIBVS HISTORIAE VNIVERSALIS.

§. I.

QVanti operis ſit, hiſtoriam vniuerſalem non plurium, ſed vnius tantum ſeculi componere, omniumque populorum res geſtas exponere, vt multi alii, ita imprimis BOECLERVS tum in *Muſaeo* pag. 10 ad 25 vsque, tum in egregia diſſertatione *de Vtilitate ex hiſtoriae vniuerſalis contextu capienda*, quae tum ſeorſim prodiit, tum etiam hiſtoriae vniuerſali Boeclerianae praefixa eſt, luculenter docuit. Placet tantummodo ex poſteriore hac diſſertatione, quae p. 181, 182, 183 leguntur, ſequentia proponere: "Fingamus, ſcribendam eſſe hiſtoriam vniuerſalem huius ſeculi ab initio nimirum vsque ad annum, quem ingreſſi ſumus, „quanto apparatu opus eſt? Collecta exſtant in „vna bibliotheca ad hoc ſeculum ſpectantia „omnia volumina hiſtorica, acta, itineraria, „relationes, nauigationes, monumenta variis linguis typisque europaeis vulgata, &

erit

erit haec ſane ampla & numeroſa ſatis libro-„ rum congeries, quamuis nonnullae nationes„ parce ſe adhibeant in ſuis rebus publicandis.„ Quanti in his omnibus hiatus, quam multa„ manca, mutila, alterius partis relatu defecta, „ diligentia exigua, iudicio nullo congeſta? qui„ non intelligunt, quod ſit hiſtoriam ſcribere,„ nimium ſibi eſſe ſubſidiorum credent: At„ prudentes vbique inuenient, quod deſidera-„ bunt, modo huc modo illuc oculos adiicient„ & interrogabunt, quis nobis fores huius aut„ illius archiui recludet? quis legatorum rela-„ tiones, negotiatorum commentarios, mini-„ ſtrorum literas, aularum ſecreta & conſulta-„ tiones nobiscum communicabit? Pudebit lo-„ qui, vbi haereas, pudebit tacere, vbi contextus„ rerum vocem poſtulat? cuiusque gentis iu-„ ra & mores accurate noſſe, quam non ſit res„ obuia, *Hortlederus monſtrauit in exteris germa-„ nica ſcribere volentibus*; nec eſt quod contin-„ gere non poſſit Germanis externa ſcribenti-„ bus. Interiora rerumpublicarum ſtatuum-„ que propoſita conſilia, molimina in numera-„ to eſſe debent. Geographiae emendatae peri-„ tia, rei nauticae militarisque, & mercatoriae„ intellectus itidem non abeſſe poteſt. Noti-„ tia ingeniorum animorumque, vel vt in popu-„ lo, vel vt in ſingulis; iudicium de actionibus,„ vel vt oſtenduntur, vel vt deſtinantur; proui-„ ſio ejus quod in ſummam aut quod ſeorſum„

„ conſequitur; examen veritatis inter ſtudia „ otiaque diuerſae ſectae, delectus alieni iudi„ dicii, vbi propria expediri non poteſt: ob„ ſeruatio inclinationis, temporum, mutatio„ nis rerum, diſcretio occaſionum, connexio „ momentorum: denique omnis prudentiae „ ciuilis in multam abditiſſimarum artium am„ plitudinem patens complexio, hic velut in v„ num conducitur accipiturque. „ Haec paullo fuſius ex *Boeclero* contra morem noſtrum adducere libuit, tum quia liber in paucorum eſt manibus, tum vt intelligant noſtri, quantae molis ſit hiſtoriam vniuerſalem & quidem iudicio adhibito, qualem prudentiae ciuilis magiſtri *pragmaticam* appellare ſolent, conſcribere, mirarique deſinant, cur tam pauci hoc ſeculo hunc in ſe laborem ſuſceperint.

§. II.

Antequam autem eos recenſeamus ſcriptores, qui vniuerſam ſeculi hiſtoriam vel diffuſe, vel per compendia digeſſerint, inquirendum eſt in eos, qui vniuerſam omnium rerumpublicarum, vt ſeculo iſto ſe habuerunt notitiam, vel vno vel pluribus complexi fuere voluminibus. Et hic quidem cymbalum iuuentutis me iuuene fuit LVCAS de LINDA Poruſſius in *Deſcriptione orbis & omnium eius rerumpublicarum*, ſaepius tum in Batauia, tum etiam in Germania noſtra recocta; verum non immerito

paſſim

paſſim in eo iudicium & ampliorem doctrinam, alicubi & meliorem gallicae italicaeque linguarum cognitionem deſiderat praeceptor noſter beatae memoriae IOH. ANDREAS BOSIVS in *generali Introductione in notitiam rerumpublicarum orbis vniuerſi* c. 4 § 8. p. m. 51. Praeceſſit Lucam de Linda *auctor gallicus*, qui ſe initialibus litteris appellat: *D. T. V. Y.* librumque edidit, cui titulus: *Les etats, empires, royaumes & principales du monde*, ſaepius Geneuae & alibi in folio & 4to recuſus, cuius vitulo vtplurimum arauit *de Linda.* E gallico deinde in latinum ſermonem eum transtulit, locupletavit & ſub titulo *Archontologiae coſmicae* ante plures annos edidit IOHANNES LVDOVICVS GOTHOFREDVS, de hiſtoria hujus ſeculi non male meritus, nobisque infra cum cura dicendus; germanicae inſuper conſuetudini traditus poſtea fuit, & a GEORGIO CHRISTOPHORO HAYNIO continuatus. Sed deſunt & huic & *Lindae*, quae ad noſtrorum temporum exactiorem faciunt cognitionem: adeoque optandum foret, vt promiſſis ſtetiſſet fautor noſter & patronus, Profeſſor Francofurtenſium excellentiſſimus, IOHANNES CHRISTOPHORVS BECMANNVS, qui cum ante hos nouem annos hic eſſet Vratislauiae, palam teſtabatur, ſibi animo ſedere, hoc ipſum Archontologiae coſmicae opus

acceſſionibus luculentis illuſtrare, & ad noſtra vsque tempora continuare, quae ſpes licet ſane huic labori par futurus vir celeberrimus, nunc tamen credo decollat, cum *hiſtoriae Anhaltinae* unice intentus, hanc ex animo curam dudum fortaſſis abiecerit. Penſabit interim hanc iacturam eiusdem *Hiſtoria orbis terrarum geographica & ciuilis*, bis aut ter ni fallor recuſa, inter meliores profecto argumenti huius libros numeranda. Prodierunt quoque apud *Elzevirios* medio hoc ſeculo exiguae molis libelli, celebrium quarumcunque *rerumpublicarum notitiam* exhibentes, quos paſſim non tantum in pera, ſed oculis quoque ferre posſunt hiſtoriae ac ciuilis prudentiae ſtudioſi. Verum fatendum eſt, inter paucas bonas, plurimas mediocres, non deeſſe etiam nullo cum iudicio congeſtas. Vnde memini, doctiſſimum BOSIVM ſaepius optaſſe, vt vir eruditus operi huic manum admoueret, meliores in vnum volumen congereret, & ex actis ac ſcriptoribus vltimorum temporum, exemplo *Ioannis de Laet*, qui in hoc ſtudio cum laude decurrit, ſupplementa adiungeret. Eiusdem, cum hi omnes vel ad ſuperius tantum ſeculum vel ad huius initia modo reſpicere videantur, inuenti fuere qui defectum reſarcire conarentur. Hos inter GEORGII HORNII *Orbis imperans & politicus*, vulgo adoleſcentibus commendatur: ſed vix eſt, vt iis tuto fidere poſſis, quanquam

Politico, vt audit, Orbi expurgando ampliſſimus OTTO MENCKENIVS, Imperanti vero IOACHIMVS FELLERVS manum admouerint. Solenne enim fuit *Hornio*, viro alioquin non indocto, eiusmodi libros ſine vlla diligentia (bey der taback=pfeiſſe) conſcribillare, & quicquid in buccam venerat effundere. Surrexit itaque circa annum ſeculi huius ſexageſimum octauum POPPINGIVS cuius tamen *Orbis illuſtratus* hos numeros non omnibus videtur expleuiſſe. De FVNCCII, Rectoris quondam Gorlicenſis, *Breviario*, vel *hiſtorica ad Orbis imperantis notitiam introductione*, melius fortaſſe ſenſerint cordati, quia pleraque Conringio debet. Caruit tamen vir bonus linguarum exterarum notitia, adeoque in hiſtoria gentium illarum non ſemel errauit, quod in belgicis quidem ipſi exprobravit auctor bibliothecae vniuerſalis IOH. CLERICVS. Ipſe CONRINGIVS in ſcholis priuatis auditoribus ſuis *notitiam rerumpublicarum totius orbis* propoſuit, & id quidem, vt ipſe fatetur, diuerſis temporibus; ceterum nihil horum calamo fuit ab ipſo conceptum, nihil etiam ad eundem auditoribus propoſitum, omnia ex tempore & ſolius memoriae, qua plurimum pollebat, beneficio diſſertata. Vnde tanto magis excanduit, quanto inconſultiore auſu PHILIPPVS ANDREAS OLDENBVRGERVS, in Geneuenſium illuſtri ſchola

Profeſſor, ex hoc muſtaceo laureolam captans, ſcholas iſtas ſub magnifico *Theſauri rerumpublicarum totius orbis* titulo *Geneuæ an. 1675 in 8* edidit. vid. ipſius Conringii *admonitio* eodem anno Helmſtadii in 4to diuulgata. Maximam vero ex hoc argumento laudem ſibi comparauit vir illuſtris *Samuel Puffendorffius*, cuius prior *Introductionis hiſtoricae in praecipuas Europae respublicas* tomus (nam poſterior aliorſum ſpectat,) tanto orbis eruditi applauſu, cum antea integram *diſſertationem de Pontifice romano* eiusque *iuribus* ſub nomine ficto *Baſilii Hypireti* emiſiſſet, exceptus fuit, vt mox ex vernacula noſtra in gallicam & deinde latinam quoque linguam transferretur a clariſſimo CRAMERO, notisque inſuper a IOHANNE PETRO LVDOVICO, hiſtoriarum Profeſſore in Fridericiana Halenſium academia, illuſtraretur. BERNARDVS deinde ZECCHIVS, qui potentisſimi Regis Polonorum nunc in ſanctiore conſiſtorio comes, tunc temporis conſiliarii Vinarienſis honore gaudebat, librum ſermone itidem vernaculo, ſub titulo: *Scenae europaeae*, & ficto LEVTHOLFFI A FRANCKENBERG nomine, chartis 8 paginarum in lucem emiſit, quem deinde longe auctiorem ſub *Fecialis europaei* nomine (Europäiſcher Herold) forma majore publicauit, melioribus certe huius argumenti ſcriptis annu-

annumerandus. Nec omittendi nobis ſunt FRATRES SAMMARTHANI, qui circa annum ſeculi 80 ſub titulo: *Etat* &c. *pleraſque regum ac principum orbis chriſtiani aulas* ita delinearunt, vt non tantum ipſorum regum, familiaeque regiae, ſed procerum quoque praecipuorum & legatorum ab illis, ac ad illos miſſorum nomina repraeſentarint, quamvis paſſim, quod Gallis ſolenne eſt, in germanicis, polonicis & aquilonaribus rebus errores non proletarii occurrant. (Sunt 4 volumina in 12 gallice ſcripta.) SAMVEL quoque CHAPPVZEAV *Gallus* anno ſeculi 67 & 69 *Europae*, qualis nunc eſt, *faciem* exhibuit, (ipſe *l'Europe viuante* vocat,) quae deinde ex gallica conſuetudine germanice quoque tradita fuit. Mentio quoque hic iniicienda eſt libelli germanici, *Ideae rerumpublicarum*, quae in 12 an. 1697 impreſſa fuit, ſatis enim in tanta brevitate accuratus eſt, licet alicvbi naevis ſuis, vt homines ſumus, non careat.

§. III.

Nunc accedimus ad ſcriptores hiſtoriae vniuerſalis, quorum quidem, quod in tanta auctorum copia mirari ſubit, pauciſſimi exſtant. Latine praeter THVANVM, qui vltimis hiſtoriae ſuae libris primum ſeculi ſeptennium complexus eſt, pauci aut nemo hoc vadum tentarunt. Cum tamen facem tanquam ex edita ſpecula praetuliſſet vir ſummus, lucem futuram

itineris ſane ancipitis iis, qui poſt ipſum incedere vellent; ſed nemo, audacter dixerim, inventus fuit adhuc, qui eius veſtigia legeret. Nam *continuatio* illa, quae in *editione Francofurtana anno 1628 in fol. libros 11 ab anno 8 ſeculi vsque ad annum 18* produxit, *Thuani* nomine profecto indigna eſt, quemcunque tandem habeat auctorem. Debet tamen OSEAS SCHADEVS, Argentinenſium in templo cathedrali diaconus, qui *Sleidanum germanicum* cum continuatione vsque ad illum annum emiſit, pleraque huic rhapſodo. Nec multo melius ſe geſſit MICHAEL CASPAR LONDORPIVS, cui Sleidanum latinum continuatum vsque ad annum 1609, quo anno etiam Francofurt. prodiit, in acceptis referimus. Inuentus ſane fuit, teſte *Boeclero* in Muſaeo p. 9 10, 11, Pariſiis *vir eruditus*, * qui poſt Thuanum oneri fere herculeo humeros ſupponere voluit, ſed ex iudicio a Boeclero ibidem prolato facile patet, ipſum nequaquam tanto oneri, tantis auſis parem fuiſſe. IVLIVM CAESAREM BVLINGERVM, qui in Hiſtoria

* Cum quondam Ioh. Albertus Portnerus, archiater Caeſareus, hic Vratislauiae viueret ob peſtem Viennae graſſantem, ex eo quaeſiui, num eidem cognitum ſit, quis ſub nomine illius viri docti Pariſienſis lateret, quoniam Boeclerianarum rerum omnium pene cognitionem habebat accuratam: ſed ſe neſcire reſpondit. Ego itaque illum ipſum tale quid in Gallia viuentem meditatum eſſe conieci. Interim tamen modo coniectura eſt.

fui

ſui temporis, ad annum vsque 12 ſeculi pergit, (excuſ. Lugduni Gallorum 1619) multis paſſuum millibus Thuanum ſubſequi, haud difficulter omnes perſpiciunt, qui norunt, quid diſtent aera lupinis. HVBERI, VILIOTI, & aliorum labores melius inter compendia nobis commemorabuntur. Digrediamur itaque a Latinis ad Italos, vbi vnicus nobis hiſtorici nomine dignus occurrit VICTOR SIRI, Abbas. Poſtquam enim ab anno ſeculi 40 vsque ad annum 1652 iuſtae hiſtoriae opus, ſub titulo: *Il Mercurio ouerò hiſtoria de correnti tempi*, quindecim non exiguae molis voluminibus in 4, vt vocant, maximam partem non Caſali, vt prima librorum pagina prae ſe fert, ſed Lutetiae in ipſa Lupara typis regiis excuſis contexuiſſet, ne quoque priores anni vacarent, ab initio ſeculi vsque ad illum, quo Mercurium inchoat, annum Memorias arcanas (*Memoire recondite*) octo eiusdem molis voluminibus Lutetiae poſtea euulgauit. Enimuero quamuis nec huic Herodoto ſui deſint Plutarchi & cenſores, qui inter alia nimii eum in Gallos ſtudii arguunt; concedendum tamen eſt, neminem hucusque exſtitiſſe, qui ex actis, quae vocant, publicis, legatorumque & miniſtrorum regiorum commentariis ac epiſtolis plura & ſelectiora protulerit, vnde tanto magis dolendum eſt, tam raro his in oris & Mercurium &

Memorias inueniri *. Nec mea tantum eſt de hoc Sirii labore ſententia, ſed cordatiſſimi quique ſummique in hac orcheſtra viri nobis adſtipulantur. Audiamus ex multis vnicum tantum Boeclerum, qui in Muſaeo p. 24: *Incidit*, inquit, *inter hos ſermones mentio italici ſcriptoris, qui auſpiciis gallicis temporis exigui nouisſima delecta hiſtoria ſic moris ciuilis habitum expreſſiſſe, ſic ſeculi genium propinaſſe viſus eſt, vt reliquos, qui nuper aliquid huius generis aggreſſi ſunt, ſine controuerſia vincere vulgo iudicaretur*; addit tamen, & quidem ex vero: *Sicut autem nouitatis quadam illecebra, prudentiae rationibus praetexta, plurium animos rapit, ita gravioribus Thuani & accuratis ſine choragio gloriae conſiliis qui aequaret, ne dum praeferret, haud eſt in iſto coetu repertus.* Iterum in diſſertatione de Hiſtoria vniuerſali p. 151: *Hic vir eſt*, inquit, *qui veras artes hiſtoricas edoctus italico ſermone operis, aeternam famam habituri, illuſtre ſpecimen dedit.* Ceterum vti Sirius Thuano, ita ipſi Sirio multum cedere cogitur MAIOLINVS BISACCIONIVS Comes, cui *Memorias hiſtoricas (Memoire hiſtoriche) libris 5 ab anno ſeculi 30 vsque ad 34* ſtylo ſignare libuit, Venet.

* Mihi quidem ex Mercurio contigit videre tomos totos continua ſerie IX, diuerſis tamen temporibus excuſos. Tomi 2 exſtant in bibliotheca Saebiſiana Vrat. tres in bibliotheca Magdalenaea Vrat. octo amicus noſter quidam poſſidet ex bibliotheca Portneri huc portatos.

1642

1642 in 4 excuſos. Multa enim ipſe immiſcet hiſtoriam minus decentia, quale eſt inſulſum de caede Guſtaui Adolphi Suecorum regis commentum, quod tamen IOSEPHVS RICCIVS, belli ſuecici ex Italis latinus ſcriptor, nimis incaute adoptat, vt taceam alia, quibus magis plauſum vulgi captaſſe, quam veritati litaſſe videtur. Melius longe partes ſuas expleuit GALEATIVS GVALDVS, notisſimus inter Italos ſcriptor, qui patrio ſermone tum in *Hiſtoria bellorum germanicorum*, Venetiis in 4 excuſa, tum in *Annalibus Leopoldi Caeſaris ab anno 1657 vsque ad 70, tomis 3 in fol. Viennae* impresſis, non res tantum in Germania, ſed vbique locorum geſtas ita enarrat, vt inter hiſtoricos vniuerſales non iniuria ſit referendus. Nec omnino ſpreuerim HIERONYMI BRVSONII *Hiſtoriam europaeam*, quam ab anno ſeculi 27 vsque ad 56, voluminibus 2 libris 14 pertexuit, & Venetiis anno 1657 in 4 in lucem emiſit. * PETRVS GAZOTTVS *in Hiſtoria Europae*, ab anno 1642 vsque ad 1680 deducta, gallica quidem potisſimum & auſtriaca negotia attigit; aſt cum ea tamen pleroſque Europae reges ac proceres in partes traxerit, non inepte inter hiſtoricos vniuerſales locum inueniet; prodiit autem Venetiis anno 1681 in 4. Inter

* Idem libros 46 *della Hiſtoria d'Italia* ſcripſit Aug. Taur. 1680 in fol. ſeptima vice recuſos, in quibus res in Italia ab anno 1625 ad 1679 geſtas expoſuit.

Gallos neminem quidem adhuc ſcio, qui iuſtae hiſtoriae vniuerſalis operi contexendo manum admouerit. Quos enim infra nominabo, epitomatoribus ſunt accenſendi. Nec ex Germanis noſtris idoneum aliquem ſcriptorem afferre poſſum. Verſantur quidem in omnium manibus vaſta *Theatri europaei* volumina, quibus priorum duorum tomorum auctor IOHAN. LVDOVICVS GOTHOFREDVS, vel potius IOHAN. PHILIPP. ABELINVS, *chronicis* ſaepe recuſis, & a MATTHAEO MERIANO elegantisſimis figuris aeneis exornatis praeluſit: ſed ratione deſtitutus ſit oportet, qui pro hiſtoria pragmatica ac iuſta, hanc farraginem habuerit. Fateor, tomum 1, qui ſub IOHANNIS PHILIPPI ABELINI nomine emiſſus fuit, ſua laude non carere. Nec tomum 2, cuius autor eſt IOH. GEORG. SCHLEDERVS, plane contemnendum eſſe. Aſt in tomo 3 editoribus haeret aqua, & 5 tam malus eſt, vt annalibus Voluſianis merito comparari posſit, ex nunciis hebdomadariis vel nouellis tam inepte contextus, ut ſaepe repugnantia ſtatuat. Nec à reliquis eſt quod multum tibi boni promittas, cum vtplurimum ex relationibus, vt appellant ſemeſtralibus Francof. & Lipſienſium conſarcinati ſint. Conſtat hodie 15 voluminibus, quae ad annum 1700 pertingunt. Multi igitur *Diarium europaeum* praeferunt, cuius 14 tomi in 4to ab anno ſeculi 57 ad finem vsque anni 8 conſpectui

meo

meo oblati fuere. Et eo quidem nomine libens concedo, Theatro praeferendos eſſe, quod in appendicibus ſyllogen actorum memorabilium ſingulis ſemeſtribus exhibeant, aſt quod ad ipſam narrationem attinet, eiusdem illa commatis eſt cum Theatro.

§. IV.

Sed dum in Theatri & Diarii mentionem incido, negligendi non ſunt *Mercurii* illi *ſemeſtrales Francofurtenſes & Lipſienſes*, qui iam ſeculo ſuperiore a MICHAELE EYZINGERO inchoati, poſtea a IACOBO FRANCO, SIGISMVNDO LATOMO, & eorum ſucceſſoribus, ſub titulo *Recenſionum hiſtoricarum vernalium & autumnalium*, (hiſtoriſche relationes,) ad haec vsque tempora continuati fuerunt. Equidem Victorius Siri his Mercuriis ſuum oppoſiturus, merito conatus tanto negotio impares explodit, quique ex his collectaneis ſe magnum aliquid aut ſolidum eruturos ſperant, vehementer decipiuntur. Nec multo melius ſe habent *Mercurii gallo-belgici*, a GOTTHARDO ARTVSIO & aliis, ex gallico & belgico ſermone in latinum translati; multa enim ibi nullo iudicio, & ex vulgi rumoribus appoſita, adeo vt labor ille ab anno ſeculi 14 vsque ad annum 44 gall. deductus, quicquid demum iſti homines de RENAVDOTO ſuo, vltimorum librorum auctore, & *Cardinalis Richelii* applauſu nugentur, parum ad hiſtoriae vniuerſalis genuinam

cognitionem cordatioribus ſit profuturus. IOH. BAPT. BIRAGI, Brixienſis Itali, *Mercurius veridicus*, quem Sirio, impar certe adverſarius, oppoſuit, non eum habuit genium, vt vitam diuturnam ſibi promittere poſſit.

Victurus genium debet habere liber.

Verum mentio hic quoque facienda, dum inter Theatra & Mercurios verſor, *Europae turbatae*, (verwirrte Europa,) cujus tomi 3 anno 1672 emiſſi longe inter ſe diſtant; primus enim, qui PETRVM VALCKENERIVM, Batauum, virum prudentia ciuili, ſi quis alius, probe imbutum, auctorem agnoſcit, tanto cum iudicio conſcriptus eſt, vt videatur ferme ad Sirium accedere. Nec multum abludit continuatio belgica incerti, quam me vidiſſe & tractaſſe recordor: aſt poſteriores 2 german. qui ANDREAE MÜLLERI nomen praeferunt, nihil ferme habent, quo ſe commendent, niſi figuras aeneas affabre delineatas. Pene oblitus fuiſſem *Mercuriorum gallicorum recentiorum*, quibus autor inſigne cognomen *hiſtoricorum & politicorum* dedit, *(Mercure hiſtorique & politique)* quique à menſe nouembre anno 1686 ad noſtra tempora hucusque continuati, Hagae Comitis lucem adſpexerunt, & maximam partem etiam germanice loqui didicere. Nimirum multa his inſunt egregia, praecipue in adiectis animaduerſionibus, ſingulis narrationibus, quae legas vix alibi. Sed eſt tamen, vbi

vbi ceſpitaſſe, immo interdum defeciſſe videatur bonus noſter Homerus, odio interdum etiam & gratiae multa tribuens, vt non inepte monuit cl. THOMASIVS in priori dialogorum menſtruorum parte. Eiusdem ſunt cenſus *Litterae de praecipuis huius temporis negotiis*, quae anno 1689 & 1690 in Belgio lucem adſpexerunt, ſed cito etiam finierunt, & *Hiſtoria huius temporis* ex anglico in gallicum ſermonem traducta, in qua memini me animaduertisſe auctores allegari, BASSOMPETRAE puta *Memorias* vulgatis auctiores, *Hiſtoriam latinam* a conſiliario Saxonico ſcriptam, & alia id genus, quae nunquam lucem adſpexiſſe, ſerio affirmare auſim; adeo vt in eodem luto haerere videatur autor cum ANTONIO GVEVARRA, ſeculi ſuperioris cymbalo, cui in *Horologio principum* & alibi ſolenne eſt, fictos auctores citare. Porro in hunc cenſum referendae veniunt *Epiſtolae hiſtoricae (Lettres hiſtoriques)* quarum vidimus tomos 14, res geſtas ab anno 92 ad 98 explicantes. Eximi quoque à vulgo debet *Recenſus hiſtoriae noviſſimae vernalis & autumnalis* ab anno 83 vsque ad annum 89 a IOHANNE BVRCHARDO MAIO, hiſtor. nunc in academia Kilonienſi doctore, & aliis cum iudicio & cura deductus, vel ob id laude dignus, quod ſingulis poſterioribus tomis, hiſtoria litteraria academiarum in Germania celebrium ſubiuncta ſit. Prodierunt quoque anno 1688 a menſe

aprili vsque ad martium anno 1690 in Belgio 12 duo non modica volumina, quae titulum prae ſe ferunt *Conſiderationum* ſiue *meditationum hiſtor. de rebus noſtri temporis*.

§. V.

Progrediendum nunc eſt ab hiſtoricis ad collectores actorum, quae quantum hiſtoriae conferant, iam ſupra dictum eſt, & docuit *Boeclerus* in diſſertatione, appendici academicarum iunctim anno 1658 Argent. 8 excuſarum, inſerta. Eminet inter hos MICH. CASPARIS LONDORPII labor, cuius nunc II cum continuationibus tomi ab anno ſeculi 18 vsque ad annum 83 prodierunt; vbi tamen monendum eſt, priores editiones, quae in 4 & fol. anno 1621 prodierunt, longe praeferri recentiori, in qua multa caſtrata ſunt. Selectiora dedit & latine tantum IOH. CHRISTOPH. LVNDIGIVS, in *Sylloge actorum* anno 1694 Francof. excuſa, vbi ab anno 1673 incipiens ad annum 1693 deſinit. PASTORII, non *Joachimi* illius celebris, ſed *Auguſtini* ignobilioris, *Laurus actorum publicorum Europae*, negotia vnius tantum anni, nempe 1657 repraeſentans, vix hic locum meretur, cum, quae ibi occurrunt, tomis Londorpianis ferme omnia ſint inſerta. Melioris notae eſt *Theatrum pacis*, 2 voluminibus Norimbergae anno 1663 & 1685 publicatum, in quo celebriora pacis foedera ab anno 1647 vsque ad annum 1685 inueniuntur. Optandum vero eſſet, vt bibliothecarius augu-

auguſti Caeſaris Leopoldi NESSELIVS promiſſis ſtetiſſet, & hiſtoriam pacificationum ex biblioheca Viennenſi a fine ſeculi 15 vsque ad haec tempora produxiſſet.

§. VI.

Compendia nunc & tabulae inſpiciendae, & inter compendia quidem quae CHRISTIANVS MATTHIAE & IOH. CLVVERVS, ac huius continuatores dederunt, vix incognita erunt auditoribus noſtris. HENRICVS quoque KIPPINGIVS in *Hiſtoriae vniuerſalis recenſu* res ſeculi noſtri attingit. Nec BOXHORNIVS in *Hiſtoria ſua vniuerſali* ad annum 1650 producta ſpernendus, cum ſelecta quaedam habeat, nec vbiuis obuia. Nec impari auſu libro Lipſiae 1675 recuſo integri decennii hiſtoriam adiecit OTTO MENCKENIVS, non addito licet nomine. Verum quid de IOHAN. BISSELII *Medulla hiſtorica*, quae a ſeculo incipit, & ſi *Leonem Galeatum* addas, in anno 21 deſinit, ſtatuam, vix liquet: prodiit illa Ambergae 1675 in 8, tomis 5, & compendii ferme limites excedit, cum autor pro lubitu digrediens, ne carminibus quidem ſe abſtineat adeo, vt excerpta rectius hiſtorica quam compendia dixeris. Vellem tamen, vt affectibus temperaſſet non illepidus alias autor, quod cuiuis librum euoluenti clariſſime apparebit. VLRICI HVBERI *Commentarius rerum in orbe geſtarum*, à mundo condito vsque ad annum ſeculi 51 deductus 4 tomis, &

Franecquerae Friſiorum anno 1692 excuſus. Is vero in tanta rerum copia non quidem mole ſua fines compendii excedit, ſed tamen ea ſaepius exhibet, quae alibi fruſtra quaeras. Quale eſt, vt guſtum aliquem hujus rei & ex multis pauca exhibeamus, quod tomo 2 hiſtor. poſt nat. Chriſtum lib. 2 ſect. 2 p. 546 de Mauritii Naſſovii & Barnefeldii diſcordia profert, quod tomo 3 lib. 1 ſect. 1 c. 4 p. 31 de pecunia in Friderici electoris Palatini reſtitutionem fruſtra impenſa habet, quodque in rebus anglicis & caede Caroli I exponenda, ea commemorat, quae nusquam alibi legas. BRACHELII & continuatorum THVLDENI ac BRVERII, ab anno 1618 vsque ad annum 1670 & quod excedit, labores laudare poſſem, niſi acriſia ſaepius & partium ſtudio laborarent: melior tamen ipſe Brachelius, quam reliqui. FRANCISCVS VILIOTTVS, Italus ſubalpinus, in *Variis Europae euentibus* ſtylo ſatis egregio, quamuis interdum affectato, ab anno 1643 - - 1659 compendiarie deſcriptis, & Monte regali in Pedemontio excuſis, gallica potiſſimum & italica attigit, reliquis leuiter tantum pertractatis. BVNONIS *Ideam* vix commemorarem, niſi antea hic loci praelectam publice eſſe, memoria tenerem. Interim dum in huius viri mentionem incido, & alterius ab eodem elaborati recordor compendii, * in quo

* Miſit Buno aliquando Vratislauiam magno numero talia portenta, reipubl. clauum tenente Mudrachio, qui per

per mirifica ſymbolorum & aenigmatum portenta, vt omnem, ita etiam ſeculi huius hiſtoriam animis adoleſcentum imprimere voluit; quo in ſtadio etiam IOH. IVSTVS WINCKELMANNVS ſe exercuit. Subit profecto mirari & doctorum, qui talibus nugis ſe & alios torquent, & diſcipulorum, qui hoc modo in hiſtoria proficere geſtiunt. Accidere fortaſſis poteſt, non diffiteor, vt poſt ferreos labores ingeniorumque atrocem carnificinam, nomina imperatorum ac regum ad ſeriem quandam ſeculorum & annorum menti inſculpamus; ſed vt ſolidi aliquid diſcatur, nemo nec mihi nec aliis cordatioribus perſuadebit. Noui virum quendam magnae dignationis (*Baronem* Roſenroth von Sultzbach, iam defunctum) *libellum in 4*, ſed ſine vlla explicatione euulgaſſe, in quo *hiſtoria vniverſalis* omnium ſeculorum hoc modo explicabatur, quem ſi rei ignarus adſpexiſſet, charactere ſibi magicos credo putaſſet contineri. Exſtabat vero ſeorſim clauis immenſi operis & magnitudine ſua 10 immo 20 ejusmodi libellos excedens, quae MSC. cum familiaribus ab auctore communicabatur, qui tamen poſtea rectius ſapiens, ab inſtituto, vano certe & nemini profuturo, ſe abſtinuit. Sed redeamus in viam. Anno 1689 exierunt Baſileae *anonymi* cujusdam

perſcrutanda & conſideranda eadem miſit profeſſoribus gymnaſiorum amborum; a quibus mox ſine gratia remiſſa fuerunt.

religioſi in 12 *Duo ſecula ferrea*, 16 nempe & 17, breuitate ſua ſatis concinna & ad annum 1648 perducta. Nos ipſi etiam ad *Boecleri libellum memorialem ſeculi 16* reſpicientes, ſyllogen rerum memorabilium huius ſeculi ad annum 1650, non ſine induſtria & labore ex omnis generis ſcriptoribus congeſſimus & cum auditoribus quibusdam noſtris communicauimus, aliquando fortaſſis, * ſi DEVS vitam & otium conceſſerit, ad finem vsque ſeculi eandem continuaturi. Ex Gallis quidam à *S. Lazaro* nomen trahens, breues ad annum circiter 1634 & 1635 de huius ſeculi geſtis *obſeruationes hiſtoricas* congeſſit non omnino improbandas. Dein PARIVALIVS quidam, gallicae Bruxellis linguae doctor, exiguis 5 tomis hujus *ſeculi*, quod *ferreum* vocat *hiſtoriam* digeſſit, (*Abregé de l'hiſtoire de ce ſiecle de fer*) magis laudandus ſi floſculis rhetoricis & exclamationibns huic argumento non ſatis conuenientibus ſeſe abſtinuiſſet. Laudabilis quoque eſt opera *anonymi* cuiusdam, qui nomen ſuum litteris tantum initialibus indicauit *C. H.* qui *farraginem hiſtoricam* à primo vsque ad 86 ſeculi annum deduxit. Sed laudabilius ſe geſſit PETRVS LINAGE DE VAVCIENNES, qui in paruo, ſed egregio libello, *Memoires ſur l'origine des guerres, qui travaillent l'Europe depuis 50 ans*, Col 1678 in 12,

* Quod nunc poſt auctoris obitum vix quidem ſperandum eſt.

tomis

tomis 2 cauſſas bellorum, quae Europam quinquaginta annis exercuerunt, magno cum iudicio conſignauit; alicubi tamen, vt ſolent Galli, regibus ſuis addictior. Anno 1686 Lugd. Batav. ſingulis menſibus, initio a iulio facto, prodibat *hiſtoria compendiaria europaea* ſatis bona, praeſertim cum in fine ſemper hiſtoria naturalis & litteraria ſubiungeretur: ſed per biennium tantum res acta, & in menſe iulio anno 1688 labor iſte ſubſtitit. Ex Italis ALBERTVS LAZARI in *Cauſſis regum heri & hodie belligerantium*, Venet. anno 1671 & 1675 emiſſis, & ALPHONSVS LOSCHI in libro *compendii hiſtorici*, potiſſimum quidem in ſeculi ſuperioris hiſtoria verſati ſunt, ſed ita tamen, vt ad hoc ſubinde ſeculum reſpicerent. Nec profecto, quod vt generatim, ita praecipue in hiſtoria germanica obſeruandum eſt, aliquid proficies, niſi res ſuperioris ſeculi cum iis, quae noſtro geſta ſunt, coniunxeris. Ex germanicis, GOTHOFREDVS SCHOLZIVS, KVPFERSCHMIDIVS, & alii quidem commemorari poſſent. Imprimis autem ſereniſſima Princeps Brandenburgica ERDMVTH SIBYLLA, quae in libello paruo quidem, ſed multa complexo, (der welt alter) per ſaturam praecipua hiſtorica omnis temporis & imprimis etiam huius noſtri ſeculi repraeſentauit. *Compendiis* quoque iungimus *tabulas*, in quibus per omnia ſecula digerendis, & ad noſtrum vsque continuandis, laudabilem operam poſuere

HELVICVS, BOXHORNIVS, cum continuatione HARTNACCII anno ſeculi 1688 editus; DIONYSIVS PETAVIVS in tabulis aeterno operi de *doctrina temporum* adiectis: cuius etiam opera compendiaria in *Rationario temporum* ſaepius in Germania & Gallia recuſo, & in A. C. 1632 iterum publicato omnino commendanda eſt. SCHRADERVS etiam, eiusque continuator COERBERVS, praeclare de hoc ſtudio meriti ſunt. Omnes autem viciſſe videtur GVIL. MARCELLVS, cuius *tabulae chronologicae*, Pariſiis anno 1675 editae & Amſtelod. anno 1686 recuſae, eo nomine laudantur, quod beneficio paucarum notarum multa proponit, quamuis eiusdem poſtea veſtigia ſecutus ſit *Anglus* quidam *anonymus*, cuius eodem inſtituto ſuſceptus labor ſub titulo *Orbis imperantis*, Londini anno 1685 impreſſus, ad noſtras manus peruenit.

§. VII.

Hiſtoricis eorumque abbreuiatoribus ſuccedant *genealogiarum* & cum his iungendi *teſſerarum gentilitiarum* ſcriptores; nam absque horum praeſidio & adiumento omnis hiſtoriae cognitio mutila eſt & manca. Agmen inter hos ducit merito theologus magni nominis PHILIP. IACOB. SPENERVS, cuius *Theatrum nobilitatis europaeae* Francof. 1668 aliquot tomis in folio prodiit. Ante hunc NICOL. RITTERSHVSIVS tomis 2, Tubingae anno 1674 recuſis, *genealogias regum, principum, procerumque* reprae-

repraeſentauit, cui omnino iungenda ſunt *ſpicilegia 2* ab IMHOFIO, fama ſuper aethera noto, ibidem publicata: SCHOWARTI *tabulae & obſervationes genealogicae* in 8 impreſſae, & LOHMEIERI *tabulae* Luneburgi 1695 apud Lippertum, curante eodem Imhofio curatius recuſae, laudem non exiguam merentur. Eiusdem commatis ſunt IOH. IVSTI WINCKELMANNI *Arboretum genealogicum principum Europae*, Oldenburgi 1664 fol. emiſſum: & LAIRIZII *Palmetum genealogicum*, Norimbergae 1688 impreſſum. Nec male de his ſtudiis meriti ſunt LEHMANNVS in *Orbe purpurato* ſeu in der Durchlauchtigen welt, Hamburgi emiſſo, cuius nuper pars 3 prodiiſſe fertur, & *auctor anonymus proſopographiae procerum Europae*, anno 1698 cura Vratislauienſis bibliopolae Ioh. Georg. Steckii, cum eximio ſupplemento publicatae. IOH. GANS, Ignatianae ſocietatis religioſus, anno 1638 Colon. in fol. *Arboretum genealogicum* quoque publicauit. Et LEONHARDVS WVRFBEINIVS Norimberg. 1645 fol. *genealogias* quorundam Europae regum exhibuit. Quod ad *heraldicos*, vt appellant, attinet, commendandus iterum venit SPENERVS in *Hiſtoria inſignium illuſtrium*, ſeu operis heraldici parte ſpeciali, Francofurt. cum figuris aeneis 1680, & in *Inſignium theoria*, ſeu operis heraldici parte generali, ibid. 1690 in lucem emiſſa. Attamen ante ipſum SIEBMACHERVS

in *collectione inſignium memorabilium* (germ. im wappen-buche) eiusque continuator FVRSTIVS, partes ſuas non illaudabiliter explerunt, licet a multis prior poſteriori praeferatur, qui tamen nouam adhuc editionem pollicitus haud dubie in ea, quae huc vsque deſiderata fuerunt, ſuppleuit. Prodiit vero anno 1699 noua iſta editio. Conferri quoque poterit *Sylloge germanica teſſerarum gentilitiarum*, Francof. 1697 fol. excuſa, & I. CAESARIS BEATIANI *Fecialis*, Venetiis anno 1686 in 4 expreſſus.

§. VIII.

Inter *geographos*, qui vniuerſum terrarum orbem, vel cum tabulis, vel ſine eis deſcripſere, principe loco poni debent vaſta chartarum geographicarum & hydrographicarum volumina, quae ſpecioſo *Atlantis* titulo ſuperbiunt. Et hic quidem certatim quaſi BONDIKVS, IANSONIVS, BLAVIVS, cuius II volumina poſt triſte incendium, quo anno, ni fallor 1671, officina celebris periit, vix haberi poſſunt, WITTIVS, apud Gallos SAMSONIVS & apud Venetos CORONELLIVS an. 1691 elaborarunt: cuius ſane delineationes, ſi non nitore & venuſtate, minimum induſtria accurata ceteris palmam dubiam reddunt. *Atlantes* quoque *maritimi* IANSONII, BLAVIIQVE, & quos an. 1693 NICOLAVS DV FER, Delphini Galliarum geographus, ſub elogio *Neptuni gallici*; & ROMANVS de HOOGHE in Belgio diuulgarunt, ea, quam merentur, laude

laude non ſunt defraudandi. Adiiciantur, quas idem DV FER ab anno 1692 vsque 1696 octo partibus edidit, *imagines praecipuarum & munitiſſimarum vrbium arciumque.* Sunt etiam, qui ab Anglis nouum exſpectare iubent Atlantem, ceteros accuratione omnino ſuperaturum. Nec fugit me, *Iſaacum Voſſium* in hac, dum viueret, palaeſtra cum aliis deſudaſſe. Suaſerim autem iuuenibus rerum geographicarum gnaris & ſtudioſis, vt, cum magnae Atlantum collectiones tenuiorum ſumtus longe excedant, tabulas praeſtantiſſimorum artificum, quales ſunt praeter illos, quos modo nominaui, DANCKERTVS, VISCHERVS, & alii, mature ac ſenſim quaſi ac ſine ſenſu colligant, theſaurumque congerant, non adeo magnis impenſis, opulentiſſimum. Inter *deſcriptiones*, quibus tabulae adjectae ſunt, nominanda quoque veniunt praeter *Cluuerii* notiſſimam *Introductionem*, ſupplementis Bunonianis & Henckelianis inſtructam, BRIETII *Parallela geographica*, Lutet. Pariſ. 1645 impreſſa, quae vna cum veteri nouam quoque geographiam tradunt, nulloque alio naeuo laborant, quam quod autor, neſcio qua de cauſſa, cum diu poſtea ſuperuixerit, in medio curſu ſubſtiterit. MALLETI *Deſcriptio vniuerſi orbis terrarum* gallico idiomate tomis 5 libr. 10 Lutet. 1682 emiſſa, & DV VALlII *Geographia* ex eodem idiomate in vernaculum ſermonem Noriberg. 1697 translata, a non paucis commendantur,

cum tamen ſuis non careant naeuis, in rebus praeſertim germanicis. Ideoque longe praetulerim ſplendidam IOH. RAVII *Coſmograghiam* anno 1624 publicatam, qua *Münſteri* decantatos ſeculi ſuperioris labores non magis ſupplere, quam emendare ſtuduit. Sine tabulis lectori terrarum orbem perluſtrandum propoſuerunt BVSSINGALTIVS ex Auguſtinianorum ordine religioſus, in *Theatro orbis* Pariſ. 1682 tomis 5 publicato, CRVCIVS in *Geographica orbis deſcriptione*, Pariſ. 1695 tomis 2 edita. Auctor ANONYMVS *Itinerum hiſtoricorum* gallice conſcriptorum, & maximam partem in noſtram linguam conuerſorum, quae 7, ni fallor, vel 8 tomis conſtant. Quamuis & hic, ſi a rebus gallicis abieris, plurimi, iique ſatis craſſi, deprehendantur errores. Vnde mihi certe magis placent *Itinera* IOH. BAPT. PACICHELLI ſermone hetruſco 4 tomis Neapoli 1685 edita. Quibus Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam & praeſertim Italiam curate deſcribit, & multa quoque inſerit, quae ad hiſtoriam litterariam faciunt. Quibus omnibus ſuccenturiandum denique puto *lexicon geographicum*, quod primus ſeculo ſuperiori ſub *theſauri* nomine in fol. & 4to adornauit geographorum illius ſeculi princeps ABRAHAMVS ORTELIVS, continuauit PHILIPPVS FERRARIVS, expolierunt & eo, quo nunc conſpicitur, habitu donarunt SAMSONIVS & BAVDRANDVS. Nolim vero

decipi

decipi noſtros, cum in prima libri pagina legent, hoc opus anno 1677 Iſenaci prodiiſſe, cum potius Geneuae lucem adſpexerit. Enimvero quia lexici mentionem feci, commemoranda quoque ſunt vaſta 4 MORERII abbatis volumina, dictionarium nempe hiſtoricum, (*Dictionaire hiſtorique*) quod ſaepius coctum atque recoctum, tandem anno, ni fallor, 1696 IOH. CLERICVS vir doctiſſimus a plurimis, quibus ſcatebat, mendis purgauit & infinitis in locis auxit, Angli vero vno volumine forma maiori in compendium miſerunt, & quae ex ſuae gentis hiſtoria adiicienda videbantur, ſuppleuerunt. Equidem hactenus in Germania noſtra bibliopola Lipſienſis * traductionem huius operis germanicam molitur, ſed maiori ſtudio correctam & auctam, cum nemo neſciat, quicquid tandem *Clericus* egerit, innumeros adhuc errores ſupereſſe, adeo, vt ipſe in ſolo *de Germania* articulo ſupra 118 mendas deprehenderim. Vtilem ſane operam navarent viri docti, ſi ex ſingulis gentibus labore & ſtudio non vnius, ſed plurium eruditorum, tale lexicon conſtruerent, e. g. germanicum, gallicum &c. tunc enim ſperari poſſet, aliquid exactum & elaboratum proditurum. Adiicimus obiter,

* Thomas Fritſchius ſcilicet, viro clar. Ioh. Franc. Buddeo, Ienenſium profeſſore celeberrimo, ſatagente animum ad lexicon hoc hiſtoricum germanico idiomate publicandum adiecit, & modo in lucem expoſuit.

IOH. IACOBI HOFMANNI, quod in multorum manibus eſt, quodque anno 1698 inſigni cum augmento apud Batavos lucem adſpexit, *lexicon hiſtoricum*, tomis 4 in fol. primos Moreſio in latinum idioma traducto natales debere, vnde etiam inter typographos Geneuenſes & Lugdunenſes lites taedioſiſſimae exſtiterunt.

§. IX.

Tandem de miſcellis quibusdam, quique ad certam claſſem redigi non poſſunt, ſcriptoribus aliquid monendum eſt. Nempe huc pertinent LAVRENTII CRASSI *elogia ducum & imperatorum illuſtrium huius ſeculi (Elogi di capitani illuſtri)* Venetiis anno 1688 in 4. HVGONIS GROTII *epiſtolae*, Amſtelod. 1686 fol. in quibus ab anno ſeculi 21 vsque ad 45 res geſtae in variis orbis terrarum partibus luculenter exponuntur. Neque enim placet nobis Maurerii ſcomma, qui in memoriis belgicis *(Memoires pour ſeruir à l'hiſtoire de Hollande)* Oxenſtirnam, Suecorum cancellarium, aegre tuliſſe refert, quod Grotius, Suecorum tunc temporis ad regem chriſtianiſſimum orator, de triuio tantum nugas ad ſe perſcriberet. BARLAEVS etiam in epiſtolis anno 1697 Amſtelod. in 8 impreſſis, & ſeorſim in Vicofortianis anno 1696 in 12 excuſis, multa magno cum iudicio de rebus maximi momenti ſcripſit. Exſtitit quoque in Gallia auctor anonymus (quanquam alii ex Anglia prodiiſſe velint) qui ſub titulo *exploratoris*

turcici

turcici (L'eſpion turc vel angl. *The turkiſch ſpy)* per epiſtolas ſeculi tropica ab anno 1635 vsque ad vltima haec tempora non illepide commemorauit, ipſe ſe Genuenſem Maranamque vocat. IOACHIMI VICQVEFORTII *legatus (L'ambaſſadeur)* edit. in 4 gallice: GEORGII que LETI liber ſub tit. *Il ceremoniale politico*, vt vocant 4 tomis digeſtum, & Amſtelod. 1685 in 12 publicatum. Anonymi (quem *Wagenſeilium* ferunt) *Hiſtoria moris ciuilis & aulici* anno 1687 in 12, & hiſtorici ordinum equeſtrium, Miraeus, Menenius, Ashmolius Anglus, Becmannus, & anonymus* Compendii germanici auctor, non ſine fructu adhibebuntur.

* Ipſe ſcilicet Gryphius, qui haec commentatur, in dem kurtzen unterricht aller geiſt-und weltlichen ritter-orden, qui liber Lipſiae anno 1697 in 8 impreſſus, noua editione, multis acceſſionibus ab auctore ſuppleta, communicari nuper cum orbe litterario debuit.

CAPVT II

SCRIPTORES HISTORIAE GERMANICAE ET BOHEMICAE.

§. I.

VAlde equidem vereor, ne germanicae huius ſeculi hiſtoriae ſcriptores propoſiturum copia illorum pene obruat, atque inopem reddat; tot enim numero ſeſe offerunt, vt ſi omnes recenſere velim, non ſchediaſma aliquod, ſed integrum volumen componendum ſit. Iacienda tamen alea eſt, & ne ſub onere ſuccumbamus, certi quaſi limites praefigendi, intra quos ſe contineat noſter hic labor. Agemus itaque primo de *praecognitis & praeſidiis hiſtoriae germanicae*, enarrando, qui circa chorographiam tum vniuerſalem tum particularem; deinde circa notitiam familiarum illuſtrium procerumque imperii; porro circa leges publicas, *ius* vulgo vocant, occupati fuerunt. Quos excipient *hiſtorici, actorum collectores*, & qui huc quoque, vti ab initio monui, non iniuria pertinent, *vitarum, elogiorum, epiſtolarum ſcriptores*; ac denique *poetae* & *oratores*. Ne tamen omnia cum puluiſculo congeramus, auditoribus noſtris ſuademus, vt adeant MICHAELIS HERZII, Profeſſ. Argentor. *Bibliothecam ſcriptorum germanicorum*, Erfurti anno 1679 editam, cuius nouam ille recen-

recenſionem hactenus molitur; SAMVEL RACHELII *Introductionem ad ius publicum Germaniae*, Amſtelod. 1685 in 12. Et qui titulo aliquid inſigne promittere videtur, quamvis a nobis nondum conſpectus fuerit, *Apparatum iuris publici & hiſt. german.* Argentor. 1696 publicatum. Et hi quidem auctores per omnem tum veteris, tum mediae, tum recentioris Germaniae hiſtoriam libere ſunt digeſti. (Media vero hiſtoria vocatur a Carolo Magno, vsque ad Maximilianum I.) Aſt nos inſtituti memores huic tantum ſeculo nosmetipſos includemus, & quaedam tamen afferemus, ipſis fortaſſis indicta.

§. II.

Chorographiae merito praemittimus nominis conſiderationem, qua Germanorum imperium *ſacrum* audit & *romanum*. Vbi inſigniter commendanda eſt iuuentuti ſtudioſae duumvirorum de hiſtoria germanica optime maxime meritorum, IOH. HENRICI BOECLERI, & HERMAN. CONRINGII induſtria; quorum ille in diſſertatione de *Sacro imperio romano*, quam *Notitiae imperii* ſubiunxit, magnificum hunc titulum, contra Gallorum, Blondelli praeſertim ſtrophas, maſcule defendit; hic vero in doctiſſimo de *Imperio Germanorum romano* ſchediaſmate veram huius tituli originem indagauit. Nomini ſuccedunt *fines*, qui olim ampliores exſtiterunt, quam hodie, proh dolor!

Et hoc argumentum quidem idem CONRINGIVS libris 2 tam operoſe & ſolide illuſtrauit, vt in ipſa auguſti Caeſaris aula magno cum applauſu excepta fuerit ſcriptio erudita. Prodiit primum Helmſtadii anno 1644, quae editio longe praeferenda eſt tam minori in 8, quam invito & neſcio auctore alicubi diuulgarunt; tum etiam illi, quam Oldenburgius, centones ſuos hac purpura vendibiliores redditurus, Limnaeo enucleato inſeruit. Addidit poſtea vir celeberrimus anno 1681 librum 3, qui tamen nihil aliud exhibet, quam annotata ad libros 2 priores. Generatim vero praecognita hiſtoriae germanicae ſi non pertractaſſe, minimum attigiſſe videtur GABRIEL BVCELINVS, ex Benedicti ordine monachus, tum *in Romani imperii ſanctitate, maieſtate, potentia, nobilitate*, Francof. 1680 in 12, tum in longe maiori opere, *Germania ſcilicet topo-chrono-ſtemmato-graphica ſacra & profana*, 4 voluminibus digeſta, & primum Auguſtae Vindelic. 1655, ſecundum Vlmae 1662 (vbi auctor in monaſterio Weingartenſi religioſus vixit,) tertium Francof. 1672, & quartum Vlmae 1678 in lucem emiſſa. Nunciabatur olim in recenſionibus hebdomadariis, eſſe qui nouam huius operis editionem molirentur, eoque fini nobilium & eruditorum homines ſuppetias depoſcerent. Sed vehementer metuendum eſt, ne pro ea, qua Germani noſtri laborant tenacitate, de qua alibi con-

conqueritur illuſtris *Valuaſor*, haec ſpes ipſos deſtituat. *Rempublicam* quoque *Germaniae* Elzeuiriorum, quae Lugd. Batav. anno 1634 prodiit, obiter commendamus, cum in multis, recentioribus praeſertim, manca ſit atque mutila. Enimuero integrae *Germaniae* luculentam *chorographiam* dedit MARTIN. ZEILERVS, vir laborioſiſſimus, in *Itinerario*, cuius pars 1 Argentorati 1632 in 12, & 2 anno 1640 in 12, & ambae iterum anno 1674 impreſſae fuerunt, in qua hoc tantum deſideres, quod auctor nulla ordinis ratione habita, ad itinerum, quae ipſe ſuſcepit, normam rem omnem digeſſerit. Eidem *Zeilero* debemus *Germaniae topographias ſingulares* a MERIANO pulcherrimis figuris illuminatas, & ab auctore ipſo inſignibus ſupplementis vel appendicibus ſeorſim excuſis auctas. Palmam tamen prae reliquis ferunt tum Sueuica, in qua prouincia ipſe *Zeilerus*, Vlmae ſcilicet, vixit, tum ducatuum *Brunſuicenſis* & *Lüneburgenſis*, ad quam principum Germaniae phoenix, maximusque eruditorum patronus AVGVSTVS DVX BRVNSVICENSIS multa contulit. WERDENHAGII de 10 *circulis imperii* farraginem vix eſt, vt hic commendemus, Amſtelod. 1638 cum hic auctor perpetua laboret ἀκρισίᾳ, & vbique multa infertiat, quae a ſcopo abludunt. Pene oblitus fueram *Zeileri* mole exigui, ſed vtiliſſimi libelli, *de Imperii germanici 10 circulis*, Vlmae anno 1665, in quo meliori

ordine hoc argumentum digeſſit, quam in Itinerario. GREGORII LETI Itali *Theatrum germaniae* duobus in 4to voluminibus comprehenſum, figuris aeneis pulcherrimis commendatur, Tuſcoque idiomate exaratum eſt. Ceterum ROCOLESII Galli *Hiſtoria imperii Germanici, (Hiſtoire d'Alemagne)* Hagae 1682 multis, quod Gallis in rebus exteris familiare eſt, ſcatet mendis. Melius vero ſe geſſerunt LVDOVICVS DV MAY, linguae gallicae & hiſtor. in illuſtri Tubingenſi ſchola profeſſor, in *Statu imperii (L'etat de l'empire)* tomis 2 Lutet. anno 1665, & HEISSIVS in *Hiſtoria imperii, (Hiſtoire de l'empire,)* Hagae Comit. 1685 impreſſis. Et hic quidem Germaniam omnem ſpectandam exhibuerunt: aſt ſingulis prouinciis non defuerunt ſcriptores. Scilicet vt ab *Auſtriacis* incipiamus, *Carinthiae topographiam* accuratam, quod ad imagines attinet, edidit (in der land=beſchreibung des hertzogthums Kärnthen,) illuſtris Baro VALVASOR, Noriberg. 1688. Idem in vaſtis, quos *Carniolae*, ſub tit. die ehre des hertzogthums Crain, impendit, tomis libri priores 4 & 11 integrum choro-& topographiae conſecrauit. ERTELIVS Noriberg. 1688 *Bauariae* dedit *Atlantem*, ſed libellus iſte paruus vix tanto titulo reſpondet. *Viſcherus* geographus praeter *tabulas vtriusque Auſtriae* accuratas, Stiriae & archiepiſcopatus Salisburgenſis, Bauariam quoque & Sueuiam

exiguo

exiguo volumine in 4to, eiusque exemplo neſcio quis *Franconiam* repraeſentauit. Optabile vero eſſet, vt GVILIELMI SCHIKARDI operoſa circa ducatum *Würtenbergicum* induſtria, quem 12 tabulis accuratiſſimis illuſtrauit, carceres & repagula rupiſſet. *Sileſiae inferioris* praecipuos ducatus, Olſnenſi excepto, tabulis egregiis delineauit IONAS SCVLTETVS, vir doctiſſimus, mihique adhuc adoleſcenti de facie notus, quo in opere adiutorem habuit GEORG. VECHNERVM, theologum apud Lesnenſes reformatos magni nominis, continuatorem vero FRIDERICVM CVNOVIVM. Laudabilem quoque operam nauauit, qui *ſuperioris & inferioris Luſatiae topographiam* Gorlicii 1696 emiſit. DANCKWERTI luculentum de *Holſatia* opus obiter tantum indico; cum quicquid de hac regione & illius hiſtoria dici poſſit omne exhauſerit vir doctiſſimus IOHANNES MOLLERVS, in *Introductione ad hiſtoriam ducatuum Sleſuicenſis & Holſatici*, ante hos 6 annos emiſſa, & nuper (anno ſcilicet 1699) *Bibliothecae ſeptentrionis eruditi* inſerta. De *anonymis*, qui Noribergae exemplo forte Papyrii Maſſonii in Gallia ſua hoc agentis, Germaniam *per flumina* deſcribere inſtituerunt, & *Rhenum* nobis, *Danubium*, *Albim*, *Oderam*, *Sauum*, *Nicrum*, *Moſellam*, peculiaribus libellis prodiderunt, tacere praeſtat, cum parum emendate parumque accurate hunc laborem exantlarint.

§. III.

Notitiam principum procerumque germanicorum ſedulo excoluit vir non ſine laude dicendus IMHOFIVS, patricius Noriberg. qui hanc operam Germaniae noſtrae, tum 1681 fol. tum 1684 voluminibus 4 in 8, tum 1693 iterum in fol. praeclare impendit, & nunc, vt fama refert, denuo hoc ſaxum voluit. Obſeruamus autem in vltima, quam recenſuimus editione, quaedam omiſſa nimis forſan libere dicta, quae in prioribus apparent. Alias hic liber is eſt, quo carere nequaquam poteſt hiſtoriae patriae ſtudioſus. Comitem Imhofio damus SPENERVM in *Sylloge genealogica*, Francofurti ad Moenum 1677 in 8 edita, ſiue recuſa. Parem laudem meretur TOBIAS PFANNERVS, ſereniſſimorum Saxo-Wimarienſium ducum conſiliarius, fautor noſter honorandus, in exiguo, ſed perquam vtili libello *de Gentibus principum Germaniae*, primo anno 1678, & deinde auctius anno 1682 in lucem emiſſo, qui compendii inſtar eſſe poteſt. Et hi quidem omnes principum Germaniae familias exornarunt: Sed KILIANVS Auguſtae Vindel. anno 1623, genealogias Auſtriae ducum & regum (namque olim Auſtria ſuos habuit reges) ſtemmataque ducum & electorum Bauariae aeri perbelle inciſa exhibuit. Origines familiarum Alſaticae, Lotharingicae, Auſtriacae, Badenſis & aliarum *anonymus* quidam Gallus eruit, &

Pariſ.

Pariſ. 1660 fol. euulgauit, quem librum illuſtri cuidam viro eruditus magni in Germania nominis diligenter commendauit, quamuis admodum raro nunc reperiatur. WINCKELMANNI *Stemmata ducum Brunſuic.* idiomate patrio 1688 prod. IOH. GEORG. WALTZII *Genealogia Würtenbergenſis* Stutgard. 1657 emiſſa; IOH. ORLERO *Genealogiam Naſſouicam* ad annum vsque 1616 continuatam Lugd. Batav. anno eodem excuſam, & BOECLERO alteri, non clariſſimo illi atque celeberrimo, *Ruthenorum & Plauenſium dynaſtarum* (deren von Reuß und Plauen) *ſtemma* Gerae 1684 debemus. FRANCISCVS ADAMVS COMES BRANDISIVS huc quoque pertinet, qui ſermone germ. *Coronam nobilitatis Tyrolenſis* compoſuit, Bolzani in 4 anno 1678. Ceterum aulas ſingulorum principum & illorum arcana effraeni temeritate indagare ſub *Conſtantini Peregrini* ſchemate latens OLDENBVRGERVS auſus eſt, cuius *Itinerarium* vt vocat *politicum* circa annum 1668 in 12 prod. & poſtea ſemel atque iterum praelo ſubiectum fuit. Imitatus eſt hunc Conſtantinum, ſed cautius ficti nominis ſcriptor, qui *Sinceri Germani a Lapide* nomen ſibi impoſuit, & *Mercurium* ſuum *germanum* anno 1688 primum publicauit: qui deinde, ni fallor, nouo ſupplemento ornatior lucem adſpexit. Nec ſicco pede praetereundum mihi eſt DANIELIS EREMITAE hominis Belgae,

qui deſertis reformatorum caſtris ad romanenſes tranſiit, & apud Italos in magni Hetruriae ducis aula vitam exegit, ac in comitatu legatorum ab eo miſſorum Germaniam adiit, *Iter*, in quo principes Germaniae, quales ſub initium ſeculi erant, mordaciſſime perſtringit. Adiunxerant Elzevirii hunc libellum Statui aulae Ferdinandi II, qui inter reſpublicas ipſorum prodiit ſed quanquam multis diſpliceret, nemini tamen in animum venit, heroum noſtrorum famam contra libellum fere infamem aſſerere, donec anno 1688 BENEDICTVS HOPFERVS, Tubingenſium dum viueret profeſſor, *Stricturas in hoc iter* emitteret. Electores, archiepiſcopos & alios ex clero principes anno 1699 Dresdae 12 lingua patria repraeſentauit CAROL. SCHARSCHMIDIVS. Nec omittenda credo venit anonymi, qui ſe *Waremundum Sincerum* vocat, *proſopographia quatuor electorum*, vt audiunt, ſecularium imperii 1668 in 4 ſtilo quem lapidarium vocant, exarata. Quod genus ſcriptionis, quia deinde a viro non incelebri in magni momenti negotiis adhibitum fuit, infra a nobis excutietur, & Boecleri de eo ſententia proferetur.

§. IV.

Iuris publici doctores legumque Germaniae publicarum interpretes, ſi omnes hic adducere vellemus, volumen nobis non diſſertatio ſcribenda eſſet. Bene tamen ſe res habet, quod

vir

vir maximus, cui olim Argentinae innoteſcere volupe fuit, IOH. GEORG. CVLPISIVS, a conſiliis ſanctioribus sereniſſ. Würtenberg. ducis, ſub SVLPICII anagrammatico nomine 1688 in *epiſtola de ſtudio iuris publici recte inſtituendo*, pleroſque eo pertinentes ſcriptores non tantum recenſuit, ſed ſcitum etiam iudicium tulit. Vnde hoc opuſculum, ſi eius nanciſcendi facultas offertur, vehementer commendamus. Noſtrum igitur eſt, praecipuos tantum quique ſine piaculo omitti vix poſſunt, & poſt Culpiſium ſua ediderunt, paucis indicare. Proderit autem reſpicere ab initio ad leges vetuſtas, quae hodienum obtinent, eoque fini CONRINGII librum *de Origine iuris germanici*, Helmſtadii 1649 in 4 emiſſum: & SCHOTTELII *de ſingularibus quibusdam & antiquis in Germania iuribus* tractatum, & Guelferbyt. 1678 immo & dein iterum Francofurti praelo ſubiectum euoluere. Nouas autem leges perluſtraturo offerent ſeſe primum *conſtitutiones imperii in comitiis publicis ſancitae*, *Receſſus* vulgo vocant, quarum ego editionem optimam Moguntinam 1660 fol. poſſideo. Has excepit *Lex regia Caroli IV* ſiue *Aurea bulla*, quam LIMNAEVS notis egregiis Argentorati 1686 in 4 recuſis, & THVLEMARIVS ſingulari de ea *commentario* primum Spirae 1687 illuſtrarunt. *Capitulationes* ſiue leges ab electoribus iam a Caroli V temporibus ſingulis caeſaribus praeſcriptas,

idem LIMNAEVS notis egregiis perluſtrauit & explicauit; quas autem aulae caeſareae admodum ingratas, ac idcirco in ipſis quaſi incunabulis ſuppreſſas fuiſſe, ex ore beati Boecleri in ſcholis ad Notitiam imperii me audiuiſſe memini, licet poſtea deflagrante inuidia impune per ora doctorum circumuolitent. Interim *Capitulationem nuperam Ioſephi* AHASVERVS FRITSCHIVS I. C. innumeris ferme ſcriptis notus, illuſtrauit. Poſt capitulationes, ſanctionum publicarum vim obtinent *pacis Weſtphalicae* ſiue *Monaſterienſis tabulae*, quas idcirco ingenti commentario ſub ſpecioſo *notitiae rerum illuſtrium imperii* titulo, & ficto tum *Burgoldenſis*, tum *Waremundi a Frideberg*, ac demum *Franciſci Irenici* nomine illuſtrauit, an onerauit OLDENBVRGERVS, prod. 1669 Geneuae 1670 in 8. Maiori fotaſſis laude dignandae ſunt VLRICI OBRECHTI, praetoris apud Argent. regii, praeceptoris olim noſtri, absque tamen nomine editae notulae Francof. 1695. Cum vero per hanc ipſam ſanctionem ſecuritas proteſtantium ſolidiori quam antea fundamento innitatur, non defuere ex latinis, qui per cuniculos has pacis leges impeterent, ex quibus GVILIELMVS IGNATIVS SCHÜTZIVS *Manuali pacifico*, anno 1688 emiſſo, nomen ſuum profeſſus eſt, quem tamen HIERONYMVS BRÜCKNERVS, principis Saxo-Gothani conſiliarius, qui ſub HEIDENI

BORRO-

BORROMENI RVCKRVNTI nomine latere voluit, notis & animaduerſionibus, Veronae Germanorum 1689 publicatis, non ſegniter caſtigauit. Mox vero ciuis noſter BVCKISIVS, iuris & hiſtoriarum in alma Viennenſi tunc temporis profeſſor, easdem tabulas obſeruationibus 1695 Viennae in 4 emiſſis ſollicitauit. Cui tamen ingentes gratias debemus, quod multa ibi propalarit, quae in rem noſtram faciunt; quia tamen durius alicubi egiſſe viſus eſt, PFANNERVS ſupra laudatus epiſtola non magis modeſta, quam erudita, hominem officii ſui admonuit. Enimuero cum per pacem nuperam Riſwicenſem, in quibusdam & quidem non exigui momenti rebus, pax Weſtphalica antiquata ſit, vtique ſimul addenda erunt FRITSCHII *Annotata in pacem Riſwicenſem* Francof. 1699 in 4. His imperii publicis legibus perluſtratis, antequam ad reliquos iuris publici doctores accedamus, GOLDASTI quoque *Collectio conſtitutionum imperialium* ad annum vsque ſeculi 13 perducta, & Francof. in fol. 1673 & 1674 tomis 3 recuſa, indicanda fuit. Quanquam pauciſſima ad hoc ſeculum ſpectantia habeat. Ceterum inter iuris publici ſcriptores conſiderandi veniunt, partim qui ſyſtemata & compendia iuris huius generalia ſcripſerunt, partim qui ſingulares materias pertractandas ſibi elegerunt. Inter priores ſcilicet ſcriptores, ſi temporis, quo vixerunt, rationem

habeamus, primo vtique loco ponendus erit praeter DOMINICVM ARVMAEVM, anteceſſorem Ienenſem, DANIEL OTTO, cuius *Ius publicum* ante hac in academiis, vbi tamen haec ſtudia admodum parce excolebantur, iuuentuti praelegebatur. Verum cum multis admodum ſcateret naeuis, IOH. LIMNAEVS, *notas* addidit luculentas, in quibus Ottonem tum emendauit, tum ſuppleuit. Eandem operam ſed magis conciſe, accurate tamen, huic ſcriptori impendit *Boeclerus*. Editionem cum notis Limnaei poſſideo Witteberg. 1658, Boecleri vero notae prodiere Argentor. poſt obitum viri celeberrimi, cura generi Obrechti 1675 in 8, quibus ſub finem acceſſit praeclara huius *iuris auctorum notitia*. De *Ottone* vid. *Culpiſius* loco iam cit. p. 19 - 21. Poſt Ottonem merito laudatur IACOBI LAMPADII *Conſtitutio reipublicae rom. germ.* i curante *Conringio* Leidae forma minima 1634 impreſſa, qui tamen poſtea inſigni huius libelli vtilitate captus *animaduerſiones* addidit, ipſo adhuc auctore meliores, quae ad partis vsque 3 cap. 7 anno 1671 Helmſtad. lucem in 4 adſpexerunt, quae vero adhuc reſtant MStae paſſim circumferuntur & magnifaciendae ſunt, ſi haberi poſſunt. vid. Culpiſius p. 22 ſeqq. HIPPOLYTI A LAPIDE *de ſtatu imperii germanici* librum Freiſtadii, vt titulus prae ſe fert, 1647 in 12 excuſ. anno vero 1648 praelo primum in 4to ſubiectum, an hic

recenſeam,

recenſeam, vel potius ſilentio inuoluam, ambigo. Equidem dum adoleſcens eſſem, liber iſte ab omnibus, praeſertim ſemidoctis, ac qua fini compoſitus eſſet, parum gnaris, cimelii inſtar habebatur; ſed cum prudentiores incautis lectoribus fucos, quibus iſta ſcriptio incruſtata eſt, detegerent, prouidique monerent, ibi non imperii ſtatum, qualis eſt, aut qualis eſſe debebat, ſed qualem exoptabant auguſtae Auſtriacorum domus hoſtes, ibi repraeſentari, ſcriptoque inter media arma hoſtili animo conſignato, omnem detraherent fidem, longe minori in pretio haberi coeptus eſt; praeſertim cum ſuccederet alius infra nominandus, qui cum ingenti plauſu vndiquaque exciperetur, famam Hippolyti haud parum obſcurauit. Quis verus libri auctor fuerit, mihi nondum conſtat, ex ſcholis tamen Boeclerianis, quas iuvenis frequentaui, & ex ſermonibus viri celeberrimi ſuſpicio oborta fuit, pleraque, ſi non omnia, *Axelio Oxenſtirnio*, rerum ſuecicarum tunc temporis arbitro, fortaſſis etiam *Saluio*, Suecorum ad comitia pacis Monaſterienſ. legato, deberi, quamuis alii, ſed falſo Chemnitio infra citando hoc ſchediaſma tribuerint. Refutare Hippolytum conatus eſt ICtus Hamburgenſis SLVTERVS, diſſertat. in 12 1653 Hamburgi, ſed prudentibus parum viſus eſt profeciſſe. Itaque magis laudanda opera BOECLERI, qui notulis plane limatis, quid in Hippolyto

laudandum, quid vituperandum, animaduertit; beneque meruit de republica litteraria OBRECHTVS, cum anno 1674 huic ſoceri poſthumo foetui obſtetricatus eſt: euoluatur Culpiſius p. 56. Hippolytum & omnes hactenus enarratos obſcuraſſe videtur IOH. LIMNAEVS, cuius ingens & vaſtum opus etiamnum a iuris publici ſtudioſis magni fit. Equidem non ignoro, MONZAMBANVM, vel quisquis tandem ſub hac larua latet, praeter molem id etiam obiicere, quod plura paſſim infarta ſint, quae ad rem nihil faciunt, vbi febriculoſam iuris ciuilis notitiam oſtentari, nihilque deprehendi, quod vel mediocrem politices ſolidioris cognitionem ſapiat. Noui quoque, virum doctum in ſcholis priuatis affirmaſſe, quicquid Limnaeus egregii haberet, omne propemodum ex diſputationum Baſileenſium voluminibus octo transſcriptum eſſe, aliquando citato, aliquando ſuppreſſo earum nomine; verum non ſtatim idcirco abiiciendus eſt magni nominis ſcriptor, qui eam, quam vix vllus alius, diligentiam adhibuit, adeoque inſtar locorum communium habendus eſt, ad quem quidquid in hac diſciplina memoratu dignum occurrit, referre posſis. Adeoque laudabilem ſane operam poſuerunt viri doctiſſimi, AHASVERVS FRITSCHIVS & IOH. SCHILTERVS, quorum ille editionem Argentinenſem 1681 innumeris acceſſionibus locupletauit, hic vero nuperrime melio-

meliorem & luculentiorem ſperare iuſſit, quod quidem omnibus, qui Schilteri tum doctrinam, tum iudicium norunt, ingentem operis egregii exſpectationem mouit; inſp. Culpiſius p. 76 vsque 83, vbi ſtrenue noſtrum contra obtrectatores tuetur. Ceterum vix opus fuiſſet, vt Limnaeum in compendium miſiſſet ſcribax homo OLDENBVRGERVS, de cuius *Limnaeo enucleato* non admodum benigne iudicant iuris publici doctores. Et fortaſſis, cum grano tamen ſalis, hic applicari poſſet, quod alicubi de Thuano enucleato Conringius (Stöckenius ſcilicet enucleauit Thuanum) dixit: *quid enuclees, vbi totus liber nucleus eſt?* Enimuero poſt operoſa haec volumina aliis preſſior ſcribendi ratio placuit, & prae ceteris commendatur LVDOLPHI HVGONIS egregius liber *de Statu regionum Germaniae,* Gieſſae 1689 in 8 recuſus. EI[illegible]I FRIDERICI ab HEERDEN *Fundamentum* ſeu *baſis imperii German.* (die Grundfeſte des heiligen römiſchen reichs,) Francof. 1663 in 8 excuſa, a multis ob ſoliditatem ſtylique patrii nitorem laudatur; nec tamen deſunt, qui electoribus iniquiorem, principiis regiis plus iuſto fauiſſe contendunt. SPRENGERI *Ius publicum,* quod Francof. 1652 in 4 prodiit, ideo multis placet, quia comitiis frequenter interfuit iſte ſcriptor, adeoque ob vſum & experientiam probandus eſt. Verum anno 1668 exortus eſt, qui paruo libello magnam ſibi famam

circumdaret, ficti nominis ſcriptor SEVERINVS DE MONZAMBANO *Veronenſis*, de cuius *Statu imperii Germanici* liberrimo ſcripto & paradoxis multis referto, imprimis quod ad formam & vnitatem reipublicae germanicae attinet, eiusque aduerſariis & commentatoribus plura dicerem, niſi poſt Culpiſium (partim in epiſtola iam citata p. 38 & 39 ſeqq. partim in non magis operoſa, quam erudita ad Monzambanum commentatione, quae Stutgard. 1687 prod.) ſerio hoc agentem, fruſtraneus hic labor foret. Itaque hoc tantum adiicimus, praeter Culpiſium OBRECHTVM etiam Argentor. 1684 in 8 hunc ſcriptorem cum ſpecimine exercitationum academicarum publicaſſe, & CHRISTIANVM THOMASIVM anno 1695 idem egiſſe, qui, cum reliqui Monzambani libertatem & audaciam intra cancellos reuocare [illegible]nentur, ſolus, vt eſt nominis Pufendorffiani [illegible]tor, huius ſcriptoris vbique propemodum patronum egit. Reuera enim PVFENDORFFIVS nunquam ſerio negauit, ſe huius libelli auctorem exſtitiſſe; quin potius in diſſertatione *de Republica irregulari*, quae inter academicas iunctim in 8 excuſas legitur, Monzambani de forma imperii germanici ſententiam ſtrenue defendit, ac poſtea contra SCHARSCHMIDIVM & alios magna vi aſſeruit. Equidem cum iſte ſcriptor non omnibus ob paradoxa placuerit, licet alias ſtilo vſus fuerit venuſtiſſimo,

& proteſtantium cauſſas contra clericos romanenſes maſcule egerit, plerisque arriſit potius BOECLERI *Notitia imperii* Argentor. 1674 in 4, & iterum anno 1690 in 8 edita. Qui profecto liber, licet reuera index potius ſit iuris publici, & rerum in eo memorabilium, quam iuſtum compendium, tanto tamen iudicio conſcriptus eſt, & quae alibi non legas continet, vt omne profecto tulerit punctum; adeoque egregio publico praeclaram nauaſſet operam Obrechtus, ſi vel Culpiſio teſte, ex viri maximi in hanc Notitiam ſuam ſcholis ſua & aliorum opera collegiſſet ſyllogen ſub elogio Collegii iuris publici, ad inſtar operoſi in ius priuati Collegii Argentinenſis exhibuiſſet. Dolendum autem eſt, ipſum Boeclerum nunquam eo adigi potuiſſe, vt has repetitae lectionis ſcholas & commentationes ipſe in vnum coactas cum orbe litterato communicaret. IACOBI THOMASII, philoſophi Lipſienſis clariſſimi, *Doctrina imperii romano-germanici hodierni tabulis comprehenſa*, & Lipſiae 1672 edita, ob methodi concinnitatem non paucis probatur. MYLERI AB EHRENBACH egregius *de Principibus & ſtatibus imperii* liber, a Culpiſio p. 37 & 38 enixe commendatur, aliis etiam ob perſpicuitatem laudatur. RHETIVS, ex anteceſſore Francofurtenſium electoris Brandenburg. conſiliarius, vir maximi nominis, Francofurt. ad Viadrum 1683 in 8 emiſit *Inſtitutiones iuris publici*,

magnis, nec immerito, paſſim elogiis mactatas, vid. Culpiſius p. 50. Imprimis autem PHILIPPI REINHARDI VITRIARII, IC. & anteceſſoris Lugdunenſis Batav. *Inſtitutiones* ob id, quod obſeruauit inter immodicam longitudinem & arctam breuitatem medium, multis ſeſe probauit; prodiit primo Spirae invito auctore 1683 in 8, nomenque erat praefixum *Nicolai Dancquerti*, ſed poſtea ipſe auctor correctiorem dedit editionem, cum adiectis notis tabulisque genealogicis ſtatuum imperii, cuius ego editionem Friburgenſem (fictum vero hoc eſt nomen) 1691 poſſideo. Ceterum hoc ipſo & ſuperiore anno IOH. FRIDERICVS PFEFFINGERVS Argentinus, profeſſor iuris publici in academia equeſtri Luneburgicus, hunc noſtrum Vitriarium notis perpetuis, aegre tamen ferente, vt audio, auctore adhuc ſuperſtite, illuſtrauit: prodiit haec commentatio Gothae in 4; de ipſo vero Vitriario vide Culpiſium p. 52 & ſeqq. Ioh. Strauchius *, celeberrimus Ienenſium & Giſſenſium D. Culpiſio celebratus p. 65, diu, dum viueret, hoc ſaxum voluerat, putabaturque, vt erat ſummo iudicio ſummaque eruditione, perfectum aliquid emiſſurus, ſed cum

* Cum ego adhuc 1668 operam nauarem litteris Ienae, vbi Strauchius florebat, parabat ſcholas ſeu collegium in Inſtrumentum pacis Weſtphal. & poſtulabat 10 auditores, pro labore vero a quouis 100 imperiales. Hos decem tamen non poterat colligere, ſicque opus euanuit.

morte

morte immatura abreptus, ſpem de ſe conceptam deſtitueret, dignus tanto doctore gratusque diſcipulus, is ſcilicet quem modo nominavimus, CVLPISIVS ſpecimen operis 1683 Francof. 8 publicauit, ex quo tanquam ex vngue leonem agnoſcas. Cum Gothae adoleſcens bonis litteris memet totum impenderem, a principibus iuuentutis magni herois Erneſti Pii filiis, *Synopſis publici iuris*, (**beſchreibung des heiligen römiſchen reichs deutſcher nation,**) germanice ſcripta, tantum non in oculis ferebatur, ſummique beneficii loco a me habebatur, cum opera amici fugiente ſaltim oculo perluſtrare daretur, praeſertim cum auctorem haberet virum noſtro ſeculo maiorem, illuſtrem SECKENDORFFIVM. Verum poſtea anno 1687 haec ipſa ſynopſis, absque tamen auctoris nomine, cum orbe litterato communicata fuit, quam idcirco nobilioribus & huius ſtudii auidioribus auditoribus noſtris merito commendamus. Anno 1685 prodiit GABRIELIS SCHWEDERI, iuris in academia Tubingenſi doctoris, *Introductio in ius publicum romano-germanicum*, ſecunda editione reviſa atque aucta, cui poſtea tertia, ni fallor, ſucceſſit: mirifice eum laudat Culpiſius p. 48. Sunt tamen qui experientiam in eo deſiderent, & Sprengerum ideo praeferunt, adeoque coniungendus erit cum eo LINCKERVS, cuius in Schwederum notae anno 1689 Ienae prodierunt.

Poteruntque adiungi eiusdem LINCKERI *Analecta in ius vniuerſum*, ibidem anno 1691 in 4. HENRICVS COCCEIVS, Francof. erudit. anteceſſor, 1695 iuris publici prudentiam in 8 compendiariam exhibuit, vbi multa legas, quae alibi fruſtra quaererentur. Idem egit Argentinae anno 1696 IOH. SCHILTERVS, cuius *Inſtitutionum iuris publici* tomi 2, non tantum ob methodum concinnam, ſed ob leges etiam fundamentales, itemque acta publica atque reſponſa & conſilia nondum edita, quae tomo poſteriore exhibentur, omnino commendandae veniunt. IOH. WOLFGANGI TEXTORIS Francof. 1697 in 4, & IOH. FRIDERICI BOECKELMANNI *Synopſes iuris publici*, poſt eius obitum Groeningae 1698 in 8 editae, mihi quidem nondum ſunt viſae, placuit tamen ob auctorum famam, quam optimo iure nacti ſunt, eas hic indicare. Et hi quidem ſunt potiſſimi ſyſtematum ac compendiorum ſcriptores, a quibus ad illos, qui varia iuris publici argumenta ſingularibus libris illuſtrarunt, digrediendum eſſet. Sed nos promiſſae breuitatis memores ex immenſa multitudine pauciſſimos nominabimus. Videatur igitur *de Electione imperatoris* diſſertatio gallica Pariſiis 1658, ubi etiam de electoribus imperii agitur. Sed omnino praemittantur, quas pene neglexeramus, HERMANNI CONRINGII *Exercitationes academicae de republica imperii german.* 1674 in vnum volumen

in

in 4to redactae, multiſque in locis mutatae & auctae. Addatur etiam *de Electione imperatoris* VLRICVS OBRECHTVS, in diſſertatione Argentinae 1676 cum aliis edita. *Formam imperii germanici* & a prudentioribus aſſertam hactenus *vnitatem*, ſub eiuſdem Obrechti praeſidio propugnauit CVLPISIVS, quae non tantum in faſciculo diſſertat. 3 eſt, ſed etiam ab Obrechto commentationibus in Monzambanum ſubiuncta fuit. *De Electione & coronatione Romanorum regis*, vid. BVCKISIVS, Pragae 1689 in 4. *Octouiratum* ſiue 8 imperii electores conſiderauit THVLEMARIVS, Francof. 1688 in 4. Cuius libri noua, ni fallor, nuper editio prodiit. *Sacri romani imperii officiales*, vt audiunt, & *ſub-officiales* non magis erudita quam eleganti diſſertatione illuſtrauit 1686 WAGENSEILIVS. *Praerogatiuam* ſiue, vt vulgo loquimur, *praecedentiam electoribus prae* purpuratis eccleſiae romanae patribus, vel *cardinalibus*, diatribis 5 ſine anni & loci nomine impreſſis vindicauit Germaniae decus & litterarum delicium FREINSHEMIVS, Heidelbergenſium tunc temporis profeſſor honorarius, qui etiam electoris Palatini contra Bauarum circa vicariatum iura, ſub nomine *Gratiani Philoeci* (philoecus ſignificat einen der ſein hauß lieb hat, einen freund ſeiner heymath,) quod gallic. etiam EZECHIEL SPANHEMIVS fecit, maſcule tutatus eſt. *De Vicariis imperii*

iuuabit quoque inſpicere *hiſtoriam vicariatuum imperii* germ. idiom. Ienae 1690 in 4to edit. Quod ad principes attinet, idem, quem paullo ante laudaui, *Seckendorffius* in *Idea principis germanici* (im deutſchen fürſten ſtaat,) ſaepius recuſa, omnibus palmam dubiam reddidit. Ceterum neſcio quem *potentatum*, aut vt ipſe vocat, *ſuprematum* principibus Germ. ad exemplum italorum attribuere multa quidem cum eruditione conatus eſt ficti nominis CAESARINVS FÜRSTENERIVS, quem virum magnae eruditionis nec minoris iudicii, cum electoribus iniquior videretur, nec tamen ſine ipſius laude, caſtigarunt animaduerſionibus 1682 publicatis (quas animaduerſiones addidit *Dominus de Iena*, conſil. Brandenburg. vti creditur) & diſſertatione de Suprematu Hyetopoli, id eſt, Ratisbonae 1687 publicata anonymi, ipſi vero Fürſtenerii liber primo 1628 prodiit. Ante Fürſtenerium de Summa principum Germaniae poteſtate ſchediaſma 1689 exarauit RELFENDSO quidam, ſiue ROSENFELDIVS, quem adoleſcens Gothae vidi & colui. *Domania Germaniae* (die cammer-güter,) deſcripſit IOH. PHILIPPVS RINGLERVS, libris tribus Ienae anno 1698 in 4to publicatis, ex quibus non tantum interior rerum germ. peritia, ſed elegantiorum etiam litterarum ſolida cognitio elucet. De *Nobilitate imperii libera* inſpiciatur opus poſthumum, quod 1699 Campidonae (im cloſter

cloſter Kempen,) in fol. prodiit, PHILIPPI KNIPSCHILDII, & adiungantur, qui ante ipſum idem egerunt, HIPPOLYTVS a TREISBACH, Tubing. anno 1644 publ. & *anonymus* Stutgard. 1695 editus, qui de eo quod nobilitati Sueuicae circa circuli defenſionem & diſpoſitionem conuenit, ſedulo diſpexit. *De Ciuitatibus liberis imperii* iuſto volumine idem KNIPSCHILDIVS egit. *De Patriciis* in illis vrbibus commorantibus, vid. PRAVNIVS in ſingulari tractatu Norimberg. 1667 in 8 edito. *De Comitiis imperii* exſtat peculiaris diſſertatio WAGENSEILII: cui adiungatur HAGENII *Comitiologia Ratisbonenſis* 1654 in 4 excuſa, & anno 1657 recuſa, vbi ſimul ceremoniae commemorantur, quibus Ferdinandus IV in regem Romanorum inauguratus fuit. *De Receſſibus imperii* habemus diſſertationem viri magni, ERICII MAVRITII, anteceſſoris primum Tubingenſis, dein Kilonienſis, ac demum iudicii, quod eſt in imperio, ſolennis Spirenſis & Wetzlarienſis aſſeſſoris, cuius etiam omnes diſſertationes iuris publici cum reliquis viri opuſculis Francofurt. 1692 impreſſae eximiam laudem merentur. *De Imperii germanici eiusque ſtatuum foederibus* exſtat diſſertatio OBRECHTI, qui etiam de *Clinodiis imperii*, *de Expeditione romana*, (von dem Römer-zug,) & de *Vexillo imperiali* egit. Pene oblitus fueram BOECLERI *Conductorem Carolinum*, Argentorati

1663 editum, & vel eo nomine laudandum, quod in appendice oſores iuris publici & hiſtoriae germanicae, vt par eſt, excipiat. *De Foedere ciuitatum hanſeaticarum* habemus commentarium HAGENMEYERI, Francofurt. 1662 in 4, quem anteceſſit IOH. ANGELVS WERDENHAAGEN, in commentario *de Rebuspublicis hanſeaticis*, Lugd. Bat. 1631 tom. 4, & deinde vno volumine forma maiori excuſo, in quo tamen ſueta huic viro ἀκρισία merito a Conringio in exercitat. *de Vrbibus german.* atque aliis quoque caſtigatur. *De Maieſtatico circulorum Sueuici atque Franconici iure* habemus ERNESTI GOCKELII librum Lindauiae 1688 in 4 excuſum, quem tamen ſibi oblatum vtriusque circuli ordines non admodum benignis oculis adſpexerunt, ſua intereſſe exiſtimantes, ne, quae pro ſanctis & arcanis haberi volebant, temere in lucem protruderentur. *Ordinum imperii omnium nomologiam*, *archologiam*, *etologiam*, (de venia aetatis) *gamologiam* (quorſum etiam referas auctoris incerti diſſertationem de *Matrimonio morganatico* ſiue inaequali) & *metrologiam* magna cum induſtria expendit ſupra laudatus MYLERVS AB EHRENBACH libris ſingularibus, Tubingae ab anno 1663 - - 1668 in 4 publ. *De Legationibus ſtatuum imperii* ſcripſit CVLPISIVS Giſſae 1679 in 8 edit. Quibus omnibus coronidis loco adiungi merentur RHETII *Diſſertationes II iuris publici*, Francof.

ad

ad Viadrum 1678 in 4 iunctim excuſae, ex quibus maxime huc pertinent: II *de Iure ſtatuum imperii circa ſacra*; III *de Seculariſatione*; IV *de Statu Germaniae circa ſubditos*; V *de Dignitatibus imperii rom. germ.* & XI *de Sarcina emigrantium.* Vltimo tandem loco nominandi ſunt ſcriptores ad ius publicum ſubſidiarii: nempe qui lexica iuris publici compoſuerunt, quos inter familiam ducit PAVLVS MATTHIAS WEHNERVS, cuius *Practicarum iuris obſeruationum* liber ſingularis, anno 1674 Francofurt. ad Moenum recuſus, egregius eſt, ceterisque viam oſtendit, qua incedere deberent: inſpiciatur Culpiſius pag. 92 ſeqq. Huic ſucceſſit CHRISTOPHORVS BESOLDVS, ICtus Tubingenſis, cuius tamen *Theſaurus practicus* licet DILHERRI *additamenta* poſtea acceſſerint, non adeo magno applauſu exceptus fuit. Beſoldum vt in vita & moribus, ſic in hoc etiam labore imitatus IOH. IACOB SPEIDELIVS, cum additamentis *Fritſchii* 1683 & 1686 recuſus. Culpiſius p. 94 & 95 nouam nos editionem a CVRTIO conſiliario Würtenberg. ſperare iuſſit, quam tamen adhuc fruſtra exſpectauimus.

§. V.

His quaſi praecognitis hiſtoriae germanicae praemiſſis, inoffenſo nunc pede ad ipſam progredimur hiſtoriam, quam primo in IV diſtinguere periodos:

Imam ab anno ſeculi I - - 17.

IIdam à 17, quo motus bohemici coeperunt, vsque ad annum 48, quo tricennale bellum pace Weſtphalica ſepulrum fuit.

III ab anno 48 - - 79, quo poſt varios tumultus & bellum imprimis gallicum prius, pax Neomagenſis coaluit,

IV Tandem ab anno 79 ad pacem Riſwicenſem anno 97 ſancitam & ipſum ſeculi finem. Quae diſtinctio quantum nobis commodi in immenſa actorum & ſchediaſmatum copia haerentibus allatura ſit, res ipſa docebit. Ceterum optabile foret, ſi aliquis vel ciuium noſtrorum vel exterorum, ſiue Thuani ſiue Sleidani ſuperius ſeculum illuſtrantium exemplo, huius ſeculi res geſtas hiſtoria vniuerſali & pragmatica enarraſſet. Verum tacuerunt huc vsque praeter illos, quos capite I produximus, oppido paucos & pauca complexos, reliqui omnes, & in ſingularibus tantum argumentis laborarunt. Itaque nunc id agemus, vt primo commemoraturi ſimus *hiſtoricos*, qui iure vel iniuria hunc titulum ſibi vindicarunt: ſequentur, qui *annales virorum illuſtrium, regionum & vrbium* compoſuerunt; nam & hos, quatenus res ſeculo hoc peractas attingunt, hiſtoriae multum lucis afferre, nemo negabit: tertio loco ſiſtemus *vitarum ſcriptores*, quos excipient *acta varia* & ſchediaſmata, magno numero cum ſelectu tamen repraeſentanda. His ſubiungimus, qui *epiſtolis*, *orationibus*, *poematibus*, *fabulis*,

fabulis, hiſtoriam germanicam huius ſeculi attigerunt; Agmen claudent *ſcriptores miſcelli*, & hos inter etiam, qui pompis & ſolennibus deſcribendis operam nauarunt. Enimuero id imprimis monemus, neminem hiſtoriam, huius ſeculi praeſertim, vt circa initia & media ſeſe habet, rite intellecturum, niſi aliquem ſuperioris ſeculi hiſtoriae praeguſtum perceperit, cum ipſa rerum momenta arcte inter ſe connectantur. Adeoque praeter Sleidanum diligenter praelegendum maxime hic laudamus IOH. STRAVCHII fama perennatura digniſſimi *diſſertationes exotericas de ſeculi ſuperioris illuſtribus controuerſiis*, Ienae ſemel atque iterum in 4 recuſas: & BOECLERI *librum memorialem de rebus geſtis ſeculi 16* nuperrime iterum* praelo ſubiectum.

§. VI.

Primam huius ſeculi, quam nos fecimus, *periodum* hiſtoricam vix vllus ſcriptorum attigit, praeter capite ſuperiore enarratos, *Thuanum*, *Brachelium*, *Godofredum* & *Sleidani continuatores*, cum tamen maxime e republica fuiſſet, exactius cognoſcere ſemina diſſidiorum, a Gallis & Hiſpanis, tunc inter principes & ordines Germaniae ſparſa, ex quibus non laeta, ſed cruenta poſt bellorum ſeges enata eſt.

* Recognitus nimirum, auctus, & ab innumeris, quibus ſcatebat, mendis repurgatus, indicibusque neceſſariis inſtructus; opera *Ioh. Burchardi Maii*, Kilonii 1697 in 8.

Ceterum forte prodibit ſeculo ſequenti, vbi magis tutum erit libere dicere & ſcribere, qui nihil odio, nihil gratiae dans, iliaden malorum noſtrorum poſteris enarrabit. Properamus igitur ad ſecundam, in qua plures quidem ſeſe offerunt, & ab vtraque parte bellantium ſcriptores, vbi tamen hoc nobis concedi petimus, vt germanicis bohemica immiſceamus, tam arcte quidem rebus noſtris innexa, vt ab iis divelli non poſſint. Quae etiam cauſſa eſt, cur ſub finem huius capitis ſcriptoribus bohemicis locum daturi ſimus. Principe igitur loco ponatur AVCTOR ANONYMVS *Epitomes rerum germanicarum*, ab anno 1617 ad 1643 geſtarum, quem PAPPVM canonicum Conſtantienſem vulgo perhibent, magno cum iudicio magnaque cum libertate exaratum. Nam quamuis proteſtantibus non faueat, minime tamen diſſimulat, a ſuis quoque erratum fuiſſe, Germanosque quaſi in *paria* * gladiatorum compoſitos, in gratiam exterorum, libertatem germanicam funerantium, mutuis ſeſe ictibus confeciſſe. ANDREAE ab Habernfeld, cuius infra forſitan in rebus anglicis iterum mentio fiet, *Bellum bohemicum*, Lugd. Batau. 1646 prodiit, in quo auctor aperte oſtendit, ſe Bohemis fauere. NICOLAVS ſeu IVLIVS BELLVS, *Laureae auſtriacae*, (Oeſterreichiſche lorber-krantz,) libris 12 ab anno 1617 vsque 27 auctor, qui

* Ludo gladiatorio.

Francof.

Francof. 1627 ſermone german. & lat. lucem adſpexit, imaginesque ſimul prouinciarum, vrbium & heroum, ſed non ſatis affabre ſculptas, exhibet, caeſareanis partibus addictus, adeoque *Habernfeldio* opponendus eſt. Iungendus erit Bello AVBERTVS MIRAEVS, cuius *Hiſtoria belli bohemici* 1622 cum auctario latine in 8 prodiit. LVDOVICVS etiam AVRELIVS PERVSINVS, Italus, idiomate hetruſco *Hiſtoriam de rebellione Bohemorum* ſcripſit, Romae 1625 in 8 impreſſam. *Ephemeris Bauaricae expeditionis in vtramque Auſtriam & Bohemiam*, quae Monachii 1621 curante *Raphaële Sadelerio* cum nitidiſſimis figuris aeneis 4, praelium Pragenſe repraeſentantibus, & tabula quoque geographica ſatis accurata illarum regionum, quae belli ſedes fuerant, lat. & germ. lucem adſpexit, non contemnenda eſt, cum ſatis modeſte ſcripta ſit, & multa habeat, quae alibi non inuenies. *Expeditionem Caeſareo-Bouquoianam* ficti nominis ſcriptor, CONSTANTIVS PEREGRINVS, anno 1621 lat. in 4 publicauit, eadem deinde forma germ. excuſam. Verum cum Bouquoio nimium fauere, laudesque Maximiliani Bauariae ducis imminuere videretur, prodiit laruatus itidem BERCHTOLDVS a Rauchenſtein, Bruggae, aut potius Monachii editus, qui Conſtantium Peregrinum caſtigauit, & iter quadrimeſtre Bouquoii relegit. PORNETVS, homo Gallus, commentarium *de Bellis*

ſabaudicis & bohemicis ſcripſit vernaculum, vsque ad annum 1622, Duaci 1628 in 8. Et hic omnino ob dignitatem commemorandae ſunt, licet alias ad acta & commentarios pertinerent, *Memoriae legatorum gallicorum*, *Caroli* Engoliſmenſium ducis, & *Bethunii*, qui a Ludouico XIII ad principes Germanos & ipſum caeſarem Ferdinandum II miſſi, res Auſtriacorum, quod profecto mirere, non parum adiuuarunt, dum proteſtantium proceres miris artibus a Friderico Palatino diſtraxerunt, & pacti Vlmenſis, quod Bohemis fatale fuit, auctores exſtiterunt. Prodierunt Memoriae illae Lutetiae Pariſ. anno, ni fallor, 1665, ſuntque inter praecipua hiſtoriae huius ſeculi inſtrumenta optimo iure reponendae. EVERHARDVS WASSENBERGIVS Embricenſis librum nobis dedit ſingularem *de Bello inter imperatores Ferdinandum II & III, & eorum hoſtes, Fridericum* ſcilicet *Palatinum, Gabrielem Bethlehemium, Daniae, Sueciae & Franciae reges* geſto, quem ad annum 1640 continuauit, *Florum* paſſim *germanicum* appellant; & ipſe quidem liber nihil niſi vulgaria continet, ſtiloque exaratus eſt non vsque adeo nitido, ſed Flori nimia interdum imitatione ſatis putido. Verum editio germanica, quae anno 1647 Amſtelod. cum *animaduerſionibus Fürſtenbergii* comitis publicata fuit, iamque rariſſime inuenitur, inter optima certe ſcripta eſt numeranda, tam multa enim ibi ſingu-

ſingularia & ſelecta occurrunt, vt omnino auctor ſim noſtris, eius ſi facultas data fuerit, tanquam cimelium comparandum. Fuit enim Fürſtenbergius ille non tantum vir magnae dignationis, ſed maximis etiam rebus gerendis adhibitus, & eorum quae refert teſtis oculatus. CAROLI CARAFAE, epiſcopi Auerſani, nuncii apoſtolici apud Ferdinandum II, commentaria *de Germania ſacra reſtaurata*, ad annum vsque 1629 deducta, ad hiſtoriam potius quidem eccleſiaſticam viderentur referenda, niſi ſimul curſus victoriarum caeſarianarum & arma contra Bohemos, Hungaros, Proteſtantes, & imprimis Daniae regem feliciſſime adminiſtrata complecterentur. Poſſideo ego nitidiſſimam editionem belgicam, quae Coloniae quidem Agrippinae 1639 in 8, ſed typis batauicis prodiit, cui nequaquam nitore reſpondet alia & ipſa Colonienſis minor, & minus venuſta. Iamque poſt belli bohemici & certaminum ex illo enatorum ſcriptores ad ſuecicos progredimur, vbi noſtros nolim decipi duobus ſatis ſpiſſis IOH. PETRI LOTICHII *Hiſtoriae german.* voluminibus, quibus ille vel praemiſit vel ſubiunxit hiſtoriam germanici belli compendiariam in panegyrico ad Ferdinandum IV vsque ad 1653, quo Francof. in 12 impreſſum fuit. Fuit enim Lotichius vir quidem doctus & poeta quoque non inelegans, ſed ad hiſtoriam ſcribendam minus aptus, adeo, vt Boeclerus in

Bibliographia curioſa Germanopoli anno 1678 in 8, ſed quod dolendum, vitioſiſſime publicata, acerbe quidem, ex vero tamen cenſuerit, Lotichii hiſtoriam germanicam ineptisſimam & nullius pretii eſſe. Maiori certe cura & induſtria rem exſecuti ſunt PHILIPPVS Landsberg Belga, cuius *Belli germanici hiſtoria* circa annum 1633 lat. in Belgio emiſſa fuit, legique meretur. Nec inepte *de Bello ſuecico* ſcripſit in *Commentariorum* libris 3 PETRVS BAPTISTA BVRGVS, Genuenſis, Leodii anno 1639, & deinde 1643 impresſis, cui vltimae editioni imagines, ſed minus venuſtae acceſſerunt: rarum ille animi candorem prae ſe fert, ideoque ſub finem etiam pag. prioris editionis 414 & 415 magnificum Guſtaui elogium contexuit, licet alias Ferdinando impenſe faueat. IOSEPHVS RICCIVS, ex canonicis regularibus religioſus, homo Italus, latino & ipſe ſermone *Hiſtoriam bellorum germanicorum* compoſuit ab anno 1632 vsque ad annum 1640, ſed in qua praeter ſtilum ſatis emendatum vix quicquam prodeſt, & iudicium imprimis deſideres, quo ſi polluiſſet, nunquam profecto inſulſam de caede Guſtaui fabulam ex Biſaccionii commentariis ſupra memoratis operi ſuo inſeruiſſet. Boeclerus ſane in Muſaeo p. 21 his eum verbis tangit: " Alterum Italum (de Sirio antea lo-" cutus fuerat) qui lat. bella germanica nouisſi-" ma prodere memoriae ſibi viſus eſt, nec ſtudiis

artibus-

artibusque, nec facultate hiſtorici praeditum „ cenſeas. „ MATTHAEI LVNGWITII *Lauream ſuecicam*, ad mortem vsque Guſtaui contextam, Lipſiae anno 1635 in 4to tomis 3 germ. editam, magis a conatu quam ſucceſſu laudamus, cum multa inſerat a propoſito plane aliena. Maioris itaque faciendus eſt maiorum quoque voluminum auctor BOGVSLAVS PHILIPPVS A CHEMNITZ, Holſatus, Suecorum hiſtoricus, qui voluminibus 2 *Hiſtoriam belli a Guſtauo geſti* (königl. Schwediſchen in Deutſchland geführten krieg) expoſuit germanice, quorum prius Stetini 1648 lucem adſpexit, & eodem anno ab auctore latine conuerſum fuit; alterum vero, quod priori longe praeferunt prudentiores, Holmiae 1653 in fol. editum, & ex Axelii Oxenſtirnae, rerum ſuecicarum arbitri, commentariis maximam partem deſumtum fuit. Memini, virum illuſtrem Iohan. Albert. Portnerum, conſiliarium caeſareum aulicum, in ſermone quondam familiari hunc librum tanquam ſpecimen ſtili ciuilis, & imprimis litteras ab Oxenſtirna tunc temporis hoſte ad Ferdinandum II ſcriptas, quibus pacem quidem ſed animo nequaquam fracto aut degenere ab eo poſcit, mirifice extollere. Dolendum itaque, quod reliqua vsque ad finem belli volumina quae in mundo fuiſſe SCHEFFERVS in *Suecia litterata* p. 290 tradit, in publicum non exierint. Attamen bene ſe res habet, quod

illuſtri PVFENDORFFIO haud dubie viſa tractataque fuerint, qui ex illis aliisque monumentis fide dignis mira ſtili elegantia & perſpicuitate, iudicioque ſimul ſolido res nobis ſuecicas, & inter has maxime bellum germanicum, velut alter Germanorum & Suecorum Liuius, anno 1686 fol. Vltraiecti dedit. Et hic eſt, quem ex tot ſcriptoribus vnicum in exemplum hiſtoriae pragmaticae proponere poſſumus, mox iterum cum laude, quam meruit, commemorandus. Ceterum LVNGWITII *res a Bernhardo Vinarienſi geſtas*, & alio longe ſcriptore dignas, Lipſ. 1634 in 4 editas; vt & ENGELSÜSSII *Expeditionem Vinarienſem*, Francofurti 1648 in 8, & HENCKELIVM *de Bello Suecico*, Stetini 1631 in 4, tanquam leuioris notae auctores tantum indicaſſe ſuffecerit; niſi quod *vita Guebriantii*, equitum apud Gallos tribuni, (*Hiſtoire du mareſchal de Guebriant,*) qui germanicis maxime expeditionibus inclaruit, & ad Rothwilam an. 1643 occubuit, alioqui ſuo loco commemoranda, cuius IOH. LABVRERIVS auctor eſt, non exiguam ſuecici belli hiſtoriae lucem affert, Lutet. Pariſ. in fol. anno 1656; cui nouus titulus praepoſitus eſt Hagae Com. 1685. Inferendi quoque ſunt huic periodo ſcriptores, qui hiſtoriam pacis Weſtphalicae ex tabulis publicis ſtilo ſignarunt, quos inter eminet TOBIAS PFANNERVS, in *Hiſtoria pacis Weſtphalicae*, tertium 1697 Gothae, & quidem cum

inſigni augmento, in 8 edita, in qua vir prudentiſſimus principum ſuorum, vt & aliorum ſtrenuus defenſor, id egit, vt hiſtoria octavi electoratus curate pertractata oſtenderet, ſine conſenſu reliquorum imperii ordinum nec caeſari nec electoribus integrum eſſe, nouum electorem creare, quo ipſo nonum, de quo nunc controuerſia eſt, electoratum haud dubie oppugnauit. Ceterum magno huic viro multa debet, cum in hoc argumento verſatur Pufendorffius, adeoque non immerito, quamuis paullo acerbius, de celeberrimis actorum Lipſienſium collectoribus conqueſtus eſt in praefatione vltimae editionis, quod caſu forte ſcripſerint, Pufendorffium primum & vnicum hiſtoriae pacis Weſtphalicae ſcriptorem exſtitiſſe, cum tamen ante Pufendorffium in ſcenam prodierit Pfannerus. Addi debet eiusdem PFANNERI *Hiſtoria comitiorum*, anno 1654 & 1694 in 8 Ienae, in qua oſtenditur, quomodo tabularum pacis executio ſuſcepta fuerit. Inuentus eſt quoque, qui poſt Pfannerum Francof. 1698 in 4 publicauit *Arcana pacis Weſtphalicae*, nomen tamen ſubticens, & ex nuncii pontificii diurnis ſe, quae referat, excerpſiſſe contendens, adeoque pontificii (quem tamen potius euangelicum crediderim, & hac ratione eum perſtringere romanenſes,) perſonam ſuſtinens, quod an ita ſe habeat, prudentiores iudicabunt. In periodo 3 & 4 parum reuera aut nihil

occurrit, quod hic cum laude memoretur. Eximenda tamen eſt de numero, & ſummo cum honore commemoranda PVFENDORFII *Hiſtoria Friderici Guilielmi*, electoris brandenburgici, 19 libris conſtans, & Berolini 1695 in fol. typis elegantibus excuſae. Huius enim maximi principis geſta magnam periodi 2 & integram explent 3, nec hiſtoriam tantum Germaniae, ſed pene totius chriſtiani orbis illuſtrant, cum vix vllus fuerit regum aut principum heri vel hodie belligerantium, cum quo potentiſſimo electori non interceſſerit negotium. Dolendum vero ſummopere eſt, quod fatis abreptus vir illuſtris *Hiſtoriam belli turcici*, inſigne nimirum periodi 4 ornamentum, cui conſcribendae, vt a magnae dignationis ſatrapa mihi narratum fuit, ab aula Viennenſi Pufendorffius deſtinabatur, non abſoluerit. Reliqua, quae ſupra de Mylero, & aliis hiſtoriae vniuerſalis rhapſodis diximus, hic non ſunt repetenda. Neque SIGISMVNDI FREIBERGERI *Germania perturbata & reſtaurata*, Francof. 1650 germ. in 4 publicata ſeu verum, ſeu fictum praeferat nomen, magnopere curanda, cum frugibus inventis, glandibus facile careamus. Attamen mentio facienda eſt IOH. PALATII, ſcriptoris Veneti, quem cum neſcius ſim, ad quam claſſem referam, minimum hic repraeſentandum cenſeo. Mixto is inter hiſtoricum & oratorium dicendi genus ſtilo hiſtoriam Germaniae

ſub

ſub *aquilarum* magnifico titulo conſarcinauit, hasque inter Venetiis 1679 fol. euulgauit *Aquilam auſtriacam*, in qua tum elogia exhibet ſingulorum imperatorum ex auſtriaca gente, tum nummos etiam eorum diligentiſſime collectos producit, adeoque huius quoque ſeculi hiſtoriam integram vsque ad Ferdinandi III obitum, id eſt, 1657 in compendium mittit. Ceterum non deſunt, qui in palatio nihil praeter laborem & figuras laudent, iudicium vero & accurationem vehementer deſiderant, quorum tamen litem noſtram nunc non facimus; cum praeſertim *Aquilae francicae* obtrectatoribus reſponſione ſatis acerba os obturare conatus fuerit noſter.

§. VII.

Abſolutis hiſtoricis, in tanto eorum defectu ſuccenturiandi nunc veniunt *vitarum & annalium ſcriptores*, quibus tamen omnino praemittendum iudicamus ſingularem, quaeque a paucis annis increbuit, ſcribendi rationem, *faſtos* nempe *hiſtoricos*, ſeu geſchichts-calender. Et primam quidem faſtorum horum originem debemus LONDELIO, S. I. Gallo, de quo infra in gallicis ſcriptoribus plura. Cum enim is faſtis Ludouicéis mire placuiſſet orbi, Germani noſtri praeſertim cum etiam Coronellii in Guilielmo III recenſendo ſimilis induſtria accederet, certatim, vt ſunt plerumque exterorum imitatores, ex hoc muſtacco laureolam

quaerere, & faſtos hiſtoricos ſcribere voluerunt. Nunc quidem nobis ad manus ſunt *Faſti Leopoldini*, a viro doctiſſimo, amico noſtro, CHRISTIANO IVNCKERO, gymnaſii Schleuſingenſis in principatu Hennebergico pro-rectore compoſiti, Lipſ. 1697. *Faſti omnium electorum*, Lipſ. 1697. *Faſti Moguntinenſes*, 1698; *Treuirenſes*, 1698; *Colonienſes*, 1698; *Bavarici* eodem; *electorales Saxonici & ducales* lineae Albertinae ab amiciſſimo TENZELIO elaborati, quibus omnino praemittendi ſunt, quamuis ad hoc ſeculum non pertineant, *electorales & ducales* IVNCKERI ab anno 1400 -- 1600, Lipſ. & Francof. 1697; *electorales Brandenburgici* auctorem habent IOH. PET. LVDOVICVM, profeſſorem hiſtoriarum Halenſem; *electorales Brunſuicenſes*, aut potius *Hannoverani*, ab anno 1627 vsque 1699. *Erneſti Auguſti*, electoris I Brunſuicenſis, vita in faſtorum morem digeſta auctore IOACHIMO MAYERO, Goslar. 1699. *Faſti ducales Brunſuicenſes & Luneburgenſes* gemini, 1699 editi, in quibus differant, necdum explorare licuit. Et denique *Faſti Haſſiaci* vtriusque lineae Casſelenſis & Darmſtadienſis. Equidem laudabilem ſane nec ſpernendam fore hanc operam, certum eſt, ſi omnes parem adhibuiſſent cum Iunckero, Tenzelio, Ludouico & Mayero diligentiam; ſed immane quantum ſaepius aberrarunt iſti ſine nomine collectores, in rebus praeſer-

praeſertim exterarum gentium. Nec placet, quod plerique, dum faſtos & ephemerides ſe ſcribere affirmant, de menſibus, nedum diebus, parum ſolliciti fuerint, tantum annos enumeraſſe contenti.

§. VIII.

Vitas germanicorum heroum qui contexuerunt, non vsque adeo multi ſunt, ſi praeſertim bonitate ſcriptionis res aeſtimetur. BORNMEISTERVS Noriberg. vernaculo idiomate publicavit vitas omnium caeſarum adeoque etiam illorum, qui hoc ſeculo ſceptra tenuerunt. OCTAVIVS vero DE STRADA ſermone latino Francof. 1629 in fol. opus magis luculentum dedit, in quo vitae continentur imperatorum romanorum, a Iulio Caeſare ad Ferdinandum II anno 1629, vna cum eorum effigiebus & ſymbolis: GEORGIVS SCHOEBELIVS, Vratislauienſis an. 1672 germanico ſermone emiſit *verba & facta 15 imperatorum auſtriacorum* in 8, quem libellum, licet haud adeo magni momenti ſit, quaeſitum tamen ſollicite noui a ſatrapa quodam Auſtriae, in gratiam ſereniſſimae archiducis Leopoldi M. filiae maioris, ſtudiis hiſtoricis & chronologicis ad miraculum vsque imbutae*. Adeo pro captu lectoris habent ſua fata libelli. Ceterum vitam Rudolphi II non parum illuſtrat AVBERTI MIRAEI *Laudatio*

* Ipſa conſcripſit tabulas chronolog. & obtulit parenti, quae tamen adhuc in MStis latent.

funebris, edita inter orationes funebres clarorum virorum Hanoviae apud Aubrios 1613. Matthiam imperatorem inſigni laude celebrauit oratorum diſertiſſimus PETRVS VICTORIVS oratione, quae Florentiae 1619 in 4 prodiit. LAMORMINIVS S. I. a confeſſionibus Ferdinandi II, virtutes eius ſingulari libello enarrauit, Viennae mox poſt obitum Auguſti 1637 edito, & Coloniae 1658 ſub titulo: *Idea principis chriſtiani*; recuſo; prodiit etiam Hiſpan. Madriti 1640. Alius quidam Hiſpanus idiomate patrio *Formam auſtriacam*, vel vitam Ferdinandi II, Barcinone 1648 in 8 publicauit. Maioris momenti eſt *Vita Ludouicae Iulianae, electricis Palatinae*, Friderici V infeliciſſimi principis matris, a FRIDERICO SPANHEMIO patre, ſummo cum iudicio gall. conſcripta, quae Lugd. Batau. 1645 in 4 lucem adſpexit, in qua non obſcure oſtenditur, prudentisſimae principi parum placuiſſe calida non magis quam callida camerarii, Pleſſenii, & aliorum conſilia, quibus filius, vt rebus ſeſe bohemicis temere immiſceret, inſtigabatur. *Theatrum heroum bauaricorum*, Noriberg. 1690 germ. vt & 1678 ibidem *Vitae electorum & principum ſaxonicorum* auctore BIRKENIO, vel vt ipſe, cum latine ſcribit, ſe pasſim appellat BETVLIO. Prodierunt 1687 in 12 vitae eorundem electorum, ſicut & KILIANVS Auguſtae 1625 electores Saxoniae vsque ad ſuam aetatem aere expresſit, ex

ex quibus tamen Chriſtianus tantum II & Iohan. Georgius I huic ſeculo debentur. Recenſendi hic quoque ſunt IOH. FRIDERICVS FRANZIVS, PAVLVSque IENISIVS, quorum ille non tantum orationem in funere Chriſtiani II habuit, Lipſ. 1611 in 4 editam, ſed etiam indicem chronologicum memorabilium circa vitam & gubernationem huius electoris eodem anno emiſit. Hic vero ſeq. anno Lipſiae itidem *narrationem de vita, geſtis & obitu Chriſtiani II* edidit. Poteſt huc quoque reuocari, cuius ſupra non memineram, *Archiuum*, vt vocant, *genealogicum & hiſtoricum domus ſaxonicae*, Lipſ. 1697 in 8 excuſum. Electores brandenburgicos eorumque icones repraeſentauit IOH. CERNITIVS, Berol. 1621 in fol. edit. qui liber valde rarus eſt, & ab ipſis Marchiae ciuibus quaeritur. RENTSCHIVS 1683 vitas elector. brandenburg. ſtilo ſignauit, idemque *Cedretum brandenburgicum*, (Brandenburgiſcher ceder-hayn,) Baruti anno 1681 in 8 emiſit, vbi reliquorum huius familiae principum geſta in compendio, tamen ſatis accurate, recenſet. *Archiducum Auſtriae vitas* Noriberg. 1687 in 12 exhibuit. *Icones* vero *principum Tirolenſium* ab anno 1229 - - 1623 opera Kiliani eodem anno Auguſt. Vindelic. aere expreſſas habemus. MARTINO GOSKIO *Famam Auguſti, Brunſuicenſium ducis*, vt annis ita doctrina & gloria ſupra reliquos Germaniae principes

euecti, variis carminibus ab ipſo diligenter congeſtis celebratam, debemus: prodiit liber iterum Francof. 1693. *Vitae marchionum Badenſium*, quorum famam & ſe ipſum nunc aeternitati commendat Ludouicus Turcarum victor, Germaniae aduerſus Gallos aſſertor inclutus, Noriberg. 1695 in 12 lucem adſpexit. *Wallenſteinii*, ducum bellicorum hoc ſeculo, ſi paucos excipias, facile principis, *vitam (Hiſtoria della vita d'Alberto Valſtain)* ſermone italico exarauit GALEACIVS GVALDVS, Lugd. in Gallia 1643 in 4 editam; latine autem vertit, & Trutinae ſtatuum Europae Rohanis adiunxit IOSVA ARNDIVS, theologus & polyhiſtor Mecklinburgicus inſignis, Roſtochii 1668 recuſam. Denique cum plures iam non occurrant, agmen claudant GVILIELMI STAADENS *Trophaea Verdugiana*, * res tum in Belgio tum in Palatinatu a Franciſco & Guilielmo Verdugis geſtas complectentia, Colon. 1630 in 4to.

§. IX.

Ad annales non prouinciarum ſed vrbium quoque ſingularum acceſſuris venia praefanda erit, quam etiam ſequenti de commentariis & actis ad hoc ſeculum pertinentibus optimo iure

* Verdugo heiſt auf ſpaniſch ſo viel als ein hencker: und weil ſich einer von dieſem geſchlecht ſo grauſam wie ein hencker in dem kriege wider die Saracenen erzeiget, ſo hat die gantze familie daher den namen bekommen.

exposce-

expoſcemus. Scilicet in tenui videbimur laborare, neque deerunt, qui exiſtimabunt, vilium oppidorum annales, ſaepe tantum non Voluſianos, ceu vilem pannum nequaquam purpurae hiſtoricae aſſuendos eſſe. Aſt illi profecto aliter ſentient, ſi expenderint, etiam ex hoc ſtercore ſaepius aurum & gemmas colligi, magnumque Thuanum, cum aeterna hiſtoriarum volumina componeret, nec leues quasdam ſchedas neglexiſſe, ſed ex illis veritatem magno cum legentium commodo quaſi ex tenebris in lucem produxiſſe. Nec deerunt inter illos, quos nominabimus, maioris momenti & de meliori metallo facti ſcriptores, quos noſtris ſedulo indicabimus, non autem omnes attingemus germanicos annales, ſed illos tantum, qui dum origines & incrementa regionum, prouinciarum, vrbium, per ſingula ſecula enarrarent, huic quoque noſtro operam navarunt: nam qui hoc ipſum non attigerunt, & in ſuperioribus ſubſtiterunt, libenter a nobis ſilentio inuoluentur. Ita autem rem ſatis intricatam ordinabimus, vt per 10 imperii germanici circulos ituri ſimus, quid in ſingulis annalibus occurrat paucis viſuri, methodumque, qua eos SECKENDORFFIVS in doctrina iuris publici recenſet, obſeruaturi. In *auſtriaco* itaque praeter genealogicos ſupra dictos ſcriptores, quibus etiam *Stemma auſtriacum* CHIFFLETII 1649 Antwerp. publicatum, *Arborem*

Anicianam SEYFRIDI abbatis Zweythalenſis, & quae LAMBECIVS in *Bibliotheca Vindobonenſi*, ac qui preſſo eum pede ſequitur, BIRKENIVS in *Speculo honoris auſtriaco* protulerunt, omnino addenda eſſe cenſemus, nominandus cum laude DIDACVS EQVILE, qui *piiſſimam atque auguſtiſſimam domum auſtriacam* Oeniponti 1660 tomis 2 in fol. illuſtrauit: quamuis enim multa a propoſito aliena immiſceat, ſub finem tamen affert, quae ad huius quoque ſeculi hiſtoriam non parum proſunt. NICOLAI VERNVLAEI, rhetoris Louanienſis, *Annus auſtriacus* 1628, & *Virtutes potentiſſimae gentis*, Louanii 1640 in 4 editae, oratoriis potius quam hiſtoricis operibus inſerantur. ANONYMI libri 3, *Phoſphori auſtriaci* titulum praeferentes, & Louan. 1665 in 12 impreſſi, melioris * ſunt commatis, nec improbanda eſt HIERONYMI MEGISERI *Ephemeris Auſtriaca*, ſermone patrio 1614 in 4to publicata. IOH. IACOBI WEINGARTENII Pragenſis *Speculum principum auſtriacorum*, Pragae 1673 fol. ſermone germanico conſcriptam vix ſelecti quicquam continet, & digreſſionibus bene multis lectori taedium creat. BONAIRII Galli commentationem de *Diſſidiis quae domui auſtriacae cum Gallis intercedunt*, (*Les affaires de France & d'Autriche*,) ob concinnitatem commendarem, ſi a

* Alii tamen quidam longe aliter de Phoſphoro hoc auſtriaco ſentiunt.

partium

partium ſtudio ſibi temperare potuiſſet Gallus; prodiit Pariſ. 1649 in 12. Quo etiam morbo laborat futilis ex Gallia hiſtoriarum ſcriptor, VARILLASIVS, qui cum profunda domus auſtriacae, quae ipſe ſibi fingit, de orbe vniuerſo ſubiugando conſilia ex vita Ferdinandi catholici eruere contendit, neſcio quas chimaeras, quaeue monſtra in medium profert, bene certe de hoc ſeculo meritus, quod ineptiis ſuis id nequaquam contaminarit, ſed intra ſuperioris carceres ſe cohibuerit. Subiungendum his eſt CASP. MAVRERI *Chronicon Vienneuſe*, (Chronica der käyſerl. reſidentz-ſtadt Wien,) quod 1664 Viennae in 12 ſermone patrio impreſſum, & ex Lazii lat. ſcriptis annalibus maximam partem deſumtum fuit; qui enim vltimam obſidionem fuſe deſcripſerunt, rectius infra, cum de hungaricis agemus, enumerabuntur. In circulo *electorali rhenano* CHRISTOPHORI BROWERI & IACOBI MASENII, Ieſuitarum, *Annales Treuirenſes* optimae ſunt notae, & a libro 23 ad vsque 25 annumque ſeculi 51 hiſtoriam aevi noſtri germanicam mirifice illuminant; prodierunt Leodii 1670 fol. *Maſeniusque* etiam Treuiris anno 1676 *Epitomen annalium Treuirenſium* dedit in 8. DANIELIS PARAEI *Hiſtoria palatina*, Francof. 1663 in 12, paruus aſt non malus eſt liber, quamuis non multa ad hoc ſeculum facientia ibi inuenies. AEGIDII GELENII, *Magnitudo Coloniae* in vrbe

ipſa potius deſcribenda, quam rebus hoc ſeculo geſtis occupatur, licet alias bonus ſit liber, prodiit Colon. 1645 in 4. In circulo *ſaxonico ſuperiore* multi profecto ſeſe offerunt, & ſingulae fere vrbes ſuos habent hiſtoricos. Quos inter mole voluminum eminet GREGORII LETI *Theatrum ſaxonicum & brandenburgicum*, imaginibus pulcherrimis oculos lectorum alliciens, neſcio autem an animos quoque. In vtraque ſane aula non omnibus placuit, quamuis quod ad brandenburgicum attinet, gallico ſermone in compendium fuerit redactum. *Dresdam* electorum Saxoniae ſedem victuro opere deſcripſit ANTONIVS WECK 1680 fol. quo ipſo hiſtoriae ſaxonicae non parum lucis acceſſit, dum in enarrandis principum natalibus, nuptiis, funeribus & aliis memorabilibus diligentem ſe praeſtat. ANDREAE MOLLERI *Theatrum Freibergenſe* (Freiberg. 1653) non malus eſt liber, praeſertim cum ad annum vsque ſeculi 52 tropica non vrbis tantum, ſed integrae ſimul Saxoniae ſedulo recenſeat. Eiusdem commatis ſunt SCHNEIDERI & HEIDENREICHII *Annales Lipſienſes*. Schneideri tamen labor nondum integer prodiit, ſed cum ante hoc decennium iam in catalogis nundinalibus promiſſus fuiſſet, neſcio qua de cauſſa ſupprimitur. LAVRENTII WILHELMI *Deſcriptio vrbis Cygneae* ſeu *Zwickauiae* 1635, & SCHMIDII *Chronicon Cygneum* 1656 in 4to exilibus

nimium

nimium videntur repleta eſſe, nec tamen diffiteor, in eiusmodi libris multa talia ferenda, nec omnibus datum eſſe, vt ad exemplum LEHMANNI in *Annalibus Spirenſibus* totius Germaniae hiſtoriam quaſi in nucleo exhibentis, ſe componere poſſint. SAGITTARII *Hiſtoria epiſcoporum Numburgenſium*, Ienae 1683 in 4to, quamuis inſtar diſſertationis academicae tantum elaborata ſit, nequaquam negligenda eſt, vir enim iſte in hiſtoria germanica & praeſertim in ſaxonica atque thuringica laudabilem operam poſuit. Minoris momenti ſunt SIMONIS *Chronicon Eilenburgicum*, Lipſ. 1696 in 4. MELZERI *Deſcriptio Schneebergae*, ibid. 1684. PVSCHII *Epiſcopoligraphia*, Dresdae. HERMANNI *Chronicon Mittweidenſe*, Chemnitii 1698. CASP. SCHNEIDERI *Deſcriptio Querfurti*, Halis 1659 in 12. *Res thuringicas* eleganter in compendium redegit *anonymus* (Pfefferkornium vocari perhibent) in *Memorialibus Thuringiae*, Gothae 1684 in 4, cum quo coniungenda GVDENI *Hiſtoria Erfurtenſis*, Duderſtadii 1675 in 8. SAGITTARII *Memorabilia hiſtoriae Gothanae*, Ienae 1689 in 4. BAIERI *Geographus & architectus Ienenſis*, Ienae 1685 in 8, licet vir ille, facetiarum plus iuſto amans, grauitatis, quae hiſtoricum decet, ſaepenumero obliuiſcatur. *Voigtlandiam* illuſtrarunt PERTSIVS in *Originibus Voigtlandiae* 1676 in 4, & ZOPFIVS in *Annalibus Ruthenicis* ſermone patrio Lipſ. 1692 in 8.

Montana Miſniae multa debebunt LEHMANNO, Chronicon & obſeruationes in iis notabilium edenti. *Altenburgum* ſcriptor qui nomen ſuum litteris initialibus *I. V. S. N.* ſchediaſmate germanico 1699 in 4 delineauit. Ad comitatum hennebergicum faciet GVTHII *Chronicon Meiningenſe*, Gothae 1678 in 4. *Hiſtoriam marchionum & electorum brandenburgicorum* iterum debemus SAGITTARIO, Ienae 1684. Adiungendi vero HENRICI AMERSBACHII *Annales brandenburgici, magdeburgici & halberſtadenſes*, Magdeburg. 1684 in 4. *Anonymi* libellus de *Rebus marchicis*, Berol. 1682 in 4. Et CHRIST. SCHVLTZII *Chronicon Gardeleiienſe*, Stendaliae 1668. Nam GRVCHMANNI cuiusdam *Chronicon Zülichienſe*, Cüſtrini 1665 in 4 editum, tam inepte ſcriptum eſt, vt hic vix locum mereatur. *Pomeraniam* victuro opere poſteris commendauit IOH. MICRAELIVS, cuius imprimis 5 pars ad hoc ſeculum pertinet, (prodiit in 4.) Cum quo commode iungetur SCHVRTZFLEISCHII diſſertatio *de Belgardia Pomeranorum*, Witteberg. 1684 in 4. Vbi quaedam recentiora attinguntur. Tandem *Hiſtoria principum anhaltinorum* SAGITTARIVS Ienae 1686 diſſert. bene longis complexus eſt. Plura autem quod ſupra iam innui, a BECMANNO, hoc ſaxum nunc voluente, & KNAVTIO, anhaltinarum originum peritiſſimo, exſpectamus. In circulo *franconico* habemus FLORIANI

Annales

Annales Francofurtenſes, ibid. 1665 in 12, & celeberrimi WAGENSEILII *Noribergam*, egregium ſane & eruditum opus, quod ſermone latino in ipſa illa vrbe 1697 in 4 publicauit, & *diſſert.* german. quantiuis pretii de *Phonaſcis germanicis* * adiunxit. Inciderunt etiam in manus meas *Annales Norici MSC.* ab origine vrbis vsque ad annum 1643 contexti, in quibus ſane multa notabilia inuenies. Bauariam & res huius ſeculi bauaricas illuſtrant *Annales boici* ADLZREITERIANI, quorum tamen verus auctor creditur fuiſſe FORQVEVAVLXIVS Ieſuita Lotharingus: prodierunt Monachii 1672 fol. imprimis huc ſpectat pars 3, qua res geſtae huius ſeculi vsque ad mortem Maximiliani electoris, id eſt, annum 1652 repraeſentantur. Poſtliminio huc quoque reuoco ANDREAE BRVNNERI *Excubias tutelares* ſiue elogia ducum Bauariae elegantiſſima, quorum ſupra inter vitas mentio fieri debebat. Nec omnino ſpernendae ERTELII *Relationes*, vt vocat, *bauaricae*, Auguſt. Vindelic. 1685 in 4. *Gallice hiſtoriam Bauariae (Hiſtoire de Bauiere)* ſtylo ſignavit THOMAS BLANC, Pariſ. 1680 tomis 4 in 12 editam. DÜCKERVS ſermone patrio *Compendium archiepiſcopatus Salisbur.* in metropoli 1686 in 4 impreſſum. METZGERVS vero iuſtos dedit *Annales* ad annum vsque 1688, prodiere ſermone latino 1692 fol. *Sueuiam* exornauit

* Von den ſo genannten meiſter-ſängern.

ZEILLERVS in *Chronico paruo Sueuiae*, Vlmae 1683 in 4. NARCISSVS SEVELIN, in *Annalibus Würtenbergenſibus*, Stutgard. 1662 in 8. STENGELIVS in *Commentario de rebus Auguſtanis*, Ingolſtadii 1647 in 4, cui poſtea mantiſſa admodum rara acceſſit. SCHVRTZFLEISCHIVS in diſſertation. de *Rebus badenſibus*, quae eſt 24 inter hiſtoricas, 1699 coniunctim editas. BVCELINVS in *Lacu Podamico*, Conſtantiae 1664 in 4. MERCKIVS in *Chron. german. epiſcopat. Conſtantienſis* 1627 in 8. SCHORERVS in *Annalibus Memmingenſibus*, Vlmae 1660 in 4, & tandem FVRTENBACHIVS in *Annalibus Leutkirchenſibus*, Wangae 1696. Circulum *rhenanum ſuperiorem* perluſtraturo proderunt eruditiſſimi SCHILTERI egregia *Additamenta ad Iacobi* Kônigshofen *Chronicon Argentoratenſe* 1698 in 4 edita, in quibus multa ad hiſtoriam huius ſeculi pertinentia tractantur. Nec omittenda OSEAE SCHADAEI *Deſcriptio templi cathedralis Argentinenſis*, cuius ſecunda editio a neſcio quo circa annum 1654 auctior edita fuit. Huc quoque refero *Teſſeras gentilitias haſſiacas*, in quibus non tantum imagines omnium Haſſiae landgrauiorum, vsque ad Mauritium & Ludouicum Fidelem, ſed etiam ſymbola & inſignia omnium prouinciarum & ditionum haſſiacarum exhibentur, prodiere Caſſel. 1623 in 8. Narrauit inſuper non ita pridem vir illuſtris, IOHAN. IVSTVM

WINCKEL-

WINKELMANNVM, iam ab annis bene multis *Annales baſſiacos*, opus ſane ingens moliri, quod huc vſque, quo minus in publicum prodierit, nihil aliud obſtiterit, quam chartae maioris per haec belli tempora inopia. Ad *Weſtphalicum* circulum facit STANGENFOLII opus *chronologicum & hiſtoricum circuli Weſtphalici*, Colon. 1651 in 4, vbi libro quarto res huius ſeculi vſque ad annum 1648 digeruntur; ERICHII *Chronicon Iuliacenſe* germanicum vſque ad annum 1610, Lipſ. 1611 fol. PETRI a BEECK *Aquisgranum*, lat. Colon. 1620 in 4. WASSENBERGII *Embrica* 1660 in fol. & denique WINCKELMANNI *Annales Oldenburgici*, vbi poſt HAMELMANNVM clariſſimam huic comitatui & vltimo eius prudentiſſimoque moderatori Antonio Günthero famam circumdedit digniſſimus Hamelmanni continuator: prodierunt ſermone vernaculo 1678 fol. Tandem circulum *inferioris Saxoniae* illuminarunt MEIBOMIVS lat. in *Introductione ad hiſtoriam ſaxonicam*, Helmſtad. in 4, vbi inter multa antiquiora non omnino recentiorum incurioſus eſt. GENGENBACHIVS in deſcriptione *vrbis Magdeburgenſis*, (german.) Magdeburg. 1678 in 4to. Quidam litteris initialibus T. S. ſe deſignans, in *Epitome annalium Magdeburg.* 1672 in 8. GODOFREDVS OLEARIVS in *Haligraphia topochronologica*, Lipſ. 1667, eiusdemque continuatione ibidem 1679. SAGITTARIVS in *Hiſtoria*

halberſtadienſi, Ienae 1678 in 4 lat. & in *Memorabilibus hiſtoriae luneburgicae*, Ienae 1688 in 4. SCHVRTZFLEISCHIVS in *Rebus mecklenburgicis*, quae eſt inter diſſertat. 25. MATTHAEVS SLVTERVS in tractatu hiſtor. iuridico de *Rebus immobilibus*, ac praecipue *aedificiis hamburgenſibus*, Hamburg. 1698 in 4, vbi multa de rebus Hamburgenſium occurrunt memorabilia. Indico hic ſimul *Chronicon hamburgenſe MSC.* quod hic in bibliotheca viri illuſtris ſervatur, & ad annum vsque 1678 deducitur. De ANTONII HEIMREICHII *Chronico nordfriſico*, Slesuicae 1669 in 4, & SAGITTARII *Originibus Flensburgicis ac hiſtor. Rensburgic.* nihil addo, quia ante me MOLLERVS in nunquam ſatis laudata *Diſſertatione ad hiſtoriam holſaticam* hos & multos alios patriae ſuae ſcriptores enarrauit.

§. X.

Nouo iterum prologo galeato hic vti cogor, dum immenſo actorum germanicorum cumulo recenſendo, ſeuerioribus quibusdam cenſoribus operae pretium haud facturus eſſe videor. Quid enim, dicent, attinet, tot partim virulentos, partim futiles, & nullius momenti libellos recenſere, quorum potius ipſis partium odiis per amneſtiam exſtinctis omnis memoria aeterno ſilentio abolenda foret. Sed profecto ſi hos audiemus, culpandi erunt non tantum *Thuanus*, qui ſaepe eiusmodi libellorum ſummam

ſummam in aeterno opere exhibet, & *Sirius*, cui nihil noui eſt in Mercurio ſuo ad eiusmodi quoque ſchediaſmata reſpicere, vt *Sleidanum* interim, & alios taceam. Sed vir quoque celeberrimus FRIDERICVS HORTLEDERVS, qui in vaſtis *de Cauſſis belli germanici*, ſuperiore ſeculo inter Carolum V & principes proteſtantes geſti, voluminibus nihil aliud egit, quam vt eiusmodi libellos puluere alias & ſitu perituros denuo in lucem produceret. Quid quod illuſtris SECKENDORFFIVS perpetuo victuram *Lutheraniſmi hiſtoriam* maximam partem ex eiusmodi actis & libellis contexuit, quodque hac ipſa de cauſſa sereniſſimus Brunſuicenſium dux Rudolphus Auguſtus per clariſſimum *Hardtium*, profeſſorem in academia Iulia celebrem, 2 tomis catalogum libellorum ab initio reformationis vsque ad obitum Lutheri exactisſimum ſummo ſtudio ſummaque cura confici iuſſerit. Tutius itaque mihi viſum fuit horum veſtigia legere, quam iſtis ſine tribu & ſuffragio cenſoribus morem gerere. Praeſertim cum non omnes ſim producturus: ita enim volumina, non introductionem, ſcriberem: ſed celebriores tantum, & ex illis eos imprimis, qui in Collectionibus Londorpianis & Diario europaeo vix aut plane non inueniuntur. Nihil etiam hic odio aut gratiae ſum daturus, ſed vtriusque partis, vt ſe mihi obtulerunt, ſcripta candide exhibebo. Obſeruato interim ſupra

delineato periodorum ordine, & ex ſingulis periodis celebriores controuerſias ſeligam. Hic antequam rem ipſam aggrediar, iterum moneo ex *Collectionum Londorpianarum* editionibus ſingulas hic eſſe adhibendas, nam ſingulae aliquid habent, quod in reliquis deſideres. Prodiit autem prima, prae ceteris ſane maxime probanda, 12 tomis 4 Francof. 1622 vsque ad annum 1625. Hanc excepit anno 1629 altera forma maiori in 2 tomos diſtincta. Aggreſſus eſt deinde 3 *Mayerus*, & quidem anno 1666 *tomos ſupplementorum* 4 praemiſit, quos dein ipſe *Londorpius* ad annum vsque, quod ſupra expoſui, 1683 11 partibus continuauit. Ceterum ea, quae in Londorpio non occurrunt, acta repraeſentaturo, in prima periodo ab anno ſcilicet ſeculi 1 vsque ad 18 & motus bohemicos, occurrit primo celebris *Controuerſia brunſuicenſis*, quae ducibus cum vrbe ea de cauſſa bis obſeſſa tandemque anno 1671 armis ſubacta interceſſit. Euoluendi ſunt de hoc argumento, quibus cauſſa ducum aſſeritur, duo tomi probe ſpiſſi (Braunſchweigiſche händel) anno 1602 fol. impreſſi, in quibus hoc inter alia notabile deprehendi, quod theologorum pientiſſimus *Ioh. Arndius* ſemel atque iterum tanquam turbarum incentor acerbe perſtringatur. Oppoſuit ipſa vrbs eodem anno ſua quoque acta 2 partibus in 4to, acceſſeruntque reſponſa doctorum iuris in academiis Ienenſi &

Marpur-

Marpurgenſi, vt & aliorum ICtorum magni nominis pro vrbe. Nec tamen ſibi defuit dux, ſed edito 1607 *Veredario* in 4 (poſt-reiter,) & 1608 *Mercede tabellionis* (bothen - lohn) cui *Apologiae conſiliariorum brunſuicenſium* inſeruntur, viriliter cauſſam ſuam egit. Mox enim cum anno 1616 vulnera iſta recrudeſcerent, non tantum *Diarium obſidionis* in 4 prodiit, ſed IOHANNES quoque TAVTIVS ICtus *Diſcurſum*, vt vocat, edidit *de Rerumpublicarum inferioris Saxoniae regimine & ſtatu*, in quo pro ciuibus militat, Francofurti ad Moenum 1620 in 4. Interim cum ciuitates hanſeaticae, quae vrbi ſociae ſuppetias tulerant, animaduerterent, ſibi paſſim apud principes contumaciae & ſeditionis notam inuri, & libellos ſatis acerbos hinc inde ſpargi, *Apologiam* ediderunt in 4to, ſermone patrio. Secunda controuerſia celebris eſt *Donawerthica*, inter ſemina bellorum poſtea exortorum merito referenda: vbi primum locum occupet, ſi temporum ſeriem reſpicimus, *germanica relatio Donawerthica* 1610 in 4, a pontificio confecta, cui mox ſequenti anno a proteſtantibus opponebatur *ſolida informatio facti & iuris* 2 partibus conſtans, cuius editio 1672 non ſine augmento aliquo mox repetita fuit, hanc pontificii 1613 *admonitione neceſſaria* oppugnarunt, cuius vt titulus oſtendit, duae ſunt partes, ſed mihi non in vna ſed pluribus bibliothecis ea de cauſſa inquirenti prior tantum

occurrit. Commotis inde tam romanenſium, quam proteſtantium animis variis ſcriptis funeſto bello praeluſum fuit; quae inter Ingolſtadii 1618 prodiere epiſtolae Caeſaris ac variorum electorum ac principum, & alibi 1614 Peregrini Adami, Abelis & Caini colloquium de ſtatu imperii germanici, vbi principes Halae Sueuorum foedere vniti non ſemel perſtringuntur. Cumque interim Auſtrii quoque ob libertatem cum principibus ſuis contenderent, re tandem a Matthia, poſtea caeſare, compoſita, concinna ſatis *de hac pacis compoſitione narratio* 1610 prodiit. Tertium locum ſibi vindicat controuerſia *de ſucceſſione Iuliacenſi, Cliuienſi & Montenſi* famoſiſſima, quam cum non Palatinus tantum neoburgicus, & elector brandenburgicus, ſed Saxo quoque elector, & Carolus Burgouiae marchio ex auſtriaca ſtirpe, ſibi deberi contenderent, & Palatinus dein & brandenburgicus ope partim Hiſpanorum, partim Batauorum has terras invaderent, reliquosque excluderent, non magis armis quam ſcriptis certatum fuit, quae inter mihi occurrerunt principum foederatorum, Palatini ſcilicet & brandenburgici, *tres appellationes*, Düſſeldorpii anno 1610, *diſſertatio de Succeſſu Iuliacenſi* 1610, *propoſitio Caroli Burgauii* & *deductio brandenburgica* 1610, *deductio domus ſaxonicae electoralis & ducalis*, cum apologia & ſingulari diſſertatione *de eo, quod Saxonum intereſt*,

intereſt, ex quibus priora duo ſcripta Lipſ. 1610, tertium vero Coloniae eodem anno prodiit. IOHANNES deinde IVLIVS MONTENSIS *Diſcurſui vtcunque iuridico* Lugduni 1613 oppoſuit *Diſcurſum vere iuridicum*, in quo ius brandenburgicum ab anonymo aſſertum labefactare conatur, quem diſcurſum ſuum anno 1615 *apologia* confirmauit. Cum autem caeſares Rudolphus & Matthias affirmarent, penes ſe in hac cauſſa decidendi poteſtatem eſſe, & hoc ipſum proteſtantes male haberet, emiſſum fuit 1613 ſcriptum germanicum, in quo auctor demonſtrare contendit, caeſari & iudicio aulico ſine ſuffragio electorum atque ordinum imperii in cauſſa tam ardua iudicandi facultatem non eſſe. Addantur quoque *Anticenturia iuris Palatino-neoburgici, in ducatu Iuliacenſi, Cliviae & Montium*, oppoſita *Centuriae iuris brandenburgici* 1644 in 4, itemque diſſertatio *de miſerabili ſtatu illarum regionum* 1617, & NICOLAI A LANGENBERG *Expoſitio periculorum* in quibus prouinciae Iuliacenſes illarumque incolae verſantur, contra abbatem Siburgium anno eodem: tandemque colophonem omnibus imponat *Hiſtorica enodatio controuerſiarum Iuliacenſium* 1669 in fol. Quarta huius periodi illuſtris controuerſia eſt, quae *de tutela legitima & teſtamentaria inter Palatinos electorales & neoburgicos* oborta fuit, ſequentibus ſcriptis ventilata. Primo Philippus Ludouicus

neoburgicus breui ſchediaſmate germanico Lauingae 1611 demonſtrare conatus eſt, tutelam Friderici V, Palatini electoris, ad ſe vnice pertinere. Huic oppoſuere electorales Annbergae eodem anno *Apologiam tutelae Palatinae*, & hae velitationes fuere. Aſt deinde res ad triarios rediit. DIONYSIVS enim GODOFREDVS, ICtus celeberrimus, Heidelbergae 1614 edidit libros 6 *de Tutelis electoralibus* in 4. (Conſtitutum namque nobis eſt, in hac actorum enumeratione non ſchedas tantum palantes, ſed libros quoque a viris magnis de illuſtribus controuerſiis cum cura ſcriptos diligenter commemorare.) Dionyſio Gothofredo comitem ſe iunxit germanicarum originum peritiſſimus & indefeſſus ſcrutator MARQVARDVS FREHERVS edito fragmento commentationis *de Legitima tutela curaque electorali Palatina*, ex integro ad Auream bullam commentario deſumto, cuius editio ſecunda eodem anno Heidelbergae prodiit. Hinc pro Neoburgicis duumuiris iſtis ſeſe oppoſuit IOH. ZESCHELINVS, principis Philippi Ludouici cancellarius, libro *de Tutela electorali legitima*, oppoſito 6 libris Gothofredi & commentationi Freherianae: prodiit Lauingae 1613 in 4. Suppetias ipſi vero tulit ZACHARIAS FRIDENREICHIVS, conſiliarius itidem neoburgicus, in *Synopſi controuerſiae de tutela electorali*, Colon. 1613. Gothofredus vero *Prodromos duos* contra Zeſche-

Zeſchelinum Heidelbergae 1613 & 1614 emiſit. Freherus vero integram & *liberam*, ut vocat, *commentationem de teſtamentaria tutela curaque electorali* Heidelbergae 1614 publicauit, addiditque commentariolum ad cap. 7 Aureae bullae Carolinae de ſucceſſione principum in primogenitis & haeredibus illorum. Acceſſerunt eiusdem notae perpetuae ad Sigismundi imperatoris bullam integram, & ſchediaſma de principum iuniorum electoralibus domibus, natorum inſtitutione in grammatica ſiue latina lingua. Equidem noſtrum non eſt diiudicare, a quibus ius aut victoria ſteterit, interim tamen fatendum eſt, electorales magno eruditionis apparatu cauſſam ſuam adornaſſe ac muniiſſe. Ex hac ipſa controuerſia noua inter Chriſtoph. Gewoldum, qui a conſiliis ducis Bauari erat, & eundem Freherum enata eſt controuerſia. Cum enim Freherus adſeruiſſet, electoratum comitibus Rheni proprie, quatenus Palatinis, non vero, vt Bauariae ducibus, deberi, idque in commentario de Tutela electorali egiſſet, Gewoldus aegre hoc ferens, herique ſui ius, quod iam olim Bauari ſibi vindicabant, propugnaturus, Monachii 1612 *Antitheſin Palatini electoratus* edidit. Repoſuit Freherus eodem anno *Epiſtolam reſponſoriam*, ſeu Aſſertionem Palatini electoratus. Nec ceſſauit Gewoldus. Verum mox replicationem ad epiſtolam Freheri ſiue *Notas* ad Aſſertionem electoratus Palatini

remiſit. Cumque Freherus per biennium ferme ſileret, anno 1614 epiſtolam alter ad eundem monitoriam ablegauit. Sed Freherus vel aliis negotiis obrutus, vel ob mortem proxime imminentem moroſior languidiorque, tantum de ſuſcepta (*Recepiſſe* vulgo vocant) aliquot pagellas repoſuit. Ceterum Gewoldus non tantum 1616 Monaci iuſtum *de Electoratu commentarium* in 4 edidit, ſed eundem quoque deinceps 1621, cum Palatini res plane deſperatae atque acciſae eſſent, auctiorem euulgauit, & in illo non tantum Bauaris ſuis faſtigium electorale deberi praefracte adſeruit, verum etiam contra Onuphrium Panuinium, & alios viros doctos vulgarem ſententiam, electores Ottonis III aeuo a Gregorio V, pontifice romano, inſtitutos eſſe, defendit. Enim vero laudanda eſt in vtroque inſignis eruditio, vnde etiam in Repraeſentatione reipublicae germanicae, 1657 Noribergae edita, p. 427 ſeq. omnia iſta & Freheri & Gewoldi ſcripta magno antiquitatis germanicae ſtudioſorum bono, recuſa fuerunt. Ad ſextam quod attinet controuerſiam, ſiue *Tumultum francofurtanum* Iudaeorum cauſſa excitatum, ſed mox ſeditioſorum ſupplicio ſedatum, commendamus PII FELICIS CAESARIS Auguſtani *deductionem ac conſultationem iuridicam*, 1615 latine conſcriptam. Et *Diurna tumultus francofurtani* eodem anno ſermone patrio in fol. impreſſa. Vltimum denique

denique locum occupat controuerſia inter Chriſtianum, epiſcopum Mindenſem, & Vlricum, brunſuicenſem ducem, *ob ſucceſsionem Grubenhagicam* agitata, de qua mihi tantum occurrit CHRISTIANI *Apologia* 1617 in 4.

§. XI.

In periodo ſecunda motus bohemici facile vtramque faciunt paginam, quorum gratia tantus ſchediaſmatum, diſſertationum, narrationum & ſatyrarum prodiit cumulus, vt vel Anthaeus, aut Enceladus quidam ſub illorum onere ingemiſcat. Nos tamen cum ſelectu rem acturi, non omnes, quod infinitum foret, ſed praecipuos tamen & lectu maxime dignos proferemus, nec odio hic nec gratiae aliquid daturi. Ceterum de ſcriptis, quorum auctores a Bauarorum parte quidem fuere IACOBVS KELLERVS Ieſuita, Fabii Hercyniani fictum praeferens nomen, LEICARDVS & IOCHERVS conſiliarii bauarici, quibus in ordinem redigendis, ſi Palatinis fidem habemus, ipſe ſereniſſimus Bauarorum princeps, Maximilianus, manus admouit; a parte vero Friderici Palatini CAMERARIVS TSCHERNENBELIVS BA-*to & PLESSENVS, quaeque nomina *Cancellariae anhaltinae & hiſpanicae, Liturarum, Aiacis, Tubi Galileani, Rabarbarae, Apologiae*, & neſcio quae non praeferunt, eo libentius hic ſileo, quia in Collectionibus Londorpianis exhibentur, ad quas plura cognoſcendi auidos

ablegamus, vbi etiam *Bohemorum Apologiam primam* & alia, quae hic non tanguntur, inuenient. Interim in frontiſpicio Acta bohemica ponimus 1620 tomis 4 in 4, in quibus auctor Bohemis deditus cauſſas horum motuum & ſucceſſuum exponit. Bohemi ipſi deinde 1619 *Apologiam* ediderunt alteram, & *appendicem* ſatis ſpiſſam adiunxerunt, unde ipſi Camerario in *Apologia*, quam pro ſe edidit, nimis longa videtur. Cum hac porro coniungenda eſt *Deductio*, Pragae 1620, multiplicibus iterum *appendicibus* inſtructa, cuius auctor fuit IOHAN. BAPT. EYSEN, I. V. D. qui, ſi praefationi ad Londorpianam Collectionem 1628 credendum eſt, ipſe, cum victoria poſtea penes caeſarem eſſet, huius ſcripti refutationem promiſit, quae tamen nunquam lucem adſpexit. Interim cum in Apologia Bohemorum priore patres ſocietatis Ieſu, ceu pacis publicae turbatores paſſim traducerentur, ipſi *Apologia*, Viennae 1618 edita, innocentiam ſuam oſtenderunt. Prodiit poſtea in Bohemorum gratiam faſciculus variarum diſſertationum, tredecim complectens, cui titulus *Neruus Bohemorum*, vel *Campana Huſſitica*, in quarum vltima Scioppius, ſuo a nobis loco nominandus, vehementer traducitur. *Ziſcae mandatum ad orthodoxos Bohemos* 1618, & *Beati Modeſtini Examen formularum medicarum ad morbum bohemicum quadrantium* 1620, ſcripta ſunt acerba quidem, ſed non admodum

inge-

ingenioſa. Nec multum moror, quae contra Cardinalem Cleſelium 1619 Wahrenburgi euomuit *poëtaſter* quidam Germanus. Aſt altioris ſunt indaginis, quae contra eundem Cleſelium, Ferdinandi tunc temporis Bohemorum regis iuſſu, publicata fuerunt. Bohemi enim & eorum fautores Cleſelio ſummam iniuriam intulerunt, quod acriorum conſiliorum auctorem crederent, cum ille mitiora ſuadendo, Ferdinandi & Hiſpanorum in ſe odia incitaſſet. IANI ROTGERI, quod fictum eſſe nomen exiſtimo, *Deciſionem quaeſtionis de obedientia in negotio religionis paſſiua* 1619, eo maioris momenti eſſe cenſeo, quia haec quaeſtio, vt infra DEO volente ſuo loco audiemus, non ita pridem magno animorum motu apud Anglos agitata fuit. Pertinet huc quoque IOH. DAVIDIS WVNDERERI *Conſultatio*, an religio armis propugnanda? 1620. Pro Bohemis etiam faciunt *Anatomia militis togati*, partibus ſex 1620, & MARTHAE SALOME a BELTA, matronae litteratae, *Miles bohemus* 1620; Item, *Veredarii duo ad Paulum V* 1620; *Veritas priſca cum nouo titulo*, ſcriptum ſatyricum ſatis cordatum, 1619; *Euidentia cauſſae bohemicae* 1626; *Catholicon Ferdinandi II & Friderici V* 1625 lat. ſcriptum; *Elenchus libelli, qui inſcribitur ſecretiſſima inſtructio*, 1621; *Claſſicum*, quo Germani a ſomno ſecuritatis excitantur, 1623; *Speculum Germaniae*, vbi Claſſicum hiſpanicum in

Palatinatu, & Spinolae pax malefida 1624, in quo ſcripto principes proteſtantes non iniuria taxantur, quod nimis ſegniter pro Palatino ſteterint, & ab Hiſpanis & eorum duce Spinola ſe tam facile circumſcribi paſſi fuerint; *Iudicium de ſupplicio Pragenſi* 1623, caeſari ſummopere infeſtum; *Epiſtola conſolatoria* ad viduas ſupplicio affectorum; *Claſſicum pontificiorum*, 1620; *Duplex ſpeculum militare*, vel explicatio cauſſarum, quare pontificii vtplurimum vicerint; *Cauſſa, quare piis nulla obtingat victoria*; *Libertatis queritantis ad Germaniam valedictio* 1622, & *Breue ſecretiſſimum Pauli V ad Philippum IV*, Hiſpan. regem, quae duo ſchediaſmata MSCta tantum vidi, & an vnquam lucem adſpexerint, ignoro; *Septuaginta rationes*, quibus eques Polonus regem & ciues ſuos hortatur, ne arma contra Bohemos pro caeſare ſumant. Quibus deinde *Reſponſio* oppoſita fuit, quae ab initio quidem ſine auctoris nomine prodiit, aſt deinde auctorem eius ſe profeſſus fuit STANISLAVS LVBIENSKIVS, epiſcopus Plocenſis, in cuius operibus poſthumis Antwerp. 1643 fol. 162 ſeqq. legitur, de qua tamen non admodum habent, quod ſibi placeant caeſariani, cum ius regni Poloniae ad Sileſiam ſatis aperte indicet ſcriptor ille, qui etiam, quod ſupra monere neglеximus, errata Iulii Belli, a nobis commemorati p. 225, non vno nomine taxauit. Addatur eiusdem *Diſcurſus*

de

de rebus ſileſiacis fol. 150 ſeqq. vbi notatu digna referuntur. Ibidem p. 172: "Venit & „ ſane, inquit, tempus, cum vel Sileſii ipſi, me- „ mores vnde exciderint, ad ſua redibunt princi- „ pia, neque Polonis deſunt aut defuturae ſunt „ rationes aſſerendi iuris ſui. „ Saxonem a coniunctione armorum cum caeſare dehortari conatur IOSEPHVS PHILIPPVS, vt ſe vocat, SCIPSIVS Cellenſis, in *Ciue ſaxonico.* Mansfeldii vero partium bohemicarum inter praecipuos ducis, acta tuetur *Apologia* duabus partibus conſtans, & anno 1622 edita. Cui tum pontificii oppoſuere 1623 *Acta Mansfeldica*, quae in Londorpio quoque inuenias. Imprimis autem non quidem ob rem ipſam, ſed miros ingenii ſales mirifice mihi placuit, quod tot actorum volumina perluſtranti ſemel tantum occurrit, ſcriptum germanicum, cui titulus: **Quotlibetiſches welt = und hummel = geſicht**, 1623 primo excuſum, & deinde 1632 recuſum, in quo exul Palatinus pontificios & proteſtantes probe depexos reddit, & vix vlli parcet, ſimulque tamen oſtendit, ſe hiſtoriae patriae, & rerum, quae tunc agitabantur, ſummopere peritum eſſe. Et hi quidem pro Bohemis & Palatinis. Nec defuerunt ſibi caeſariani: Namque praeter apologiam Ieſuitarum, ſupra indicatam, *Dialogum* habemus, Pragae 1621 editum, inter duos ſtudioſos catholicum & calviniſtam, vbi idem argumentum pertractatur.

Acta inter Bauarum & Palatinum, anno 1621 edita, nullo alio ſine prodierunt, quam vt Bavarum contra Palatinorum criminationes, quaſi nihil tale de ſe meritos oppreſſiſſet, tueantur. *Conſultatio iuridica*, an clientes beneficiarii (*feudatarios* vulgo appellant) Caeſari vel Palatino adeſſe debeant, 1620 emiſſa, tota quanta pro Caeſare ſtat; vt & *Diſſertatio de discrimine inter caeſarem, qua caeſar, & qua archidux Auſtriae eſt*, quae diſtinctio tunc Bohemis & eorum regi quotidie vſurpabatur. *Drama*, in quo Friderici ex-regis morio & theologus aulicus, ABRAHAMVS nempe SCVLTETVS colloquuntur, tanquam ſcomma felle refertum hic ſilentio transmitterem; niſi Sculteti huius aliqua facienda ſit mentio. Erat is Grünbergenſis Sileſius, cui cum litteris Heidelbergae operam dediſſet, & id quidem inſigni profectu, aulae Palatinae adeo acceptus fuit, vt primo ad profeſſoris, ac dein theologi aulici honores eueheretur. Verum cum poſtea vna cum Camerario & Pleſſeno praecipuus turbarum incentor fuiſſet, & imaginum ex templo arcis Pragenſis eiectione non pontificiorum tantum, ſed lutheranorum odia etiam incurriſſet, ac in ipſa Vratislauia noſtra regi, quod ad cultum religionis reformatae promouendum attinebat, conſilia ciuibus noſtris non adeo accepta ſuggeſſiſſe crederetur, cum poſtea res infeliciter caderet, a nemine non diris proſciſſus fuit

conui-

conuitiis, ipſe vero *Narratione apologetica de curriculo vitae*, imprimis de actionibus Pragenſibus, Embdae, vbi tandem tot malis feſſus diem ſupremum obiit, anno 1625 publicata, decus famae & doctrinae ſuae modeſte, vt loquitur, vindicare conatus eſt. Cuius narrationis omnino hic mentio facienda fuit. (latine conſcripta eſt.) Porro contra Bohemos pugnant FRIDER. Wohlraths *Dialogus* Bauari, Saxonis, Bohemi & exteri, 1621. *Apologia Saxonis* ſub titulo: *Trium magni momenti quaeſtionum* 1620. *Deſcriptio tumultuum germanicorum* ſub aenigmate agnae & leonis, Dresdae, vt videtur, impreſſa. *Encomium aquilae*, 1621. Ex eadem officina Reſponſum facultatis theologicae Ienenſis, Ioanni Erneſto Vimarienſium duci datum 1620, quod cum pro caeſare ſatis aperte ſtet, rarum tamen eſt, cum e contrario Wittebergenſe, haud obſcure Bohemis fauens, paſſim in Londorpio & alibi reperiatur, vnde eius quoque hic meminiſſe iuuabit. FRIDERICI BAVMANNI, paſtoris euangelici, *Ciuis Sileſius* multo cum iudicio ſcriptus, Sileſiis noſtris acriter exprobrat, quod temere Friderici partes ſecuti ſint. Nec omitti debet VLADISLAI SOBOLENSKII *Epiſtola* ad amicum Noribergae commorantem, in qua diſquiritur: an ciuitatibus liberis imperii expediat, vt diutius in foedere Halenſi perſeuerent, vel vtrum conſultius ſit, vt illo quam citiſſime ſe expediant? prodiit 1621.

Magis adhuc acerbe rem egerunt auctor picturae elegantiſſimae, ſed ſimul virulentiſſimae, in qua, vt titulus habet, *Auſeribilitas Ferdinandi tollitur & ecclipſis domus auſtriacae refutatur*, Pragae 1621 in 4. Item auctor *ſupplicis libelli a Friderico ex Bauaria miſſi. Friderici ſecretiſſimae inſtructiones tres*, 1621, ad cuius ſecundae aphoriſmum tertium quidam PHILOTIMVS MVSAEVS commentarios, ex Lipſio maximam partem congeſtos, adeoque non adeo magni momenti, edidit. IOH. HERMANNI Bohemi *Xenium caluino-turcicum pro rebellibus Bohemis* 1621, ipſo titulo innuit, quam parum miſeris Bohemis faueat. Pauca etiam hiſtorica de turbis bohemicis in hunc numerum refero, qualis eſt CANDIDI EBLANI *de Proelio Pragenſi narratio*, qui Candidus Eblanus idem eſt atque is, quem ſupra citauimus, *Conſtantius Peregrinus*, quod ex Rauchenſteinii caſtigationibus patet. Sub ambobus vero nominibus non alius latere videtur, ipſo Rauchenſteinio innuente, quam HENRICVS FIZSIMONIVS, S. I. *Ieſſenii* etiam *Legationis*, in regiis Hungariae comitiis nomine Bohemorum obitae, *Renunciatio* 1619 lectu digniſſima eſt; cum qua tamen conferendam arbitror CASPARIS DORNAVII, quem Ieſſenio adiunxerant, *Epiſtolam MSCtam* *, in qua Ieſſenii ambitio & πολυπραγμοσύνη haud obſcure notatur. Et haec quidem potiſſima ſunt

* In Eliſabethana biblioth. cod. epiſt. MSC. 4.

Bohe-

Bohemicorum. Aſt mantiſſae & illius quidem geminae loco, tum *litigia* quae Bohemorum fautoribus, Caluini aſſeclis, cum Hoëo, electoris ſaxonici theologo, interceſſerunt: tum *vaticinia*, quae magno tum temporis numero per omnem Germaniam ſparſa fuerunt, merito adnectuntur. Et Hoëi quidem lites aliquatenus in Collectionibus ſuis exhibuit Londorpius. Deſiderantur tamen *Hoëi Apologia* contra 50 Caluinianorum mendacia; itemque *libellus*, quo euidenter demonſtratur, calviniſtas in 99 legis chriſtianae capitibus cum Turcis conſpirare, Lipſ. 1621. Cui repoſuerunt calviniani *Prodromum* & *Os draconis* 1621 contra Hoëi mendacia. Porro cum caluiniani emiſiſſent ſcriptum, quo Saxones monentur, ne turbis ſeſe bohemicis immiſceant, vir ex eorum grege cordatus, quid de eo libello ſentiendum ſit, admonuit, & ſimul adſeuerauit, neminem ex caluinianis libelli auctorem extitiſſe, quodque palmarium eſt, omnia reformatorum genuina contra Hoëum ſcripta recenſuit, prodiit Hanov. 1621. Cum autem lutherani, quibus multa huc vsque promiſſa fuerant, iuſſu Ferdinandi II, ex Bohemia eiecti, templaque ipſis erepta fuiſſent, Hoëus aegerrime ferens, *Epiſtola ad Lichtenſteinium* Bohemiae pro-regem ſcripta oſtendit, caeſarem promiſſis nequaquam ſtetiſſe, ſibique, cui longe alia pollicitus erat, illuſum fuiſſe. Quod cum in lucem

prodiiſſet, mirum in modum exultare caluiniani, primumque breuibus notis 1623 Hoëi epiſtolam illuſtrare, aut potius perſtringere coeperunt. Modeſte tamen hic res acta. Sed GREGORIVS quidam LINDEMANNVS 1622 *Rabulam pontificium*, *lutheranorum ſpectaculum laetabile*, emittit 1627, quem mox IOH. BILGRAMI huius libelli cenſura inſequebatur, in quo ſimulatione cenſurae prius ſcriptum defendit, & theologus ſaxonicus inſigni amaritudine notatur. Reſpondit tamen 1628 Hoëus, & par pari repoſuit. Ad *vaticinia* quod attinet, vix dici poteſt, quanta tunc temporis vatum & prophetarum fuerit vbertas; ſcilicet homines aere alieno obruti ac diris romanenſium vexationibus exagitati, aurea ſibi ſecula ſub Friderico ſpondebant, & ea de cauſſa, quamuis profligatus eſſet ad Pragam Palatinus, mira tamen de eius reditu & reſtitutione ſomnia publicarunt, quodque hodie non vno in loco fit, meliora ſibi tempora, ſpe quamuis vana, promiſerunt. Qua de cauſſa ſemper cum cordatioribus cogitaui, eiusmodi vaticinia, vt prodigiorum atque portentorum recenſiones, pro ipſiſſimo reipublicae ſeu in melius ſeu peius mutandae praeſagio, haberi poſſe. Eminuerunt inter vates iſtos NAGELIVS, FAVLHABERVS, COTTERIVS PONIATOVIA, & neſcio quinam, quos tamen omnes falſos fuiſſe, euentus luculenter oſtendit. Inſpiciantur PAVLI

NAGELII

NAGELII *Complementum aſtrologiae*, Halae Saxonum 1620, ſomniis ac vaticiniis plenum. Eiusdem *Prognoſticon aſtrologiae harmonicum* ad 3 ſeqq. annos continuatum. CHRISTOPH. COTTERII *Viſiones* 1632 inania de Friderici reſtitutione ſomnia paſſim, imprimis p. 6, 11, 16, 17, 19, 83 repraeſentantes. *Liber miraculorum Dei*, vbi Poniatouiae (de qua velim vt inſpiciatur erudita & cordata diſſertatio Matthaei Fechneri, regis Polonorum archiatri, quam antea MSCtam cum clariſſimo Tenzelio in Dialogis menſtruis, anno ni fallor 1693 eam publicante communicaui,) puellae Cotbuſianae ac Pomeranae reuelationes continens, praefatione, quod vtique mireris, *Iacob. Fabricii* Sedinenſium theologi honeſtatus, 1629. *Flos propheticus in leone ſilente & rugiente*, cuius ſcriptor ſe magni leonis veredarium appellat 1622. Cuius continuatio 1625 ſub nomine Chriſtoph. Waremundi prodiit, qui liber mendaciis & calumniis ſcatet, Hoëoque imprimis infeſtus eſt. Anno 1621 IOH. A LIPTIZ, nobilis Sileſius, *Myſteria Apocalyptica* publicauit, cui, ſi fidem haberes, Roma & pontifex anno 1623 cadere debebat. Nec melioris eſt commatis ABRAHAMI BARTOLI *Aquila Esdraea* 1620. *De Leone aquilonarii viſiones* eodem anno. IOH. HVMORIADAE *Theſes apocalypticae* 1623. IOH. PLAVSTRARII *Reuelationes* 1620. PETRI CLODII Batauo-Palatini *Epiſtola cum carmine prophetico*

& prognoſtico hungarico, 1621 latine ſcripta. *Vaticinium* de Bohemia ſub Carolo IV, & ſimiles nugae 1645 in 4. *Allocutio ad aquilam romani imperii*, qua monetur, vt ſibi caueat, 1619, mirabilibus figuris & vaticiniis plena. Calamitas orbis vniuerſi ex *Lichtenbergeri, Crimbeckii, Capiſtrani & Carionis* vaticiniis collecta. *Leo ſaucius rediuiuus*, vaticiniis plenum ſcriptum. THOMAE CAMPERI *Reformatio* ſiue vaticinium de Bohemia, 1472, ſi titulo fidem habemus, publicatum GVIL. EONIS NEVHEVSERI *Victoria Chriſtianorum veriſſimorum vniverſalis ad principes proteſtantium foederatos*; vt alia taceam: nam ita illo quidem tempore faſcinati erant homines, vt talibus vaticiniis fidem denegare, ſumme impium haberent. Qua de re teſtatur *Iudicium liberum de hodiernis prognoſticis* 1623, vbi acerrime propugnantur. Attamen non defuerunt prudentiores, qui ſedulo monuere incautos, ne a quadruplatoribus ſe circumſcribi ſinant, quos inter primo nominandus theologus Mecklinburgicus, GEORG. ROSTIVS, cuius vt multa alia, ſic imprimis hoc loco commendanda *Triplex arena contra nouos prophetas*, Roſtoch. 1624, & *Vaticinium theologicum de duplici eccleſiae reformatione* contra Chriſtoph. Adolphum & Chriſtianum atque Fridericum Pragenſes. Omnibus interim praefero MATTHIAE EHINGERI *Iudicium* de Fundamentis nouorum prophetarum Nagelii, Zigleri,

Zigleri, Geicheri, Plauſtrarii, Praetorii, Stiffletii, Faulhaberi, Wilhelmi Eonis, atque aliorum 1624 in 4, ſcriptum lectu dignum ac cordatum. Enim vero ego talium ſchediaſmatum, vt & eorum, quae infra in tempora belli ſuecici incident, mentionem non iniicerem, niſi animadverterem, hodienum reperiri nec de vulgo homines, qui eiusmodi ineptiis prae Chriſto & apoſtolis fidem habeant, cum tamen experientia pridem docuerit, vana, falſa & inania fuiſſe haec ſomnia, meritoque qui DEVM in codice ſacro manifeſte ſeſe reuelantem audire nolunt, & ventos atque aërem captant, per eiusmodi vaticinia deceptos orbi vniuerſo ludibrium debere. Deſinerem hic & ad alia progrederer in hac periodo memorabilia, niſi manum iniicerent properanti *Monetaria Acta*, de quibus aliquid profecto dicendum par eſſe arbitror, cum inter calamitates Germaniae noſtrae, non vltimum illo tempore ſibi locum vindicarit monetae corruptio. ANDREAS LAMPIVS ſcripto ſane peracerbo anno 1621 eiusmodi aeruſcatores, ceu vltimum diaboli foetum, ad ipſa vsque tartari clauſtra ablegauit. Cui tamen alius quidam non inepte, nequaquam aeruſcatores, ſed ipſos principes incuſandos eſſe, eodem anno repoſuit. Libri titulum appono, quia ſatis argutus eſt: "Cniphardi Wipperii Cniphu-,, ſani Nummularii apud Thuringos inſtituti,, expurgatio, ſiue apologia honeſtorum illorum,,

„hominum, quos aeruſcatores (kipper und „wipper) nominant, Fragfurti, (id eſt, Franco- „furti) apud Herrman. Rathweil 1621. „ Eodem anno lucem adſpexit rythmis german. ſatis facetis proſopopoeia diuerſi generis monetarum ſub titulo: Biedermanns jammer-klage über die falſche wipper wage. Acceſſit epitaphium aeruſcatoris. *Colloquium* itidem *Deorum* & inuectiua in Martem & Mercurium, Elendsburgi 1619. Item IOH. APFELBACHII *Lucrum aeruſcatorum*, & CRESCENTII Steiſgers VALDEIOACHIMICI *Cantus coturnicis* contra monetae corruptores Knipswaldae am kleinen Schreckenberg. Ceterum maioris momenti ſunt: *Reſponſum ICtorum Witteberg.* electori in cauſſa monetaria datum: BENIAMINI LEVBERI *de Moneta* tractatio, Ienae 1623. Conſultatio iuridica circa quaeſtionem: " an „creditor ob monetam bonitate imminutam „damnum facere debeat? „ Erfurti impreſſa. Et aliud THEOPHILI Bleichrechts, *Conſultatio* ſcilicet *iuridica* de controuerſiis ex moneta adulterina ortis. VLRICI Wohlraths diſſertatio latina: "an in mutatione monetaria tempus „obligationis contractae ſit reſpiciendum? „ vbi negatiuam tuetur. Poſſunt etiam addi TOBIAE HENCKELII 15 *Sermones conſolatorii* ob monetam corruptam, Magdeburgi 1622. Poſt controuerſiam bohemicam eiusque appendices conſiderandum porro eſt, quid circa electo-

electoratum a Palatino proſcripto in Bauarum translatum contigerit. Vbi quidem doleo, nondum mihi potiſſima, praeſertim Ioh. Adelzreiteri & Nic. Burgundi pro Bauaris, Ioh. Ioach. Rusdorffii pro Palatino ſcripta obtigiſſe; * referam tamen ingenue, quae nanciſci facultas fuit, & imprimis vt ad ſuperiora, cum de Freheri & Gewoldi concertationibus ageremus, reſpiciant, noſtris hortator ero. Nempe iamdudum animo praeceperant Bauari, ſibi prae Palatinis electoralem dignitatem deberi, neque longi temporis praeſcriptionem iuri ſuo quicquam officere. Commodam igitur poſt electorem proſcriptum, honoribus exutum, & patrimonio ſpoliatum, occaſionem nacti, non armis tantum, ſed calamo quoque ius ſuum adſeruerunt, eoque tandem poſt tot labores rem deduxere, vt primo inter electores ſeculares ſiue politicos loco, & Palatinatu ſimul ſuperiore retento, pacis Weſtphalicae tabulis vltimus atque octauus locus Palatino cum inferiore Palatinatu tribueretur. Pertinet igitur huc *Deductio nullitatum proſcriptionis contra electorem Palatinum decretae*, Hagae Com. 1621. *Exemplum inſigne proceſſus in aula caeſarea iudiciarii circa Palatini proſcriptionem*, varias continens

* Nam cum Ioh. Ioachimus a Rusdorff, nobilis Bauarus, Vindicias Palatinas edidiſſet, eas refutare anniſus eſt Ioh. Adelzreiter, I. V. L. & bauaricus electoralis conſiliarius intimus, edita *Aſſertione electoratus bauarici*, anno 1644 fol.

epiſtolas,

epiſtolas, notis illuſtratas 1620. *Aphoriſmi de ſtatu eccleſiae* occaſione electoratus bauarici reſtituendo, per MICHAEL. LONIGVM, cum praefatione & cenſura G. I. V. Lugd. Batau. 1623. Eiusdem LONIGI *Conſilium*, Gregorio XV in eadem cauſſa exhibitum, ibidem, vbi mire romanenſium artes deteguntur, ſimulque oſtenditur, quam acriter Hiſpani, fruſtra licet, obſtiterint, ne electoratus in Bauarum transferretur. Cum vero agnati electoris proſcripti ex gente Palatina, *neoburgici* imprimis, pro quibus non tantum ſanguis, ſed religio etiam militabat, iniuriam ſibi fieri contenderent, anno eodem publicarunt *Rationes* ex Aurea bulla Caroli IV, quibus demonſtrabatur, electoratum Palatinum poſt Fridericum V proſcriptum, & fratrem filiosque eius excluſos, Wolffgango Guilielmo Palatino Rheni deberi. Et haec quidem tum temporis acta. Poſtea vero 1642 Hagae Comit. lucem adſpexit non tantum *Euerſio electoratus bauarici*, quae forte Rusdorffio debetur; ſed IOH. etiam CONRADI BLARERI a GEYERSBERG, *Electoratus Palatinus*, oppoſitus Nicolao Burgundo anno 1643. *Examen & conſideratio*, quid Bauarorum in hac cauſſa interſit pro Palatinis, Londini 1644. *Pomi palaeſtini euaporatio anti-bauarica.* Et tandem anno eodem WAHREMVNDI AB EHRENBERG *Prodromus pacis Oſnabrugenſis* in cauſſa Palatina. Leuioris momenti, nec tamen inter-

intermittenda eſt controuerſia *Hamburgenſis*, quae vrbi cum ducibus interceſſit luneburgenſibus ob liberam in Albi nauigationem, quo referenda Chriſtiani, epiſcopi Mindenſis, *Deductio* 1620. Lubecenſium & Hamburgenſium *Reſponſio*. Eodem anno *Hamburgenſium Deductio* (Hamburg.) in eadem cauſſa: & ducum ad hanc deductionem *Reſponſio*, Goslariae 1620. Interim bella ex bellis ſerebantur, cumque non Fridericus tantum, ſed Mansfeldius quoque, Durlacenſis marchio, & Chriſtianus brunſuicenſis dux, halberſtadienſis praeſul a ducibus caeſarianis fuſi fugatique fuiſſent, Chriſtianus denique IV, Daniae rex, aſt eodem plane ſucceſſu, arma corripuit. Euoluantur ergo de hoc bello *Acta danica* circulique ſaxonici, 1626. *Diſſertatio politica* de armis Daniae regis ordinumque ſaxonicorum. Eodem anno *Animaduerſiones* ad hanc diſſertationem. *Apologia* diſſertationis eodem anno. *Epiſtola* Caluiniani ad lutheranos de armis danicis eodem anno, ſcripta haud dubie a pontificio. *Foedus nouum* inter Danum & alios principes, in gratiam Friderici exulis contractum, 1627 a pontificio profectum. *Diſſertatio* de potentia auſtriaca 1625, auſtriacis fauens. *Claſſicum Germanorum* 1628. *Militis germanici conſideratio*, de cauſſis belli, proteſtantium partibus addicta. *Claſſicum ciuitatum hanſeaticarum* 1628, vbi cauſſa imprimis Stralſundenſis excutitur.

Epidromus claſſici 1629. Quibus omnibus finem & merito quidem imponat *Index* omnium regum, principum, procerum & rerumpublicarum, qui ob cauſſam Palatinam vel occiſi vel plane peſſundati fuere, 1628. Enim vero cum fortuna caeſari ſupra modum adſpiraret, opportunum eſſe videbatur, vt conſilia diu Romae agitata in neruum erumperent, & non tantum caeſaris hereditariae prouinciae, ſed ipſum quoque imperium in aliam plane, praeſertim, quod ad ſacra attineret, faciem transformaretur. Praeluſerat his conſiliis famoſum illud in litteris nomen CASP. SCIOPPIVS, edito Ticini 1619 in 4 *Claſſico belli ſacri*, quod mirum in modum proteſtantium animos turbavit, cum eo ſe vnice peti animaduerterent. Mox igitur diſſertatio germanica prodiit ſub nomine *Florum Scioppianorum*, vbi in praefatione vita & mores Scioppii ſatyrico ſale defricantur. Hanc excepit aliud ſcriptum itidem germanicum, in quo auctor exponit, quid de Scioppii Claſſico iudicandum ſit. Aſt hi velites tantum fuerunt; triarios enimvero egerunt, & iuſta acie cum Scioppio congreſſi ſunt viri doctiſſimi, MATTHIAS BERNEGGERVS, IVSTVSque MEYERVS apud Argentinenſes; hic iuris, ille hiſtoriarum profeſſor. Et Berneggerus quidem aſſumto THEODOSII BERENICI (per anagramma) nomine 1621 emiſit *Tubam pacis*, occentam Claſſico Scioppiano. Mayerus vero

vero nomine nequaquam diſſimulato itidem publicauit iuris publici quaeſtionem capitalem: " Sintne proteſtantes iure caeſareo haeretici, & vltimo ſupplicio afficiendi?,, in quo ſententiam negantem contra Scioppium ſolide & docte firmauit. Sed altius paullatim procedendum, & a prima origine res repetenda eſt. Vix compoſita erat ſuperiore ſeculo pax religioſa, cum anno 1593 conſiliarius quidam electoris Colonienſis ſub FRANCISCI BVRCHARDI nomine librum ederet de *Autonomia* (von freyſtellung der religion) in quo pacem illam vehementer impugnabat. Huic ſeſe ex noſtris oppoſuit IVSTVS SPRINGERVS, nomen ſuum anagrammate *Petri Siringi* tegens & circa annum 1609 de pace religionis contra Burchardum diſſeruit. Mox alius ſub nomine *Chriſtiani a* Rittersbach, anno 1610 & 1615 ſcriptum germanicum, ſatis accuratum, contra Burchardum emiſit, & id quidem in tempore. Nam cum deinde romanenſium arma praevalerent, abunde perſpectum fuit, quantum iſte liber nocuiſſet proteſtantibus, cum Düllingenſes, paullo poſt dicendi, & alii quotidie ad eum prouocarent. Interim nec noſtris deerant flagella, imprimis quidam BARONIVS BROCKARDVS homo peſſimus, qui per totam Germaniam diuagatus, mira & portentoſa, ſed vt euentus docuit, mendaciſſima de conſiliis Romae contra euangelicos agitatis iactabat,

eaque fini monita eius 1619 prodierunt: ſed qui hominem noſſe deſiderant, adeant quaeſo Baudii epiſt. 38 cent. 3 p. m. 352 - - 355, & epiſt. 42 cent. 4, quae eſt Iohannis Wouwerii, vbi veterator ille ſuis coloribus depingitur. Ceterum apud pontificios nouus ſurgebat Scioppius, qui ſub nomine HERMANNI CONRADI BARONIS A FEINDENBVRG *de Cauſſis bellorum in Germania* ita diſſerebat, vt facile prudentiores ſubodorarent, ipſum nihil aliud agere, quam vt odiorum ſemina aperte ſpargeret; vnde *Martha Salome a Belta*, iam ante citata, ſermonem hunc ex latina in vernaculam tranſtulit linguam, addita praefatione, in qua, quid cauendum eſſet, docebat, 1620. Aliusque ſub ARNAVDI IRENAEI nomine *Vindicias* eodem anno emiſit. Quid quod iam antea anno 1612 BARTHOLOMAEVS GOERICIVS, ficto *Antonii de Bembellona* titulo aſſumto, *Commentationem iuridico-politicam*, pro defenſione autonomiae & conſcientiarum libertate, imperiique romani dignitate, publicauit, cum iam antea anno 1602 tempeſtiuum ſuſcitabulum pro principibus, ſiue Commentarium ad Edictum Diocletiani in Chriſtianos, pro defenſione autonomiae & eunomiae in imperio romano conceſſae & conſtitutae, Serueſtae in 4 editis. Et anno deinde 1624 prodibat ſermone latino diſcurſus politicus: " Vtrum electores & principes " Germaniae poſt pacificationem religionis, foedera

foedera contra imperatorem inire poſſent?„ in qua periculoſa philoſophandi ratione, ſententia affirmans crude propugnabatur. Mox alius ex proteſtantibus anno 1626 *Romam irreconciliabilem* latine exhibebat, ſiue euidentiſſimam demonſtrationem, papam regibus, principibus & rebuspublicis chriſtianis omnem viam ad veram tutamque pacem praeſcidiſſe. Enim vero cum poſt Danum praecipue profligatum, romanenſes victoria immodice vterentur, & aperte adſeuerarent, pleroſque proteſtantium principes & ordines imperii, beneficio pacis religioſae, ob immutatam Confeſſionem Auguſtanam receptamque Concordiae formulam, indignos eſſe: theologi ſaxonici, & inter eos Hoëus *defenſionem neceſſariam pupillae euangelicorum* (Confeſſionis ſcilicet Auguſtanae) 1628 Lipſ. in 4 ediderunt, in qua tamen, ſi praefationem excipias, nihil aliud, quam libri ſymbolici eccleſiarum noſtrarum continentur. Hinc mirum in modum ſtrepere pontificii, & libellis paſſim in vulgus emiſſis hanc pupillam inuadere; quibus tamen noſtri paria viciſſim reddere. Primus, quod ſciam, GEORGIVS Landherr, Pragae 1629 in 4 *Oculum acute videntem rotundumque*, in pontificem directum, typis ſubiecit. Cui quidam ex noſtris eodem anno titulo ſatis ridiculo repoſuit: Wer hat das kalb ins auge geſchlagen? Hinc ANDR. FABRICIVS Pupillae *Perſpicillum* adaptauit (Brille auf den

augapffel) & alius vitra genuina veteri perſpicillo applicuit; euangelici autem den Brillenpußer repoſuerunt. Cui Düllingenſes den Auspußer des brillen-pußers reddiderunt, itidemque *Medicum ocularium catholicum* vel *Examen pupillae.* LAVRENTIVS etiam FORERVS Ieſuita ſymbolam contulit, ſcripto libello, cui titulus: Uberſchlag über den ſtaarenſichtigen augapffel. Noſtri vero, quamuis ſine nomine, publicarunt den Kälber-arßt, den neuen ſtaarenſtecher und oculiſten. Ieſuitae oppoſuerunt: Es müſte wohl eine kuh lachen. Aſt hi omnes tantum promachos & velites egerunt, donec a parte pontificiorum prodirent ICti DÜLLINGENSES emiſſo integro libro, & id quidem latino ac vernaculo ſermone, *de Pace religionis*, quo ipſo arcem libertatis & cauſſae euangelicae, quantum in ipſis erat, invaſere, & tantum non cultros iugulo proteſtantium admouerunt. Praeſertim cum Ferdinandus II, tot triumphis formidandus, eodem anno 1629 *Edictum*, toti Germaniae euangelicae terribile, *de Bonis poſt pacem Paſſauienſem occupatis clero reſtituendis*, emitteret, & renitentibus, ipſi etiam Saxoni, tam praeclare de auſtriacis merito, ſatis aperte minitaretur. Ea igitur de re Hoëus praeclarum in fol. conſcripſit & anno 1630 edidit librum: die Haupt-vertheidigung des augapffels, ad quem huc vsque pontificii parum aut nihil repoſuere. Nec tamen interim ceſſare

ceſſare Düllingenſes, ſed laeſae theologos noſtros maieſtatis diuinae & humanae poſtulare, quod papam anti-chriſti nomine infamarent, adeoque ipſum caeſarem & reliquos reges ac principes romano-catholicos pro anti-chriſti aſſeclis haberent. Videatur liber virulentus, cui titulus: der zungen-ſchlitzer. Sparſim praeterea emiſſi alii quoque libelli: *Quaeſtio* puta *de Interim pontificio* 1631 in 4. IOH. BERNH. VNEFRIDI diſſertatio de *Imperiali Conſtitutione ſuper publica vtriusque religionis pace promulgata*, anno 1630. Diſſertatio iuridico-politica, " an ordines euangelici monaſteria & reliqua " bona ſacra clero reddere debeant? " 1632. *Collectio* epiſtolarum de ſtatu Germaniae, quidque euangelicis, ſi pax fiat, ſperandum 1629. *Conſultatio* de bonis eccleſiaſticis, & de legitimo eorum vſu, 1631. *Grauamina*, vt vocant, *euangelicorum*, 1630. *Reſeruatum eccleſiaſticum*, 1630. *Murices iuridico-politici* de reſtitutione bonorum eccleſ. 1631. *Idea Comitialis* 1630, ſcriptum bene longum & cordatum. *Libellus ſupplex theologorum exulum* Würtenbergicorum, Pragenſium, Palatinorum, & Auguſtanorum ad ordines imperii 1630. *Claſſicum euangelicorum*, 1630. Pertinet huc quoque, qui antea commemorandus fuerat, FRIDERICI ALBERTI MAVLII tractatus *de Pace religioſa*, ex Conſtitutionibus imperii collectus, Francof. ad Moenum 1633. IRENAEI Heilands *Meditatio* politica &

apocalyptica, quid principibus euangelicis de compoſitione, quam tum Francofurti ad Moenum inter ſe ordines imperii agitabant, exſpectandum, 1631. Item diſcurſus epiſtolicus: „An euangelicis Germaniae Paſſauienſi tractatione, vel vlla alia pacificatione, contra tyrannidem pontificis ſatis cautum ſit?„ 1632. *Protocollum* tandem conſultationum & cogitationum de conuentu Ratisbonenſi 1630 in 4to. Quam vero animi tunc exaſperati fuerint, docet non tantum epiſtola MSCta hominis latina, qua elector Saxo acerbiſſime perſtringitur; ſed etiam, quae illo tempore in Bohemia, Auſtria, Sileſia & in ipſo imperio, Palatinatu & Auguſtae Vindelicorum non ſine vi manuque militari effectui dabatur, religionis romanae inſtauratio. Videantur *Prodromus* diffuſioris, quam auctor exſpectare iubet, narrationis de ſacrorum apud Auſtrios ſuperiores inſtauratione 1626 Vien. in 4 editus, vbi, quicquid durius actum eſſe videbatur, miris verborum lenociniis inuoluitur atque excuſatur. E contrario ex euangelicis anonymus quidam, quam in Palatinatu ſuperiore noſtri vexati atque exagitati fuerint, memorabili commemoratione expoſuit, ſecundum 1638 germanico ſermone publicata. Maxime autem commendari debent *Acta reformationis Auguſtanae*, duobus voluminibus in 4 Noribergae 1630 & 1632 impreſſa, quam Collectionem ſemper ante oculos habere deberent,

qui

qui in iis ciuitatibus viuunt, vbi ſacrorum libertati a dominante periculum imminet. Pertinent huc quoque *duae epiſtolae* a Saxonum electore pro Auguſtanis 1630 ſcriptae, quas vix tum in lucem emiſſas cenſura ſatis acri notauit ſcriptor anonymus romanenſis, quamuis Saxones ſtatim impetum illum apologia retuderint. Conferri etiam debet GOBELII, Auguſtanorum theologi, *Sermo valedictorius* die 8 auguſt. 1629 dictus & poſtea praelo ſubiectus. An tanti ſit edictum in ducatibus Sileſiae Suidnicenſi & Iauranienſi a Bibranio propoſitum, & Saxonis pro iisdem apud caeſarem deprecatio, vt hic locum inueniat, viderint alii. Nos enim his moleſtiis expediti ad Suecica properamus.

§. XII.

Ea ſane ipſa aggreſſuri ob rerum magnitudinem iterum in aliquot capita collectionem noſtram diſtinguemus. Primo ſcilicet agemus de irruptione Sueci in Germaniam, eoque pertinentibus. Haec excipient Magdeburgica: Sequetur victoria Lipſienſis eique annexa caedes Wallenſteiniana: pax Pragenſis; & tandem, qui in ſanctione Weſtphalica recenſenda & expendenda, tum caeſaris tum aduerſariorum conſilia explicarunt. Suecicorum initium faciemus a ſcripto germanico, quod ſub nomine *Tribuni caeſariani* 1630 lucem adſpexit, de delectibus nempe militum in urbibus hanſeaticis inſtituendis: „vtrum expediat„

„ caeſari, vt claſſem in mari baltico exornet?„ vbi auctor ita rem gerit, vt vix liqueat, cuinam addictus ſit. Deinde euoluenda eſt *Narratio de obſidione Stralſundenſi*, a magiſtratu urbico cum appendicibus magni momenti 1629 publicata: itemque *Calamitas triennalis pomeranica*, Stetini 1631. *Laniena Paswalcenſis* 1630. *Acta* inter electorem Saxonem & legatum Hiſpanorum regis 1631. FRANCISCI A SICKINGEN (quod fictum omnino nomen eſt) *Diſſertatio:* „ vtrum expediat proteſtantibus, pacem vel vni„ verſalem vel particularem cum romanenſibus „ inire? „ 1632. VLRICI HVTTENI *iunioris* ſiue rediuiui expeditio romana (Römer=zug) 1632. SIMONIS WILDII *Commentatio:* "an „ proteſtantibus integrum ſit, conſilia a Suecis „ ſeparata habere? „ 1631. *Claſſicum ſyncretiſmi euangelici*, 1631, contra romanenſes. *Aſinus germanicus ſine corde & auribus*, ſcriptum mordax, aſt interim ſatis cordatum. GOTHOFREDI ROBERTI *Diſſertatio*, "an exigua evange„ licorum manus infinitae romanenſium poten„ tiae reſiſtere queat? „ 1632. REGII SELENI, *quod defenſio ſit ex lege naturali*, 1632. *Conſilium*, quomodo euangelici poſt monitoria, quae vocant, caeſarea ſe gerere debeant, 1631. *Prognoſticon* de decretis conuentus Lipſienſis, 1632, vbi principum euangelicorum conſilia non ſatis firma notantur, & in vno Sueco omne cauſſae praeſidium vnice reponendum eſſe oſten-

oſtenditur, 1632. *Speculum imperii* notis illuſtratum 1631. *Indicia ſynoptica*, ſiue breuis oſtenſio cauſſarum belli Suecici, 1633. *Apologia defenſionis juſtae neceſſaria*, a theologo anonymo ſcripta 1633. *Trifolium reformationis ſuecicae*, 1633. WAHREMVNDI a Bittergutß *Conſultatio*, in qua docetur, qua ratione ordines euangelici ruinam prouinciarum ſuarum auertere queant, 1632. *Poteſtas aquilonaris*, ſiue epiſtola: "an „ pontificii, clerus praeſertim, obligati ſint, regi „ Sueciae iusiurandum praeſtare, eiusque in „ publicis precibus mentionem facere? „ Lipſ. 1632, in qua auctor ſententiam affirmantem tulit. *Narratio* de duobus Guſtauis, auo & nepote, 1632. Tandemque *Colloquium politicum* de quaeſtione, vtrum expediat partes Suecorum amplecti? 1632. Cladis Magdeburgicae, & eorum, quae de illa prodita fuere, initium ducimus a prima hoc ſeculo vrbis obſidione, cuius *deſcriptio* 1629 prodiit. Addenda eſt alia *de Turbis Magdeburgicis narratio* eodem anno emiſſa. *Conſilium* boni ciuis, quomodo archi-epiſcopatus Magdeburgenſis priſtino ſplendori reddi poſſit, 1630. *Deductio Magdeburgica* paullo ante ſecundam vrbis fatalem obſidionem 1631 edita. *Epiſtola* Lubeca Hamburgum ſcripta, de ſtatu, vt tunc ſe habebat, Magdeburgico, 1630. *Deſcriptio Magdeburgi*, 1631. *Eucharii Eleuterii Fax Magdeburgica*, *Nuptiae Magdeburgicae*, imagine aenea illuſtratae, & haec quidem

pro Magdeburgenſibus faciunt. Cum vero miſerabilis iſta ſtrages totam paſſim Germaniam, & imprimis ordines euangelicos ſupra modum perturbaret, non defuere ſibi romanenſes, ſed partim vrbem ſeditionis & rebellii incuſando, partim ſibi de tanta victoria gratulando, inuidiam imminuere conati ſunt. Et anonymus quidam in vicino Bergenſi monaſterio clericus ſtatim poſt vrbis excidium *ſermone funebri* non ſine lacrymis ciuibus trucidatis parentauit; quas tamen fictas & crocodili fuiſſe, oſtendit quidam ficti nominis ſcriptor *Theophilus Lampertus* in Magdeburgo rediuiva. In ciues quoque & vrbem calamum ſtrinxit auctor *Buſti virginis* Magdeburgicae, hiſtorica & politica luce illuſtrati. Prodierunt etiam *epiſtolae* de vrbis expugnatione, in quibus Tillii clementia laudibus ad coelum affertur, ciues vero pertinaciae poſtulantur. Eiusdem tenoris eſt *Narratio* de excidio Magdeburgico haud dubie a caeſariano profecta, in qua auctor affectibus ſatis indulget & exciſae vrbi non ſatis chriſtiane illudit. Omitto imagines aeneas & rythmos male cohaerentes, in quibus tabulae nuptiales & epithalamium, ac dialogus vrbis cum Guſtauo, ſatis illepide exprimuntur; vt & *Apologiam ciuitatis Hallenſis* 1630, inter illas turbas a milite caeſariano praeter ſpem occupatae. Ipſe quidem Guſtauus cum apud pleroſque male audiret, quod vrbi non citius auxilium tuliſſet,

tuliſſet, emiſſa apologia luculenter docuit, quid conſilia eius impedierit, omnemque cladis culpam in electorem brandenburgicum & Saxonem, nimis diu haeſitantes ac conſilii ambiguos, coniecit. Poſt hos denique prodiit Exhortatio 1632, qua monentur Germani, vt de Magdeburgo in priorem ſtatum reſtituenda cogitent. Victoriam Sueci & Saxonis Lipſiae & quae eam inſecutae ſunt, illuſtrant THEOPH. LAMPERTI *Victoria Pleiſſenburgica* 1631. *Narratio*, quomodo Guſtauus Erfurti receptus fuerit, iuſſu ſenatus Erfurtenſis 1634 conſcripta in 4to. *Conſiliarius pontificiorum bellicus*, 1631. *Conſilium*, quomodo electores clerici ex turbis, quibus inuoluti ſunt, emergere poſſint, 1632, ipſis, credo, non admodum gratum, quia auctor aperte ſacrorum mutationem ſuadet. *Magna horologii campana*, ſonans & exſuſcitans ad iuſtiſſima arma militaria recipienda, & longum exoptatam pacem recuperandam, tribus partibus conſtans, 1632. *Verba regia* Francofurti ad Moenum facta, more iam conſueto Guſtauiana vocare poſſes 1632, magni certe ponderis, ſi veritate niterentur. *Emunctorium DEI & S. rom. imperii* 1632. *Colloquium* Prodromi & Neophili de ſcopo copiarum ſuecicarum & brandenburgicarum, tunc temporis in Sileſia ſtatiua habentium, 1632. *Thurnii Comitis Apologia*, qua cladem ad Steinauiam acceptam excuſat 1633 in 4. *Laniena Goldbergenſis*, 1633.

Reichenbachium excuſſum non exuſtum, anno 1634. *Epiſtola* equitis ex Saxonia inferiore de mortuis Guſtauo Sueco & Friderico Palatino, 1632. *Larua hiſpanica,* ſiue demonſtratio, quod Hiſpania non adeo orbi & imprimis Germaniae ſit metuenda, Francof. 1633. CHRISTIANI MEYERI breuis *Admonitio* de ſtatu rerum euangelicarum, 1634. HOFMANNI SIGFRIDI *Monumentum* ad ordines euangelicos poſt mortem regis ſuecani, 1633 in 4. *Anonymi* Admonitio de aequandis vectigalibus & tributis bellicis 1634 in 4. Tranſeo *Imagines* & *Rythmos*, libellis famoſis non abſimiles, quamuis tales etiam HORTLEDERVS, cuius hic veſtigia premimus, non penitus neglexerit. Vidimus ex iſtis *Fortunam Tillianam; Sartorem gallicanum ictum; Anniuerſaria Lipſienſia*, in qua farragine inter alia bellaria quoque ſaxonica occurrunt; *Suecica & Saxonica bemmata* (ſchau-eſſen,) *Anſerem Martinianum Pragenſem*, *Epulas Tillii*, & quae alia huius generis. Maioris momenti vero ſunt theologi inter lutheranos pietate ac eruditione praeſtantiſſimi * opuſcula quaedam iunctim 1633 excuſa, ſcilicet Guſtaui Adolphi ſuprema verba: Xenorae matris cum Pſilolaea filia Colloquium, vbi per Xenoram ducatus Würtenbergicus, & per Pſilolaeam oppidum Calua deſignatur, cuius ille antiſtitem agebat, Threni denique Caluenſes, quibus vrbis Caluae buſtum,

* Haud dubie Ioh. Valentini Andreae.

ſors

ſors praeſens lamentabilis & innocentia exprimitur, 1630. Facit etiam vtramque paginam in rebus periodi huius *caedes Wallenſteiniana* *, de qua ſequentia in manus meas MSCta venerunt: *Alberti Fridlandi perduellionis chaos*, ſiue ingrati animi abyſſus, 1634, germanico quoque idiomate expreſſa 1634. *Apologia percuſſorum Wallenſteinianorum*, 1634. Et *Narratio parnaſſia*, in quibus percuſſores Wallenſteinii ingrati animi arguuntur. Cum poſtea 1635 inter Caeſarem & Saxonem alioſque Pragae, qui circa eius auctoritatem ſequebantur, ordines pax invitis Suecis, Gallis, Haſſis, coiret, mirum dictu, quanta animorum contentione pro pace & contra pacem declamatum fuerit. Pro pace faciunt *Apologia* 1636. *Edictum electoris*, qua monentur omnes, Saxones praeſertim, ne temere de hac pace iudicent, 1637. *Vindiciae pacificationis Pragenſis*, 1635. *Conſultatio*, qua cauſſae indicantur, quare electores principes & ordines, praeſertim cum Gallo foederati, pacem Pragenſem admittere debeant. *Quaeſtiones* quaedam circa hanc pacem & ad eas reſponſiones, 1635. *Diſſertatio:* an pax componenda, & vtrum romanenſibus fides habenda? *Conſilium:* vtrum hoſtes imperii verbis & factis iuuandi ſint? 1639. *Cauſſae:* quare a bello ſit deſiſtendum, & omnibus amneſtia concedenda? 1631. *Clypeus* aduerſus tela obtrectatorum, ſine die &

* Caedes Wallenſteiniana.

conſule. *Ferdinandi II motiua ſeria pacis Pragenſis*, 1635. *Brutus germanicus* 1636, ſcriptum mordax & liberum, in quo Suecis beneficia a Germanis accepta & ſpolia reportata acerrime exprobrantur. INNOCENTII EHRENBERGII a TREITSBERG *Turbator pacis ſuecicus.* GOTHOFREDI HARNISCH *Reſponſio* ad tres Ioachimi Gerzonis epiſtolas de pace Pragenſi. *Reſponſio legatis Sileſiorum* ab electore ſaxonico 1635 data, & quid Sileſii ad eam regeſſerint. CHRISTOPH. SIGFRIDI a GRÜNENWALD Gratus electoris Saxonis animus erga Suecos 1637 in 4. LAVRENTII FORERI rationes pro amneſtia & contra amneſtiam, Francof. 1640. Ceterum theologi etiam duo pro hac pace ſententiam dixerunt, *Iohannes* nempe *Gerhardus*, pietatis & doctrinae fama ſuper aethera notus, qui in praefatione ad 3 partem homiliarum, quam ad Antonium Wolffium, cancellarium darmſtadio-haſſiacum pacis huius praecipuum pararium, directa & 1636 ſcripta anno 1640 vero Ienae ſecundum in 8 recuſa, pacem Pragenſem non vno nomine commendat, quamuis vt mox audiemus, eam ob cauſſam non male tantum apud Suecos & eorum auctores audierit, ſed etiam ab anonymo mendaciſſime perſtrictus fuerit, quod in cauſſa quoque fuiſſe credo, vt in editione 3, 1647 ab haeredibus in 4 emiſſa haec epiſtola non inueniatur, licet ſeorſim quoque excuſa haberi poſſit.

Gerhar-

Gerhardum, ſed cautius, imitatus eſt *Tobias Wagnerus*, cuius de pace hac oratio, Eslingae 1635 iuſſu ſenatus habita, legi profecto meretur, licet nec ipſa cenſuram, aſt ruſticam *Ioh. Warneri* infra ſuo loco a nobis cenſendi, effugerit. vid. *Conciones* ipſius, quas vocat, *caſuales*, Stutgard. 1658 impreſſ. ſect. 3 p. 249 - - 288. In pacem inuectiuas virulentas non pauciores compoſuerunt. Primo loco ponenda eſt *Comparatio conditionum* Pirnae primo latarum, ſed poſtea Pragae multis in locis immutatarum, 1636. *Epiſtolae* ab electore ad Suecorum duces, & ab his ad illum ſcriptae, auctoritate Oxenſtiernae publicatae 1636. *Vindiciae ſecundum libertatem german. contra pacem Pragenſem* 1636, & aliud ſcriptum ſine die, conſule & titulo, vbi in vindiciis Gerhardus non pro dignitate tractatur. *Bruti bruta vox & oraculum* 1638. *Theologorum* celebrium & praeſtantium *Iudicia de pace Pragenſi*, Stralſundae 1636. Tandemque BERNHARDI COMENII, ſub quo nomine alium quendam latere credo, *Prodromum exequiarum funeſtae pacificationis Pragenſis*, nec non *Guſtauus, Fridericus & Landgrauius rediuiui*, Roterodami 1639. Poſt pacem Pragenſem, Ferdinando III 1636 in regem Romanorum Ratisbonae inaugurato, TILEMANNVS STELLA Bipontinus a Richelio Cardinale auctoratus, ſub nomine *Iuſti Aſterii* Hanouiae ſiue potius in Belgio 1637 *Examen comitiorum Ratisbonenſium*

ſermone latino luci expoſuit. Cui PETRVS OSTERMANNVS, ICtus Colonienſis, *legitimam Ferdinandi III coronationem* eadem lingua anno 1640 repoſuit. Addi quoque poterit ad haec tempora pertinens BENEDICTI BAHRII *oratio* latina pro pace exulante 1646 in 4. De *Diariis obſidionum Lipſienſium & Freibergae* nihil hic dico, cum maximam partem Theatro europaeo inſerta ſint. Attamen cum minores quoque controuerſiae inter haec belligerantium ſtudia feruerent, nec illae penitus ſunt ſilendae. Talis eſt, quae Hamburgenſibus cum Dano rege ob telonium in Albi inſtitutum interceſſit, quo de argumento prodiit 1630 ſcriptum Hamburg. lectu dignum in 4. Treuirenſium electorum & comitum Saynenſium lites, vbi *comitum* tantum *apologiam* mihi videre licuit, & cauſſa caſſellana ac darmſtatina, primo ſcriptis, ſed dein armis diſceptata. Ad quam referantur *Reſolutio* breuis quaeſtionum duarum in cauſſa haſſiaca pro darmſtatinis 1637 lat. 4. *Conditiones* a darmſtatino, caſſellanis propoſitae Marpurgi 1636, quae tamen poſtea in fumum abierunt. *Variae epiſtolae* contra Georgium landgrauium darmſtadinum 1638 in 4. Et tandem *Conſiderationes* breues ſuper litteris conſiliariorum caſſellanorum in 4.

§. XIII.

Tempus eſt, vt ad pacem Weſtphalicam gradum promoueamus, cui variis ſcriptis praeluſum fuit,

fuit, quaeque validos tum aduerſarios tum defenſores nacta eſt. Inter proluſiones recenſemus *anonymi* epiſtolam de tractatibus Monaſterienſibus, & *Sinceri Germanici* inquiſitionem in illam 1635; *Scripta* catholicorum & euangelicorum reciproca Monaſterii 1646; *Rationes*, quibus demonſtratur, Galliam pacem nolle; *Bibliothecam gallo-ſuecicam* 1647 in 4, ſatyram vtique ingenioſiſſimam; *Periſtromata turcica & aulaea romana*, quibus accedunt Gallia & Germania deplorata, quorum auctorem haberi HARSDÖRFFERVM, in propatulo eſt. Vt taceam 4 volumina *Actorum* de hac pace ſeorſim primum emiſſa, & dein haud dubie Collectioni Londorpianae inſerta. Ipſam pacem horribili ab exquiliis fulmine afflauit Innocentius X, pontifex romanus, aegerrime ferens, tot bona ſacra, tot pingues cleri reditus, in proteſtantium manus lege aeternatura transferri. Pontificis paraſtatam egit ficti nominis, ſed acris interim & noſtris infeſtus ſcriptor, ERNESTVS DE EVSEBIIS, ciuis romanus, (ſub quo ſchemate quidam *Fabium Chiſium*, pontificis tunc temporis legatum ad comitia pacis Monaſterienſia, alii vero *Henricum Wagnereccium*, Ieſuitam magni nominis in academia Düllingana, deſignari putant) qui *iudicio theologico* ſuper quaeſtione: "An pax, qualem deſiderant proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita?" in vulgus emiſſo, & ſententia affirmante fortiter propugnata

animos procerum romanenſium vehementiſſime conturbauit, & a pace magnopere alienavit; verum oppoſuit ſe ex ipſis Latinorum caſtris & quidem magno argumentorum robore inſtructus IOHAN. CARAMVEL A LOBKOWITZ, variis vaſtisque aliunde voluminibus notus, quo iuſſu vt creditur Ferdinandi III, & Maximiliani electoris bauarici, tot belli cladium pertaeſorum, & pacis ſupra modum auidorum, laudabilem hac in re operam poſuit, emiſſo primum opere, cui titulus: *Sacri romani imperii pax licita demonſtrata* anno 1640 in 4. Quibus eodem anno acceſſit *Prodromus & Syndromus*, quod deinde opus longe alia facie & alio cultu, forma maiori, editione tertia Viennae 1649 prodiit. Ceterum ex noſtris celeberrimus CONRINGIVS fraude perquam laudabili, aſſumta ſcriptoris pontificii perſona, & nomine *Irenaei Eubuli* theologi auſtriaci, *Conſultationem catholicam de pace perpetua proteſtantibus danda*, primum calamo tantum in multa exempla transfuſum Monaſterii & Oſterburgae ſpargi curauit, eo cum ſucceſſu, vt non modo vtriusque partis omnibus, qui pacem amabant, immenſe placeret; ſed etiam curante ac laudante ignotum amici & familiaris ſui opuſculum Iacobo Lampadio, Brunſuicenſium ac Luneburgenſium ducum legato, qui ſtrenue tunc & animoſe pacis negotium curabat, typis excuderetur; addita inſigni praefatione, in qua

Irenaeum

Irenaeum hunc multiiugae eruditionis virum multisque egregiis dotibus praeditum eſſe confitetur, indignans tamen, quod religionem noſtram haereſin appellarit, quod vtique faciendum erat τὸ πρέπον obſeruare volenti Conringio. Pace autem iam confecta atque adeo fructu ſilentii ac ſimulationis abunde percepto nullam ſibi cauſſam ſupereſſe putauit vir illuſtris, quare nomen ſuum diutius ſilentio premeret, adeoque denuo Helmſtad. 1653 hac conſultatione, additaque animaduerſione in Bullam Innocentianam, elogium operi praeſcripſit HERMANNI CONRINGII *de Pace perpetua inter imperii germanici ordines religione diſſidentes ſeruanda*, quos ipſos libros 1677 altero tanto auctiores denuo euulgauit. Promittens inſuper in praefatione, ſe ſingulari libro argumentum nobile *de iure principum circa ſacra* pertractaturum, & aperta fronte demonſtraturum, omni ſummae poteſtati ciuili incumbere quidem ſeriam religionis in ſua ciuitate curationem; vltra tamen natura nota pietatis praecepta non illi licere vi aut poenis adhibitis quicquam imperare. Ceterum ex theologis noſtris Erneſto ſeſe oppoſuit IOHAN. GEORG. DORSCHEVS, vir incomparabilis, emiſſo 1648 Argentorati *Prodromo anticriſeos theologicae*, ſiue Inuectiua in vehiculum, quod Erneſtus Iudicio ſubmiſerat, quodque Dorſcheus vna cum Iudicio Prodromo addidit. Succeſſit mox ipſa

Anticriſis theologica, docta profecto ac laborioſa, tandemque *Triga ſyndromos anticriſios theologicae* ſiue conſilia trium ICtorum Patauinorum Marci Mantuae Bonafidii, Philippi Iacobi Bortii Imolenſis, & Tiberii Deciani Vtinenſis, caſibus praeſentibus applicata & obſeruationibus illuſtrata, praemiſſa ſimul diſſertatione de *Angelis pacis*. Dorſcheo adiungendus venit TOBIAS WAGNERVS, qui 1646 ſermone Eslingae habito, qui inſcribitur: *Conſultatio pacis Germaniae*, quam cupide euangelici pacem expetant, luculenter demonſtrauit, ſimulque indiculum edidit, in quo iniquitates ex Iudicio Erneſti collegit, ſtiloque latino orbi expoſuit: editi ſunt hi duo libelli, vna cum concione eucharistica doctaque praefatione de variis variorum ſuper hac pace iudiciis, in concionibus ſelectis ſiue caſualibus ſupra laudatis. Nec tamen ſiluit Erneſtus, ſed Caramueli *Anti-Caramuelem*, nobis nec dum viſum, Dorſcheo vero *Reformationem*, quam vocant ſolidam, ſcripto a contraria parte 1640 oppoſuit. Interim ex Belgio quoque duo proteſtantium celebres theologi aduerſus Innocentii bullam calamum ſtrinxerunt, DAVIDES nempe BLONDELLVS & IOHAN. HORNBECCIVS. Et huius quidem liber, vero auctoris nomine praefixo, circa annum 1650 lucem adſpexit. Blondello autem placuit ſub *Amandi Flauiani* nomine *Pacis Auguſtae municipis commonitorium* emittere ad

reges,

reges, ordines, principes, populos chriſtianos de fulmine nuper ex Esquiliis vibrato, Eleutheropoli, vt titulus habet, typis Gratiani Veneti 1651 impreſſum. Agmen claudet BENEDICTVS CARPZOVIVS, ICtorum in Germania princeps, qui ſub *Ludouici de Monte Speruto* nomine pacem Weſtphalicam acriter tutatus eſt.

§. XIV.

Poteramus tandem ex iſta, quibus ſponte humeros onerauimus, commentariorum mole emergere, & ad periodum tertiam quartamque progredi, niſi de vaticiniis, tempore belli ſuecani diſſeminatis, & celebri circa illa controuerſia nobis aliquid dicendum eſſet. Quemadmodum in tempore belli bohemici, vt ſupra docuimus, varii undiquaque conſurgebant vates, aut potius fatui & impoſtores, qui id vnice curabant, vt plebi placerent, quas repraeſentabant, fabellae, ſuosque non ex ima cauea, ſed ſumma ſubinde orcheſtra inueniebant applauſores, ita etiam, dum Suecorum arma victricia Germaniam peragrarent, accidit. Fidem huic rei faciunt *Viſiones*, vti vocatur, *ludimagiſtri Alſtadenſis*, in Palatinatu ſuperiore, quas anno 1630 auctiores ediderunt, additis ſacerdotis in marchionatu Anſpacenſi & virginis bohemae vaticiniis. *Georgii* deinde *Riſcheri* Vaticinium 1630. *Iohan. Faulhaberi* ex rebus creatis praeſagia 1632. *Germani* von den Hutt Praedictiones 1633. Quibus tamen omnibus veri nihilque

ſolidi ſubeſt. Melioris certe commatis eſt DAVIDIS AB OPPEN, equitis marchici, *Speculum nobile poenitentia*, cum conſenſu theologorum Francofurtenſium & iudicio Wagneri, doctoris & profeſſoris medici, Francofurti ad Viadrum 1630 editum, de quo Oppenio, miris ſpectrorum vexationibus exagitato, non tantum praefatio Speculi, ſed Gotthilff Treuerus in Parentalibus germanico ſermone editis legi meretur. Speculum certe ipſum nihil aliud, niſi pia & ſeria ad reſipiſcentiam monita continet, nec vt reliqua fanaticorum & ſomniatorum ſcripta mendaciis ac illuſionibus repletum eſt. Nemo autem ex his omnibus maiore veſania & temeritate in caeſarem, in domum auguſtam, in reliquos imperii electores & principes pontificios, in Suecorum gratiam debacchatus eſt, quam IOH. WARNERVS, viſis & praedictionibus ſuis primum 1638 in 4 editis, & dein 1645 recuſis. Vbi homo mendaciſſimus inter alia nugatur, imperium a familia auſtriaca plane aufferri debere, ducemque magnum Moſcouiae filiam in matrimonium daturum principi Germano, ſimulque in Lutheri caſtra tranſiturum, quae quam inania fuerint, euentus docuit. Traxit tamen, quod mirere, quosdam non incelebres theologos in ſuas partes, quorum anteſignanus eſſe videtur IACOB. FABRICIVS, eccleſiarum in orientali Pomerania ſuperintendens, vt vocant, generalis.

Cum

Cum enim Iacobus Stolterfotius, Lubecenſis theologus, animaduerteret, quantum eiusmodi inſulſa vaticinia rei euangelicae damnum, quantam ſimul infamiam inferrent, ſcripſit & 1638 edidit *Conſiderationem viſionum*; quem librum, quamuis diſſimulato auctoris nomine, aggreſſus eſt Fabricius in Probatione viſionum, 1642 apud Endteros edita, & theologis Wittenbergenſibus, qui tamen cum ipſo hic non faciebant, inſcripta, vbi Stolterfotius, licet non nominetur, mirum tamen in modum traducitur, videturque pientiſſimus alias & doctiſſimus Saubertus & ipſe aliquid humani paſſus eſſe, nouisque vatibus ac Fabricio eorum fautori pollicem preſſiſſe. Ceterum Stolterfotius viſo Fabricii ſcripto 1645 *Conſiderationem viſionum apologeticam* edidit, in qua priorem libellum repetiit, ſimulque Fabricii obiectiones ſingulari additamento eliſit. Hoc tam aegre tulit Fabricius, vt Sedini 1646 in lucem emitteret *Invictam viſionum probationem*, & aduerſarium ſophiſtae rixoſi opprobrio afficeret; quem librum anno ſequente Stolterfotius non magis ſolide quam maſcule refutauit, ſecunda etiam parte alium Fabricii libellum, *Depulſionem* ſcilicet *contumeliae* immeritae, reuellens. Tantum autem abeſt, vt Fabricii ſententia placuerit theologis moderatis atque prudentibus, vt potius Wagnerus ſaepius laudatus, cum Warneri ineptias ſect. 5 Sermonum miſcellorum redarguiſſet

in Appendice quoque Fabricii, a quo nominatim impetitus fuerat, intemperantiam caſtigaret, hominemque ſui oblitum modeſte admoneret. Sicut quoque deinde anno 1648 vatem Gorlicenſem in ducatu Würtenbergico *Iohan. Kelium* p. 737 vna cum aliis fanaticis, ſuis coloribus depinxit, & ab iis cauendum eſſe monuit. Quae tanto libentius ſubiungere placet, quanto nunc magis proh dolor! eiusmodi inſulſis vaticiniis paſſim eccleſia turbatur, eoque ipſi propemodum codici ſacro ab hominibus male ſanis, & ſub ſanctitatis ac pietatis nomine inſignem ſiue malitiam ſiue ſtultitiam obuelantibus praeferuntur.

§. XV.

A periodo ſecunda tandem aliquando tertiam ingredimur, in qua, vt & in quarta, breuiores nos eſſe licebit, quia collectores Diarii europaei, cuius, vt nunc mihi certo conſtat, 45 prodiere tomi, ſingulis tomis ingentem eiusmodi actorum farraginem, vtili ſane inſtituto, adiunxerunt. Vnde celebriores tantum controuerſias leuiter delibare, & quae forte ibi omiſſa fuere, ex tenui noſtra ſuppellectile ſupplere nobis animus eſt. Prima itaque poſt pacem compoſitam *controuerſia* videtur eſſe *Bremenſis*, quae vrbi primum cum archi-epiſcopo, & quando iſte Suecis ceſſit, deinde cum rege ac regno ſuecano ab anno 1642 ad 1666 interceſſit, neque dum compoſita eſt, magnarumque

ſequenti

ſequenti forſan ſeculo turbarum materiam praebitura eſt. Occurrerunt mihi ex iis, quae huc pertinent, actis *Prodromus Bremenſis* & *Archi-epiſcopi epidromus contra prodromum*, 1641, vt & HENRICI KREFFTINGII *Expoſitio iurium archi-epiſcopalium contra Bremenſes* 1642. Conſtatque mihi, celeberrimum Conringium pro Suecis varia conſcripſiſſe, quae tamen, an lucem vnquam adſpexerint, non ſatis liquet. Marchionibus porro *brandenburgicis lis* fuit cum epiſcopo *Herbipolenſi, de Kitzinga*, Franconiae oppido ad Moenum ſito. Prodiit *Brandenburgicorum iurium expoſitio* 1652 fol. Ceterum Ferdinando III e viuis ſublato, cum de nouo caeſare eligendo ageretur, Gallusque Auſtriacorum votis, artibus miris obſtaret, ſcriptis hinc inde certatum eſt. Prodiit tunc temporis *Epiſtola equitis romani* Francofurtum miſſa, in qua agitur de eligendo rege Romanorum, gallice & latine, 1658, in qua auctor gallicanarum partium defenſorem ſtrenuum agit. Prodiit tamen anno ſequenti *Reſponſum equitis Germani*, itidem gallice & latine, ad hanc epiſtolam. Quin etiam 1658 libellus germanicus paſſim diſſeminatus eſt, in quo ad quaeſtionem: *Quid Galli in comitiis electoralibus egerint?* reſpondetur: *Gallos ſalutem Germaniae ſummo ſtudio procuraſſe.* Ceterum IOHAN. FRISCHMANNVS, regis chriſtianiſſimi legatus, Argentorati reſidens, vir ingenio ciuili

praeditus & ad ſtilum lapidarium, quem vocant, plane natus, inſigne operae pretium ſe facturum putauit, ſi labores electorum & comitiorum ſeriem hoc ipſo dicendi genere exponeret. Hinc emiſit ſine nomine 1657 *Collegium electorale*, *Collegium reliquorum imperii deputatorum*, *Moguntinos labores electorales*, & anno ſequenti *Labores electorum.* Cum vero non deeſſent viri ſummi, & inter hos Boeclerus, qui improbarent, ſtilo eiusmodi arguto & ad ſatyras potius quam hiſtoriam apto, grauiſſima imperii momenta librari atque expendi: prodiit anno ſequenti *Cenſura in Collegium electorale amica*, cui Friſchmannus ſtatim eodem ſtilo repoſuit *Cenſuram cenſurae*, quae cenſura *repetita altera amica in Collegium cenſura*, additoque *Reſponſo in Cenſuram cenſurae*, notata fuit. Equidem quid Boeclerus de tota re ſenſerit, abunde docent verba in Muſaeo p. 97 exſtantia, quae ita ſe habent: " Hac euagandi „ importunitate factum eſſe, vt panegyricos, ſi „ diis placet, aut neſcio quod mixtum ex hiſto- „ ria & laudatione chaos in hunc habitum ad- „ ornare, momenta & apices negotiorum tali- „ bus metiri modulis, nonnulli artem fecerint. „ Callide illos quidem, quod ſani coloris ora- „ tione aut facundia nunquam exprimere „ queant, tam inopinabili ſermonis habitu in- „ duiſſe, vt ſicut nonnullis veſtium generibus „ corporis vitia artificioſe diſſimulantur, ita ſub

ſub nouitatis improuiſa larua ſcriptioni in-„ ducta, ſcriptoris infantia invelaretur.„ Quibus verbis Friſchmannum perſtringi, nemo non videt. Placuit tamen multis hoc ſcriptionis genus, ac non paucos reperit imitatores, vt ſubinde monebimus, iudicatque ex vero alicubi Schurtzfleiſchius in epiſtolis, expeditum ad ſatyras ſcribendas Friſchmanno ingenium fuisſe. Gliſcebat inter haec, de qua ſupra iam quaedam monuimus, *controuerſia* inter electores Bauarum & Palatinum *de vicariatu.* Et Bauaros quidem mox poſt Ferdinandi diſcesſum, edicto publico expoſito omnes & ſingulos, praeſertim in circulo bauarico & franconico poſitos monuit, vicarii ius penes ſe eſſe: cui aliud edictum oppoſuit Palatinus. Prodiit 1657 breuis *Expoſitio iuris*, quod electori Palatino in tractu rhenano illisque prouinciis, quae legibus ſueuicis & franconicis vtuntur, competit. Faciem vero aulae Leopoldinae, vt ſub ipſis imperii auſpiciis ſe habuit, nitide repraeſentauit BAPTISTA NANIVS, ſenator Venetus, in *Commentatiuncula de aula caeſarea*, quam ex more a legatione redux patribus Venetorum conſcriptis exhibuit, quamque reperire eſt in collectione italicorum variorum ad hiſtoriam huius aeui pertinentium ſcriptorum, cui titulus eſt: *Europa geloſa.* Ceterum nequaquam obliuiſci debemus *controuerſiae* celebris, quam iam anno 1656 ante Ferdinandi III

exceſſum, a Moguntino & Colonienſi archipraeſulibus *de iure coronandi regem Romanorum* agitata fuit. Et Moguntini quidem ius eo ipſo anno adſeruit vir celeberrimus HERMANNVS CONRINGIVS, quae editio tertium deinde auctior & emendatior Helmſtadii 1664 in 4 prodiit. Interim alius quoque *anonymus* de iure coronandi pro electore Moguntino diſſertationem 1655 emiſit. Quibus Moguntini iuris propugnatoribus Colonienſes non tantum *Vindicias*, ſed *iteratas* inſuper *vindicias* iisdem annis oppoſuerunt. Conringius vero ſtatim edidit *Examen iteratarum vindiciarum* iuris coronandi Colonienſium, quod iterum Helmſtad. 1656 & 1664 lucem adſpexit. Neque tamen ſiluerunt Colonienſes, ſed *anonymus Anti-Conringianam defenſionem iuris Colonienſis* conſcripſit, ſtilo ſane amaro ac acerbo, adiuncto ſimul ſibi pugnae ſocio PETRO à STREITHAGEN, Heinsbergi & Cronenburgico canonico, quem Conringius itidem maledicentiae & inſcitiae arguit. Eaque de re primo diſſimulato nomine ſuo, Moguntiae *Caſtigationem Anti-Conringianae defenſionis* prodire permiſit, quam poſtea 1664 nomine praefixo pro ſua agnouit. Optime tamen & prudentiſſime ab vtroque praeſule factum, quod certaminibus his compoſitis, concordiae & ſaluti publicae conſuluerint. Porro ex conflagrante bello ſuecico-polono-danico non exigua ſimul Germaniae praeſer-

praeſertim qua ad balticum mare vergit, parte, caeſareque ac brandenburgico electore arma in Suecos corripientibus, varii diſſeminati fuere libelli. Quos cum Diarii europaei congeſtores magnam partem recenſuerint, vix operae pretium eſt, praeſertim cum infra, vbi de polonicis, ſuecanis, danicisque rebus agendum erit, vberior talium enarratio ſit inſtituenda. Inſpiciantur tamen *Summarium*, vt vocant, eorum, quae inter Carolum Guſtauum & electorem brandenburgicum ab anno 1655 vsque ad 7 Ianuar. 1656 extra bellum acta & geſta ſunt; & *Summarium proceſſus*, quo erga electorem brandenburgicum vſa eſſe notum eſt Suecia; vtrumque pro brandenburgico faciens ſcriptum 1660 prodiit. Addantur quoque *dialogi duo*, germanici alter militis & ruſtici Mecklenburgici de exercitu imperii nuper adornato, in gratiam Suecorum, alter ruſticorum Mecklenburgici & Pomerani contra Suecos compoſitus, 1660. De *turcico*, qui anno 1664 Germaniam afflabat, *terrore* hic ſane nihil dicam, infra in turcicis copioſe de iis, quae huc pertinent, acturus. Sed quae anno 1664 Saxoniam ſuperiorem vniuerſam & imprimis Thuringiam perturbauit, *Erfurtenſium cum Moguntino archi-praeſule lis*, variorum & illuſtrium praecipue virorum calamos & ingenia exercuit. De ea inſpiciatur *Narratio* de obſidio priore, quo Moguntini 1663 vrbem cinxerunt.

Germanica epiſtola adhortatoria ad Erfurtenſes, 1664. Et Colloquium inter mercatorem Francofurtenſem, Naumburgum contendentem, & ruſticum Erfurtenſem, 1663. Haec tamen levioris ſunt momenti, prae iis, quae nunc exponam. Illuſtris nempe Seckendorffius, qui tunc temporis in aula Gothana principem in aulae ſanctiori conſilio locum obtineret, cum animaduerteret, a Moguntinis non Erfurtenſes tantum, ſed ipſos etiam Saxoniae duces inuadi, ſcripto latino inſigni & ſolidis argumentis firmato, *Iuſtitiam protectionis ſaxonicae* in ciuitate Erfurtenſi latine expoſuit, cui cum parem inter ſuos aduerſarium non reperirent Moguntini, celeberrimum Boeclerum precibus & pollicitationibus eo adegerunt, vt aegre ferentibus licet, quorum tamen profeſſorem & clientem ſe profitebatur, Argentinenſibus iura Moguntinorum aſſertione docta quidem, ſed nimis acerba, contra Seckendorffium, amicum alioqui ſuum & praeclaris in Muſaeo laudibus affectum, tueretur. Quod indignatus ille repetitam & neceſſariam non magis quam ſolidam *defenſionem iuſtae protectionis ſaxonicae* 1665 emiſit, in qua Boecleri ſcriptum ſine exemplo virulentum & contumelioſum vocat, & inter alia: *Gaudeat*, inquit, *iniquitatis mercede quamdiu licebit, ſi quis operam ad maledicendum locauit Balaamus.* Neque poſtea, quamvis re inter principes compoſita, iterum valuit

hos

hos inter duumuiros ſummos amicitia, & poterat ſane vel hac cauſſa plane ſe abſtinere Boeclerus, ac tempus ſcriptis magis vtilibus & magis ſe dignis impendere, aut minimum modeſtius & melius ſtilum temperare; ſed neſcio quo fato factum, vt iterum in eundem ſcopulum impingeret, & in gratiam electoris Moguntini iura Palatini electoris 1666 ſcripto, non vno, iisque admodum amaris, inuaderet & impugnaret, vnde tam male apud proteſtantium principes & doctores quoque audiit, vt agmine quaſi facto erudiriſſimi cauſſae Palatinae defenſores *Boeckelmannus*, *Pufendorffius*, alii, in eum irruerent, & miris modis eum depexum darent. Vbi imprimis inter Palatina ſcripta commendanda eſt *Cauſſa iuſtitiae Palatinae*, cuius BOECKELMANNVS creditur auctor eſſe. Illibenter haec de viro ſummo, quem iuuenis colui, & vel mortuum vt praeceptorem ſemper venerabor, ſubiunxi. Sed in tempore monendos iudicaui noſtros, quanto cum famae diſpendio eiusmodi cauſſis ſeſe immiſceant homines priuati, nulloque ſacramento ad patrocinia eiusmodi inuidioſa auctorati. Interim, quibus volupe eſt, omnia iſta ſcripta intueri, adeant, quantum quidem ad Erfurtenſia attinet, Diarii europaei tomum 11, 12, 13 & 14. Nos vero ad bellum funeſtiſſimum, quo Gallorum ambitio primum Belgium foederatum, & dein Germaniam noſtram concuſſit, tantum non euertit,

progredimur, ea tamen lege, vt quae ad Germaniam tantum pertinent, quaeque in Diarii voluminibus non comparent, enarraturi, reliqua vero vel omiſſuri, ſiue infra ſub gallicis & belgicis commemoraturi ſimus. Et anteſignanum quidem ac prologum tragoediae huius dedit audaciſſimus homo ANTONIVS AVBERIVS, cauſſidicus Pariſienſis, edito 1667 ſermone gallicano ſtolidiſſimo & ineptisſimo de *Iure, quod rex in imperium ſibi vindicat*, ſchediasmate, tribus libris conſtante, quo tanquam claſſicum canens non Germanos tantum, ſed totum orbem chriſtianum commouet. Inuentus igitur fuit, qui *Axiomata politica gallicana* ex Auberio colligeret, & regibus atque principibus, praecipue autem Germanis ante oculos poneret. Quem exceperunt KIPPINGIVS, neſcio tamen an ſatis ab hiſtoria aliisque praeſidiis inſtructus, qui *Notas* Bremae 1668 in Auberium exarauit, & NICOLAVS MARTINI, qui eodem anno Francofurti ad Moenum *Libertatem aquilae triumphantis* Auberio oppoſuit. Vix conſenuerat haec de Auberio fama, cum rex ipſe armis arreptis Lotharingiam, vetus imperii patrimonium, inuaderet, ducem non praemonitum ſede imperii & integro ducatu eiiceret, caeſari Leopoldo per Windiſchgretzium magnae auctoritatis virum, pro duce deprecanti aperte illuderet, & quid monſtri in ſinu fouiſſet, declararet. Accedebat mox huic

huic cauſſae patronus, *anonymus* nempe, qui *diſſertatione hiſtorica & politica*, in cuius fronte regem Francorum & Romanorum appellare non dubitat, emiſſa, ſiue potius 1662 praemiſſa, miris ſtrophis, mirisque cauillationibus cauſſam malam pesſime ageret. Et hic quidem BOECLERVS virum ſe praeſtitit, editisque primum ſine nomine quidem *Excerptis ex actis ſenatus in Parnaſſo*, de iure Galliae in Lotharingiam, acriter quidem, ſed modeſte tamen iura Germanorum defendit, & id quidem tanto operae pretio, vt rex ipſe, contra quem haec ſcriptio directa eſt, virum non tantum laude afficiendum, aſt praemiis etiam donandum cenſeret, eo nempe conſilio, quod ſuggeſſerat talium probe gnarus Colbertus, vt doctis vbicunque locorum viris, in Germania praeſertim, fama munificentiae regiae egregia ſpargeretur, & os quaſi defenſoribus patriae occluderetur. Prodierunt tamen iterum haec ipſa excerpta, nec dubitauit nomen ſuum praeponere Boeclerus, vel hoc vno meritus, vt quos antea commiſerat errores, ipſi a libertatis germanicae ſtudioſis patriaeque amantibus viris condonarentur. Nec animo in Gallos admodum propenſo poſtea eum fuiſſe, docet egregia diſſertatio, cui titulus eſt: *Hiſtoria ſchola principum*, in cuius priore editione, temporis, quo ſcripta fuerat, genium ſecutus, cum multa in Hiſpanos inclementius dixiſſet, poſtea omnia induxit, & ſatis

aperte gallicam ambitionem ac dominandi libidinem accuſauit, contra quam Conringio accidit; qui, quod pace viri maximi dixerim, blanditiis Colberti & auro Ludouici faſcinatus, in epiſtolis infra dicendis apertum Gallorum ſtudium contra ipſos principes & patronos ſuos prae ſe fert. Ambitio porro Gallorum vel ex ipſo elucet ſcripto, quo anno 1670 demonſtrare annitebantur, omnino imperio germanico expedire, vt rex Romanorum deſignetur, cui dignitati per caeſaris orbitatem non alium facile, quam aut regem aut regis filium Delphinum deſtinabant. Cum autem terribili tumultu omnia in Belgio miſcerentur, quidam publicae ſalutis & germanici nominis ſtudioſus ordines imperii monuit, ingens ipſis periculum imminere, ſi Belgium amitteretur. Cumque haec admonitio a gallicarum partium ſtudioſo eluderetur & perſtringeretur, obiectiones aduerſarii alio iterum *protreptico* is ipſe ſcriptor infregit: prodiit vterque libellus 1672. Referantur huc quoque *Germaniae verba ad liberos perfidos : Genius imperialis : Democriti & Heracliti ſomnia* de Germaniae, vt nunc ſe habet, ſtatu anno 1674. *Curia gallicana* ſiue ſanctiora eorum conſilia propalata, part. 2. *Libertas non Germana*, vel Captiuitas germanica gallizantium 1674. *Diarium obſidionis Philippoburgicae*, 1676. *Traiani Boccalini Relatio de caſu Lobkowitzii*, 1675 latine ſcripta. *Gallus deplu-*

deplumatus, 1677. *Gallus terrore afflatus*, 1678. *Cauſſae*, cur pax vniuerſalis ſit ſarcienda 1678. *Oratio* Angli ad foederatos 1678. CYRIACI LENTVLI *Meditatio politica* de pace Neomagenſi, & VERIMVNDI DEVTSCHMANNI *Iudicium* de hac pace, ſiue Reſponſio ad Lentuli Meditationem, 1681. Ex quibus Lentulus fauet caeſari, alter vero electori brandenburgico, tum temporis ob pacem, rationibus ſuis adverſam, caeſari & aliis foederatis principibus minus aequo. Enim vero non Gallos tantum, ſed Suecos etiam hoſtes experiebatur Germania, qui cum in gratiam Galli bellum contra Germanos ſumpſiſſent, a rege Dano, electore brandenburgico & reliquis foederatis male mulctari, & tantum non vniuerſa Germania eiecti fuere. Hinc claſſicum quoque varii in ipſos cecinerunt, paucis e contrario afflictorum partes tuentibus. Ex aduerſariis certe non Gallorum magis quam Suecorum familiam ducit ſolertiſſimus & ingenioſiſſimus *auctor Nugae ſomniorum* in duas claſſes, quarum vnaquaeque 4 partibus conſtat, diſtinctorum & Noribergae 1678 iunctim excuſorum, qui quamuis a Friſchmanno in conſultatione germanica, quae mirabilem certe titulum gerit: Reichs und frey-hochwohlmeynend-fürſtliche bedencken, perſtrictus fuerit, egregie tamen ſtetit, & candore germanico, quid ab exteris Germania ſibi promittere debeat, demonſtrauit: dignus vtique,

quem non modo auctores Diarii europaei collectionibus ſuis integrum inſererent, ſed diligenter etiam voluant ac reuoluant, quibus duris hiſce temporibus amor erga patriam ſuppetit *. Eminet etiam inter cauſſae brandenburgicae patronos *Auctor iuris brandenburgici in Pomeraniam*, 1678; *legitimorum electoris armorum*; ſolidaque *demonſtratio*, Stralſundiam, Gryphiswaldiam, & Rugiam nequaquam obligatos eſſe, vt in fide regni Sueciae permaneant, qui tres libelli ex BECMANNI calamo profluxiſſe creduntur. Edidere dein alii, *id quod intereſt Germanorum contra Suecos* 1675; *Conſilia Suecorum euulgata* 1676; *Rundusbundus*, ſiue Fortunam regum lubricam ac verſatilem 1678. Quidam quoque ſub nomine *Aletophili epiſtolam ad Cenſorinum* anno 1674 exarauit, in qua iuſtitiam cauſſae brandenburgicae exponit. Et alius ſub nomine *Runtzelwarners* von Grund oſtendit, non caeſarem, ſed Suecos pacem rupiſſe. Pro Suecis facit *Diſcuſſio ſcriptorum brandenburgicorum*, a CANISIO, vt quidam volunt, ſyndico Stralſundenſi profecta, & breuis *Expoſitio*, quomodo brandenburgicis hereditas pomeranica obuenerit 1674. Hiſtoriam horum temporum illuſtrant *Diarium obſidionis Wiſmarienſis* in 4, & gemina *Sedinenſis obſidii ephemeris*, quarum quae Gedani 1678

* Sonderlich hat dieſer auctor ſo ſchöne den froſchmäuß-ler wiſſen zu brauchen.

prodiit,

prodiit, a brandenburgicis, altera vero in ipſa vrbe confecta eſt. In fine monemus, inter ſcripta ad hanc periodum pertinentia non omitti debere *ominoſam rerum ſeriem* ſtilo lapidario, quid in comitiis imperii circa negotium Capitulationis caeſareae geſtum fuerit, exponentem, cuius parentem quidam faciunt VENATOREM, conſiliarium electoris Palatini. Scriptum certe elegans eſt ingenioſumque, & quod Friſchmanno palmam facile dubiam reddat. Prodierat quoque 1670 poſt obitum Ferdinandi Auſtriae archiducis, caeſaris primogeniti, terris tantum oſtenſi, non conceſſi, *Somnium* de audito ſermone archiducis Auſtriae, in qua auctor haud obſcure tum Germaniae tum domui auguſtae mala euentura praedicebat, quae tamen felici poſtea Auguſtae foecunditate & Ioſephi in regem Romanorum deſignatione diſcuſſa fuerunt. Res ipſa monet, vt periodum quartam & vltimam ingrediamur, in qua *ius Gallorum recuperatorium*, (das Reunions-recht,) bellum turcicum quindecennale, Hamburgenſium diſcordiae ciuiles, electio Colonienſis, ſucceſſio lauenburgica, controuerſiae de nono electoratu, & vltimum tandem bellum gallicum Germaniam foedis tumultibus concuſſerunt. Ad *ius recuperatorium* quod attinet, commendo FRANCOPOLITAE cuiusdam, docti certe & patriarum originum peritiſſimi viri, *Schediaſmata de regno Auſtraſiae*, de

regno Lotharingiae, & *de regno Germaniae,* quae anno 1681 & 1682 prodiere. *Epiſtolam* de Delphino in regem Romanorum eligendo, vbi quae pro iſta electione faciunt, ſolide diluuntur. Ciuis patriae amantis *Meditationes* de pacifico Gallorum animo 1682. *Polydori Wahrimundi* Monſtrationem pacis infeliciter ſancitae 1683. *Apollinis iudicium* de conuentu Francofurtano, pacis ergo inſtituto 1683. *Ius Gallorum recuperatorium,* 1689. *Expoſitionem iuris recuperatorii,* 1687. Solidam *Demonſtrationem*, quare Gallia floreat, imperium romanum peſſundetur, & Belgae haud procul ab exitio abſint, auctore POLYDORO VERIMVNDO 1683. Tandemque *Germaniae prae Gallia praerogatiua,* modo ea prudenter vtatur, 1684. *Disquiſitionem de Gallorum integritate* 1683, & qui durante bello vltimo 1683 lucem adſpexit, *Clientem gallicanum iure recuperatorio* (der reunirte vaſall.) Turcica ſuo loco, cum nempe de hiſtoria gentis illius agemus, proferentur. Niſi fortaſſis ſcriptum nimis liberum, quod ſub ipſum belli initium publicabatur, huc retuleris, *Chriſtiani* nempe *Freymundi Aula Viennenſis detecta* 1683. *Diſcordias hamburgenſes* illuſtrabunt *Speculum ſeditionis hamburgicae,* ibid. 1687. *Theatrum lanienae hamburgicae*, pro ſupplicio affectis factioſorum ducibus faciens 1686. IACOBI HENRICI PAVLI *Clypeus veritatis contra Hamburgenſes,* Glückſtadii 1686 ſermone latino ſcripta.

Eius-

Eiuſdem *defenſio germanica contra S. P. Q. H.* 1687. HENRICI POHLMANNI, ex-ſyndici hamburgenſis, *Apologia*, Glückſtadii 1687. *Epiſtolae duae* Rensburgo miſſae de Hamburgenſium cum Dano controuerſiis 1686. *Succeſſioni lauenburgicae* lucem afferent ſcripta ſaxonico-lauenburgica, edita iunctim 1690 in fol. LEVINI AB AMBER *Occaſus familiae lauenburgicae*, 1690. Et eiusdem *Hereditas controuerſa lauenburgica*, 1690. In cauſſa *Colonienſi* ad manus meas deuenerunt *Narratio* eorum, quae Ratisbonae circa electionem Colonienſem geſta fuere, 1688. *Zachariae de bona Caſa Conſultatio* ſuper electoratu Colonienſi 1688. *Iuſtitia triumphans. Homo proponit, DEVS diſponit* 1686. *Innocentius papa rom. Fürſtenbergio valde infeſtus. Diſſertatio* de electione Colonienſi. *Colonia perturbata. Tiara electoralis Fürſtenbergica repudiata. Ambitio Fürſtenbergica ad interitum properans.* Ioſuae Florini ad Eucherium Germanum *Epiſtola* de duello bigae candidatorum Colonienſium, contra Fürſtenbergium, Coſmopoli 1688, quae quidem pleraque, ſi non omnia, pro Bauaro ſtant. Fürſtenbergio autem patrocinantur *Species facti* cum ſolida remonſtratione, non exiſtentis praetenſae electionis Ioſephi Clementis 1689. *Gallicano* bello emiſſis ſchediaſmatibus, ſi omnia recenſere vellem, tempus fruſtra eximerem: igitur potiſſimis tantum immorabor. Nempe omnino

legi debent praeter *Declarationem belli gallicam*, *Reſponſio caeſarea* grauis & ſolida, ſtilo latino ſignata, cuius auctorem perhibent Strateman-num; prodiere dein etiam germanico ſermone Lipſiae 1688 *Apologia clarigationi gallicae oppoſita*; *Anatome belli gallici*; *Fecialis Gallus*; *Themiſtii Ariſtonici Induciae praeter omne fas violatae*; *Detectio artium gallicarum*, cuius auctor nomen Sinceri Catholici praefert; ſcriptum cordatum & prudens. *De eo, quod intereſt imperii romani*, 1689. LEVINI AB AMBER *Larua gallica religioſa*, 1689. IVSTINI GENTILIS * *diſſertatio* latina, de eo quod in bello licet, quae potius Ratisbonae vel Francofurti, quae quod quidem frons libri prae ſe fert, Argentinae 1680 impreſſa eſt, Gallisque immanem, qua praeclaras Germaniae vrbes deuaſtarunt & deſtruxerunt, rabiem exprobrat. *Motus animorum in Europa & Aſia Eualthi Polemici*, Cosmopoli 1690 ſtilo lapidario ſignati. *Boccalini Prognoſticon politicum* partibus 2 conſtans 1688, in qua auctor profecto non, vt alii, nugas affert, ſed ex rationibus ciuilibus multa praedicit, quae poſtea euenerunt. *Mercurius* ſeu ſchediaſmata quaedam, ad pacem Riſwicenſem pertinentia, 1697. *Diarium*, quod pene oblitum fuiſſem, *obſidionis Moguntinae* 1689, demumque STANISLAI REINHARTI AXTELMEYERI *iudicium* politicum *de ſucceſſione*

* Sub Gentili latere perſuaſum habeo Praſchium.

hiſpanica

hiſpanica, Auguſt. Vind. 1698, cuius ſcripti auctor Hiſpanis non admodum fauet. Qui *circa nonum electoratum* acta cognoſcere cupit, euoluat *Miſcella* iuris publici curioſa *de nouemviratu*, in quibus quaeritur (1) an nouus electoratus inſtitui poſſit? (2) an id ſine conſenſu principum & ordinum imperii patrandum ſit? & (3) an tale quid expediat reipublicae, vt hoc ipſo ſcilicet tempore inſtituatur? 1692. Haec miſcellanea 1693 a quodam, qui *Hippolyti a Lapide* nomen adſciuit, continuata, multisque ſcriptis notatu dignis aucta fuerunt, videturque auctor, quamuis medium ſe gerere velit, nouo electori ſatis infeſtus eſſe. Impugnant quoque electoratum nonum *auctor iuris*, quo pollent principes & ordines imperii in negotio noni electoratus 1692; item *Informatio* ſolida de origine ſeptemuirorum. *Auctores Annotationum ad propoſitionem temperamenti circa 9 electoratum*, & qui notas ad ſententiam legati ſuecani Ratisbonae pronunciatam conſcripſerunt. Pertinent etiam ad hanc controuerſiam *ſcripta de Vexillo imperiali* tum Hannoueriana, tum Würtenbergica, iunctim 1694 in 4 impreſſum antiquitates patrias cognoſcendi auidis ſerio commendatur. Pro electoratu ſteterunt auctor obſeruationum circa Hannoueranum electoratum 1693, & Epiſtola ad legatum Ratisbonae commorantem ob hanc controuerſiam data. De *Succeſſione Mecklenburgica* pauca

prodierunt, niſi forte recenſenda ſit *diſſertatio* latina & germanica 1697 edita *de officio directorum & ducum circularium in exſecutione ſententiarum*, vbi caeſaris auctoritas valde extollitur, & directorum e contrario deprimitur. Hanc impugnauit alius anno ſequenti, de iure exſequendi ſententias imperiales directoribus circulorum competente agens. Commemorabimus quoque varia huius periodi, quae ſub certos titulos redigi non poſſunt; qualia ſunt: *Deliquium curiae & ſacerdos iuſtitiae tremendae*, quae ſchediaſmata ſine die & conſule lucem adſpexerunt. *Occaſus lineae electoralis Palatinae*, Heidelberg. 1688. *Ius Daniae contra ducem Holſatiae aſſertum*, 1683. *Apologia vrbis Hildeſiae contra epiſcopum de iure praeſidii militaris* 1690, & ſcripta quaedam circa vnionem circulorum imperii (*aſſociationem* vulgo dicunt) 1697 in 4. Tandem cum corruptio quoque rei monetariae ingens Germaniae noſtrae damnum intulerit, commendauerim omnino DAVIDIS THOMANI, IC. Auguſtani, viri doctiſſimi & harum rerum peritiſſimi, *Acta publica monetaria* 1692 in fol. quibus iungi poterit CHRISTIANI Billichs *Commentatiuncula* german. de re monetaria 1688. *Diſſertatio* de peſſimo rei monetariae ſtatu 1687, & *Annotationes* ad hanc diſſertationem, 1692.

§. XVI.

Abſoluta nimis moleſta hac & taedioſa actorum,

actorum, quae vocant, recenſione, non adeo multa de epiſtolis, orationibus & poematibus hiſtoriam germanicam huius ſeculi illuminantibus dicenda ſupererunt. Inter *epiſtolas* primo loco ponimus *mutuas Georgii Michaelis Lingelsheimii & Iacobi Bongarſii*, Argentorat. 1668 in 12, quibus doctiſſimi illi viri non tantum de litteris & litteratis, ſed etiam de rebus maximi momenti ciuilibus libere quidem, aſt tamen non ſine iudicio, diſſeruerunt. Secundum locum teneant BALTHASARIS HENCKELII *Epiſtolae carcerales*, mihi quidem nondum viſae, celeberrimo tamen Morhofio in Polyhiſtoris parte 1 cap. 24 p. 307 commemoratae, in quibus auctor ille, cum a caeſareanis captus in cuſtodia detineretur, artes romanenſium & alia non magis iucunde quam diſerte explicauit; vbi affirmat, Holmiae 1640 in 8 prodiiſſe. "Habent, inquit, epiſtolae iſtae varia Suecorum conſilia & arcaniora quaedam belli germano-ſuecici, quae alibi expreſſa non facile inueneris, & ſtilus inſuper non eſt contemnendus." Henckelianis ſubiungimus *Epiſtolas Forſtnerianas*, quarum princeps eſt, quae anno 1631 primum a Matthia Berneggero, cum nomen adhuc auctoris ignoraret, ſub ſchemate *Theodoſii Berenici Norici*, cum inſigni praefatione publicata fuit, in qua auctor verbis ferme omnibus ex Tacito, quem totum in ſuccum & ſanguinem conuerterat, deſumtis faciem

imperii, vt tum ſe habebat, deſcribit. Mox inſecutae ſunt aliae, in quibus vir prudentiſſimus ſecreta circa pacis Weſtphalicae tractationem occurrentia ſtilo plane latino ad Scipionem Scaligerum equitem perſcripſit. His additur in editione Mompelgardenſi, 1671, poſt obitum auctoris excuſa, *Epiſtola* ſiue *Iudicium* de moderno imperii ſtatu ad Auguſtum Brunſuicenſium ducem, 1667 ſcripta. In aliis editionibus vero adduntur duae vel tres ad Iohan. Albert. Portnerum, ſummum, dum viueret, patronum noſtrum, liberius ſcriptae, quos auctor nunquam pro ſuis agnouiſſe videtur. Vnde etiam friguſculum inter ipſum & Portnerum interceſſiſſe videtur, publicataque fuit Argentorati epiſtola, quae vel ipſum Forſtnerum vel Boeclerum habet auctorem,[m] ſecreti alieni temeratores. Commodum autem, cum pacis Weſtphalicae memini, ſuccurrunt *Epiſtolae gallicae* legatorum regis chriſtianiſſimi SERVIENTII & AVAVXII, quae 1650 non adiecto loci nomine lucem adſpexerunt, ex quibus, quamuis foedis concertationibus & aemulationibus, quibus magni illi viri famam deturparunt, plenae ſint, multa tamen diſcere eſt, quae alibi non inuenias aut legas. Vnde etiam in Pfanneri Hiſtoria pacis creberrime laudantur. *Epiſtolae Conringianae* 1694 a doctiſſimo Coerbero poſt obitum magni viri cum orbe litterato communicatae multumque ab illis, quas

viuus

viuus emiſit, diuerſae, hiſtoriam germanicam clariſſima luce perfundunt; modo, quod ſupra innui, nimium illud gallicarum & ſuecicarum partium ſtudium abeſſet. Vnde etiam factum fuiſſe puto, quod magno rei hiſtoricae & litterariae damno reliqua ab editore promiſſa volumina, quas inter Boyneburgianae ſecundum locum tenere debebant, hucusque exſpectationem noſtram fruſtrentur, & in tenebris forte cum blattis & tineis luctentur. Enimvero celeberrimus SCHVRTZFLEISCHIVS in epiſtolis 1699 editis, longe amantiorem patriae ciuem agit, & vbique ambitionem exterorum exagitat. Quamuis nuper ab amicis indicatum fuerit, auctore celeberrimo inuito eas prodiiſſe, aliamque adeo luculentiorem editionem exſpectari. An *Goldaſtianae* a Thulemario 1688, Francofurti & Spirae in 4 publicatae, huc referendae ſint, equidem ambigo; cum magis ad hiſtoriam litterariam quam ciuilem pertineant. Interim eximii quoque aliquid nobis ab hac collectione promittere potuiſſemus, ſi *Mantiſſa epiſtolarum Forſtnerianarum*, quae in fronte voluminis promittitur, in calce compareret, ſed per bella gallica tum ingruentia obſtitiſſe puto, quod fidem ſuam non liberarit doctiſſimus editor; vtrum vero *Epiſtola amici ad amicum* in cauſſa holſatico-gottorpiana, Coſmopoli 1679 pro Danis, & *Reſponſio*, quae Rachelium putatur auctorem habere, ad hanc claſſem, an potius ad

commentarios & acta ſit referenda, viderint alii. Sane omne hoc genus epiſtolarum, quas viri docti de rebus ciuilibus exararunt, maximi fit a cordatioribus, qua de re velim vt legatur cordata plane praefatio, quam Ludouicus Camerarius non ſemel nobis commemoratus, *Langueti Epiſtolis* ad auum & patrem ſuum ſcriptis, & a ſe Groeningae 1646 in 12 editis, praefixit. Poſſuntque quoque adiungi tomi 4 collectionis germanicae Lipſiae 1691 vsque 1694 in 8 editae, quae vocatur das Durchlauchtige archiv: & *Cancellaria ſtatus*, annis abhinc tribus quatuorue aliquot voluminibus adornata.

§. XVII.

Poſt epiſtolarum ſcriptores conſulendi quoque nobis ſunt *oratores* & *poëtae*. Quamuis enim illi veritatem non aeque, vt hiſtorici, reſpiciant, & multum ſtudiis & affectibus tribuant, nequaquam tamen ſunt reiiciendi, cum multa ſaepe afferant aliis indicta. Commendarim hic ſcriptoris anonymi, qui litteris initialibus D. M. R. I. T. P. E. M. Ingolſtadii 1621 Ferdinando II panegyricum ob victoriam bohemicam dixit. Alius I. S. qui Friderico panegyricum compoſuit, Pragae 1619 in 4 excuſum. VERNVLAEI *Laudem poſthumam Bucgoii* Colon. Agripp. 1623. Eiusdem *diſſertationes*, vel vt ipſe non ſatis latine atque oratorie appellat, *Diſcurſus Politicos* 3, quibus cauſſae belli germanici & aliorum illo tempore enatorum, oratorie ventilan-

ventilantur, Colon. 1639. *Orationes* in laudem Guſtaui, magni Suecorum regis, Lugd. Batav. 1637 editae iunctim: quarum prima eſt DANIEL. HEINSII *Panegyricus*, ſpecimen conſummati abſolutique operis, & in quo non alios tantum, ſed ſe ipſum quoque viciſſe videtur vir ſummus. Hanc excipiunt *duae Buchnerianae*, cuius viri maximam in dicendo vim ipſe Heinſius, noſtris alioquin non ſatis aequus, ſaepe admiratus eſt. Sequuntur MICHAELIS VIRDVNGI *Alexander nou-antiquus*, ſiue Guſtaui cum Alexandro Magno comparatio; IANI GEBHARDI, PIERII WINSEMII, BENEDICTI SKYTTE, & IOHAN. GESBERI CRVSII *Orationes*, quibus tandem acceſſit *Deſcriptio funebris pompae*, qua rex ille in Suecia a ſuis ſolenniter eſt delatus. NICOLAI AVANCINI *Panegyrici funebres* in exſequiis Ferdinandi III & IV, duaeque ad Leopoldum, tunc Hungariae regem, *orationes* magis ſe probarent eruditis, ſi tumidum illud, quod auctor perpetuo affectat, dicendi genus abeſſet. Melioris ſunt commatis, & aureae ac argenteae aetatis ſcriptoribus palmam reddere dubiam poſſunt AVGVSTI BVCHNERI *Panegyricus* in funere Ioh. Georgii I, electoris Saxoniae & SCHVRTZFLEISCHII in exequiis Ioh. Georgii III recitati, quorum vterque inter orationes virorum magnorum inuenitur. Ad *poetas* quod attinet, ANDREAE ROCHOTII *Actio pacificatoria*

burno-auſtriaca, cui acceſſere *Motus & confoederatio marchionatus Morauiae*; Item *Expeditio in Bohemiam*, nec non *Matthiae II Initiatio & coronatio*, carmine heroico ad Carol. Baronem Zierotinum ſcripta, & ſine die & conſule publicata, temporis quidem ordine, ſed non ſcriptionis laude, primo a nobis loco ponitur. Melius ſe geſſit auctor *Turni Bohemici* 1622 in 4 editi, qui pugnam ſub duce Turno, aut Thurnio potius, comite, contra Auſtriacos in agro Viennenſi commiſſam, hexametris deſcripſit. SCHIRAEI *Mansfeldica*, modo nimia illa abeſſet amarities, laude ſua non forent fruſtranda. Prodiit dein 1629 libellus epigrammatum, profecto elegantium, ſub titulo *Scenae europaeae*, cuius auctor, vt Colerus noſter in fronte libelli in bibliotheca Mariae Magdalenae reperiendi annotauit, non alius eſt, quam IOHANNES IOACHIMVS A RVSDORFF, ſcriptis pro cauſſa Palatina iam antea clarus. Quem imitatus poſtea eſt *alius*, qui anno 1623 pictura loquente repraeſentauit praecipuos Europae principes ac proceres bello germanico implicatos. IOHAN. MICRAELIVS theologicis alioquin, philoſophicis & hiſtoricis ſcriptis celebris, in hac quoque palaeſtra induſtriam ſuam orbi erudito probauit; editis in lucem 3 dramatibus, *Pomeri* nempe *tragoedia*, Stetini 1631 in 4to, *Parthenia*, Pomeridis continuatione germanico ſermone

reprae-

repraeſentata, 1632, & *Agathandro pro Sebaſtia vincente & cum virtutibus triumphante*, 1633. Dabimus animi gratia ad has fabulas clauem, & fictis, quibus auctor veritatem inuoluit, nominibus genuina ſubſtituemus ſcilicet:

Agathander eſt Guſtauus.
Pomeris, Pomerania.
Megalinnis, Mecklinburgum.
Bruſilla, Pruſſia.
Rugilla, Rugia.
Stetilia, Stetinum.
Stralia, Stralſundum.
Stardia, Stargardia.
Colbilla, Colberga.
Volgaſia, Volgaſtum.
Paſua, Paſualcum.
Adelgunda, Nobilitas ſiue ordo equeſtris.
Agrilla, Agricolae ſiue ruſtici.
Laſtleuius, Wallenſteinius.
Beinharnius, Arnheimius.
Torquinus, Torquatus Conti.
Godlachius, fortaſſis Goetzius.
Iolola, Loiola.
Guſtula, Guſtrauia, ſedes principum Mecklenburgicorum.
Roſina, Roſtochium.
Braburgis, Brandenburgum.
Gryphiſſina, Grypswaldia.
Falcomontius, Falckenbergius, Suecorum tribunus, vrbi a Guſtauo praefectus.

Contilius, Tillius comes.
Anomia, Religio romana.
Lalemannus, Conſul Magdeburg. ſcriptis alioqui clarus, quem non obſcure proditionis poſtulat.
Sebaſta, Auguſta Vindelic.
Vindelicia, Suenia.
Gothanus, vel Bernhardus vel Erneſtus, duces Saxoniae.
Placianus, Fridericus Palatinus.
Boian, Bauarus.
Maozim, iterum Religio latina.

Ceterum verſus latini ſatis ſunt concinni & elegantes; aſt a germanicis rectius abſtinuiſſet ſe vir optimus, mirum enim in modum aſperi ſunt & inculti, cum tamen illo iam tempore Opitii ductu poeſis vernacula inſtaurata fuisſet, priſtinamque duritiem dedidiciſſet. Pene oblitus fueram IO. IONSTONII, inſignis inter Scotos poetae, *Querelae Sarauictonis & Biomeae*, ſiue Ferdinandi & Bohemiae, quam tomo I Deliciarum ſcoticarum p. 463 vsque 474 inuenies; quam excipit *Nicrinae*, ſiue Palatinatus Rheni, epiſtola elegantiſſima ad heroas Anglos. Tillio diſerte parentauit IACOBVS BALDE, vix enim, quod ex ſtilo tam ſoluto quam ligato cognoſcimus, alius eſt auctor Magni Tillii Rediuiui, ſiue Parentalium Tillii, diu poſt herois & oratoris ac poetae obitum, Monachii 1678 in 4to impreſſorum, quod opus lectu omnino

omnino dignum eſt. Guſtaui Adolphi triumphos multi celebrarunt, quos inter non ſpernenda eſt RIVINI *Panegyris de victoria Lipſienſi* 1631. Nec omnino reiecerim ANTONII GARISSOLII Galli *Adolphidos* libros duodecim, Montalbani 1649 in 4. Aſt non aeque mihi ſe probant WENCESLAI CLEMENTIS a LYBEO MONTE Bohemi *Guſtauidos* libri nouem, quibus cur carmen encomiaſticum praefixerit Daniel Heinſius, ſane mirari ſubit, niſi fortasſis heroi magis quam poëtae operam dederit. Sublimiori ſpiritu ſcriptum eſt BARLAEI carmen ad tumulum Guſtaui, & laudatio funebris Bernhardi Vimarienſis, quae inter heroica eius eminent. BALDAEVS Syluarum libris quatuor *Threnos Germaniae* dedit, & lib. 9 ſive Memmianis, ad Claudium Memmium Auauxii comitem, legatum gallicum pacis deſiderium facunde teſtatus eſt. Tandemque pace confecta eius denunciationem *Dramate georgico* ſiue *oſco* exhibuit, quod tomo I operum Coloniae impreſſorum exſtat. IACOBVS DAMIANVS Autrebas S. I. *Bellum germanicum* libris decem ad annum 1631 ſiue mortem Tillii tuba heroica cecinit. Enimuero ad poëmata recte etiam retulerim *Fabulas*, vulgo *Romanas*, elegantius vero *Mileſias* dictas. Solent enim ſubinde ſcriptores iſti lucem hiſtoricam vmbris commentorum inuoluere, & quod aperte profiteri minus tutum erat, ſub peregrino habitu

habitu lectoribus cordatis exponere. IOHANNES certe FRANCISCVS LAVREDANVS, ſenator Venetus magni nominis, in venuſtiſſima fabula, cui *Dianeae* nomen impoſuit, inſidias a Wallenſteinio Ferdinando II ſtructas, operoſe delineat. Vbi *rex Dianderſus* eſt Ferdinandus; *rex Veſatorum*, Guſtauus; *dux Louaſtinus*, Wallenſtein; *Zenilt*, Lißen; *rex Gallorum*, rex Hiſpaniarum; *dux de Riaſe*, Feria; *principes Catanoſae*, magni Hetruriae ducis fratres; *monarcha Belgarum, Aquitanorum & Celtarum*, rex Galliae; *comes Lagaſſus*, Gallaſſus; *Boeotia*, Bohemia. Et FRANCISCVS BIONDVS in *Eromena*, proxime ad Argenidem Barclaii accedente, calamitates Friderici & Eliſabethae coniugis graphice depingit. GRODNICIVS nobilis Palatinus in *Columnis*, quas vocat, *hiſtoricis*, integram belli germanici ſeriem non obſcuris coloribus repraeſentat. IACOBVS BISSELIVS in lepidiſſimi operis libello *Icaria*, 1667 recuſa, Palatinatum ſuperiorem, Icariae nomine deſignatum, & quaedam ſimul ad bellum germanicum pertinentia, non iniucunde deſcribit. Clauis tamen, quam addiderunt editores, non ſatis fecit lectoribus, poſſetque, ſi id iam ageremus, alia melior & vberior a nobis concinnari. Quae Auſtriae domum regnatricem a Gallis circumſteterint pericula, ANTONIVS GVILIELMVS ERTELIVS, ICtus bauaricus, in *Auſtriana regina Arabiae*, Auguſtae Vind. 1687 ſtilo ſignauit.

§. XVIII.

§. XVIII.

Vltimo tandem loco *pompas ſolennes* & varia quidem ad certas claſſes vix referenda ſubiungemus. Huc pertinent *Exequiae* imperatoris Matthiae, in regia Hetruſcorum Florentia a Coſmo III celebratae, quas Alexander Stufa ibidem 1619 deſcripſit. Ferdinandi II tunc Bohemorum regis coniugis Mariae Annae *Funus* a collegio S. I. Gratienſi (Grätz) 1618 ſymbolis, carminibus & oratione panegyrica illuſtratum. Friderici electoris *Ingreſſus triumphalis* Vratislauiae a *Georgio Reutero* rythmis, ſed iis non admodum exquiſitis, decantatus. Eiusdem *Iter anglicum* & *Pompa nuptialis* ſplendidiſſima ſermone german. 1613 in 4. *Electio & inauguratio* Ferdinandi II, partibus conſtans binis, 1619 in 4. *Monumentum ſepulchrale* Mauritio, Haſſiae landgrauio, erectum Francof. in fol. *Plauſus ſymbolicus in ſacri romani imperii pomo*, quod Maximiliano electori traditum, gratulabatur collegium Ieſuitarum Ingolſt. ibid. 1623. *Applauſus feſtiui*, Romae, iuſſu Mauritii Cardinalis Sabaudi, in electione Ferdinandi II celebrati auctore LVDOVICO MANZIO, Rom. 1637 in 4. *Cenotaphium* Ferdinandi III a collegio S. I. Viennae erectum, Auguſtae Vindelic. 1657 in 4. *Solemnia electionis & inaugurationis Leopoldi*, cum tabulis aeneis, latine & gallice Francofurti 1658 in fol. *Pompa nuptialis Leopoldi & Margarithae*, & *Tripudium* imprimis

equeſtre, quod auctorem habet Franciſcum Sturrum, ſermone italico & vernaculo, 1667 publicatum. SIGISMVNDI FERRARII *Coronatio Ioſephi & Eleonorae* 1690 Noribergae. Quibus neſcio, an addere integrum ſit inſulſa *Iudaeorum*, quae Pragae ob natiuitatem Ioſephi, nobiliſſimi iuuentutis auguſtae principis, 1678 exhibuerunt rythmis aeque inficetis, quique, lectori citius riſum quam admirationem exprimant, deſcripta. *Variis* accenſemus primo, quae THOMAS CARVE, monachus ex Franciſcanorum familia Hibernus, in *Itinerarii* ſui partibus de rebus germanicis conſignauit, ſcilicet partes, quae anno 1640 Moguntiae impreſſa, cap. 2 & 3 in compendium res a Guſtauo geſtas cap. 8 recenſet, quae Francofurti ad Oderam, cum a Suecis expugnaretur, contigerunt; cap. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 *Wallenſteiniana*, vt vltimo commemorato capite Auguſtanam obſidionem deſcribit, cap. 16 & 17 res a Gallaſſio geſtas commemorat; idem argumentum eſt cap. 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26 & 27; Pomeranica exponit cap. 29, ad Suecica diuertit cap. 31, 32 & 33. Res germanicas repraeſentat parte 2, ibid. 1641 edita. Cap. 36 ſplendidiſſimam Eggenbergii principis ad Vrbanum VIII nomine Ferdinandi II legationem repraeſentat; cap. 40 mortem Bernhardi Vimarienſis ducis refert; cap. 45, 46, 47, 48, 49 & 50 totus eſt in germanicis, quod & cap. 52 facit. Caput 55, 56, 58 eidem

eidem argumento impendit. Parte 3, quae 1646 lucem adſpexit, cap. 59, 60 & 62, 64, 65, 67, 69, 71 & 73 replet germanicis, ſtudio tamen partium deditus, cum iudicio legi debet, praeſertim quia interdum nec a fabulis ſibi ſatis temperat. Et huc quoque refero *Iter Ferdinandi Alberti* Brunſuicenſium ducis, in arce Beuerana 1678 in 4 typis excuſum, qui liber cum ob varias easque graues cauſſas ſit rariſſimus, & tamen quaedam habeat, quae hiſtoriam germanicam illuſtrent, hic omittendus non fuit. ZINCKGRAEFII *Apophtegmatum* partem vltimam cum voluptate legent, qui argutis & facetis Germanorum dictis delectantur; prodiit optima editio Lugduni Batau. 1644 in 12. Nec omiſerim BAELII *Lexicon criticum*, 2 ſpiſſis voluminibus Roterodami 1698, & anno 1702 repetita editione tribus tomis in fol. publicatum gallice, quod tamen rectius ad hiſtoriae vniverſalis ſcriptores, quam germanicam, pertinere videtur.

§. XIX.

Finitis tandem germanicis, antequam ad reliqua pergamus, *de Bohemia* etiam, eique nunc & olim ſubiectis prouinciis, *Morauia, Sileſia*, & *Luſatia*, aliquid dicendum eſt, praeſertim cum ea propius nos attingant, & res patrias cogniturus eis carere non poſſit. Quantum autem ad Bohemiam attinet, iam ſupra, ni fallor, ZEILERI *Topographiae Bohemiae* & vicinarum

regionum meminimus, quae 1650 in fol. prodiit. Aſt plura deſiderantem multum iuuabit SANDRARTI exactiſſima *tabula*, quae cum indice 1666 Noribergae emiſſa eſt. Tum BOHVSLAVS BALBINVS, amantiſſimus & locupletisſimus patriae hiſtoriae ſcriptor, cuius decadis I Miſcell. lib. I, qui Pragae 1679, & tertius, qui ibidem 1681 cum appendice lib. I prodiit, hiſtoriam Bohemiae naturalem curate deſcribit, gentis vero ipſius res geſtas, quantum ad hoc ſeculum pertinet, idem in epitome rerum Bohemicarum Pragae vsque ad annum 1620, & dein lib. 6 ac 7 pasſim breuiter quidem, ſed multo cum iudicio exponit. Noui equidem a Schurtzfleiſchio hunc ſcriptorem accuſari, quod Sileſiis iniquior ſit, ac quod odio & gratiae multum tribuat. Sed ego profecto viri candorem demiror, & ſaepe obſtupeſco, integrum ei fuiſſe, ea calamo ſignare, quae profecto verbis per iugulum redituris conſtant. Inſpiciantur, ne modo res huius ſeculi excedam, lib. 5 cap. 15 f. 614, vbi Rudolphi tempora gemmea vocat, qui tamen, quicquid ipſe excuſet, *litteris*, quas *maieſtatis* vocant, concesſis, quiduis credendi libertatem Bohemiae permiſit; conf. cap. 16 f. 619, vbi ſingularis plane narratio de Rudolpho, coronationi Matthiae in regem Bohemiae ſubſcribente, habetur. Adde fol. 620, 621, 625 ſeqq. & imprimis fol. 630 verba liberrima, quae virum affectibus patriae parum aut nihil dediſſe arguunt.

arguunt. Optabile autem reuera eſſet, vt publice fontes, ex quibus ſua hauſit Balbinus, *Commentarii* nempe *MSC.* SLAVATAE & *Annales Keſenbilleriani* (quorum pars tantum impreſſa eſt, reliquae vero in bibliothecis procerum cimelii inſtar ſeruantur,) proſtarent: plura profecto de rebus bohemicis comperta haberemus. Et *Keſenbillerianorum* quidem *Annalium* * tomum 1 indulgentia patroni illuſtris aliquando tractaui, quibus tamen tantum abeſt, vt ſitis mea expleta fuerit, vt potius maiore deſiderio integri operis perluſtrandi exarſerim, quod tamen pro voto explere adhuc non valui. Hiſtoriam item bohemicam illuſtrant, quae idem Balbinus lib. 4 decad. 1 Pragae 1682, lib. 6 tit. 118, 119, 120, 121 (prodiit 1684,) lib. 7 (1687) ſect. 6 cap. 3, 8 fol. 253 vsque 278, lib. 8 ſiue epiſtolari (1688) part. 1 epiſtola 85 - - 100 fol. 114 - - 146 attulit. Denique ſcriptor diligentisſimus decad 2 lib. 1 & 2 genealogias bohemicas operoſe illuminauit (prodiit Pragae 1687.) Ad genealogias bohemicas pertinet quoque eiusdem BALBINI *Syntagma de familia Guttenſteiniana*, Pragae 1665 in fol. Inter reſpublicas Elzeuirianas, tanquam luna inter minora ſidera, radiat PAVLI STRANSKII *Bohemica*, Leidae 1643 recuſa, & Balbino multum laudata. De regno Bohemiae, vtrum

* Iſti Annales 12 tomis conſtant, octo vero tantum ſunt impreſſi.

ſucceſſiuum an electiuum ſit, multo cum labore disquiſiuit MELCHIOR GOLDASTVS *in Commentario de Bohemia* 1628 in 4, & rarioribus nunc libris accenſendo, qui tamen cum Germanis nimium, Bohemis vero parum aut nihil fauere videatur, a Balbino paſſim acerbe perſtringitur. Commendanda quoque ſunt IVLII SOLYMANNI *Elogia ducum & regum Bohemiae*, Pragae 1679 in 4, ac CRVGERII *Memoriae regni Bohemiae* per menſes vsque ad octobrem digeſtae, ſiue, vt Balbinus non ſemel laudat, *Pulueres ſacri*, Pragae 1667 in 4. Ceterum HENRICI ROCHS, Luſati ICti *Annales bohemicos, luſaticos & ſileſiacos* commemorare, vix operae pretium eſt, Lipſ. 1687 cum absque omni iudicio conſcripti ſint, & aniles plerumque fabulas, ac interdum inſulſa mendacia commemorent. Arcanam regni bohemici hiſtoriam conſtituunt *Hiſtoria perſecutionum bohemicarum* 1648, absque auctoris nomine in Batauia edita, quam ex COMENII calamo profluxiſſe, certo mihi conſtat. Iungatur *anonymi Narratio calamitatum regni Bohemiae*, in qua vexationes proteſtantium enarrat; prodiit, vt titulus prae ſe fert, Amſtelod. vel potius Wittebergae ſermone vernaculo 1689, & patrem habet GREGORIVM quidem HOLCKIVM exulem Bohemum, quos tamen libros cum grano ſalis legendos, nec omnia, quae ibi dicuntur, temere admittenda, prudentes abunde intelli-

intelligunt. In iuribus bohemicis explicandis induſtrium ſe praebuit *Iohan. Iacobus a Weingarten* in *Faſciculo diuerſorum iurium*, Noribergae 1690 in folio, & in *Excerptis conſtitutionum ac nouellarum regni Bohemiae*, Pragae 1686 in 4. Ad controuerſias bohemicas pertinent quoque *Acta*, quae Lipſiae 1608 in 4 impreſſa fuerunt. PHILIPPI CLVVERII *Apologia Georgii Lobkowitzii*, quam carcere expiauit, 1606 in 8 latine edita; Et *Ottonis Henrici Baronis Wartenbergii Apologia* contra ſupremum regni Bohemiae cancellarium Wilhelmum de Ruppau 1620. Hebraicae linguae gnari non ſine voluptate legent *Hiſtoriam de Pragenſis vrbis poſtrema expugnatione* a Iudaeo quodam *Rabbi Iuda Leone* conſcriptam, quam *Wagenſeilius* inter *Exercitationes ſex varii argumenti* tertium locum occupare iuſſit; prodiit Altorffii 1688. Nec minus iucundum erit cognoſcere, quae exercitationes *de Fridlandiae ducis*, qui academiae quondam Altorffinae ciuis fuit, *moribus* afferuntur. Bohemicis quoque addas GEORGII AELVRII *Glaciographiam* Lipſ. 1625 in 4, minus tamen, vt Schurtzfleiſchius in epiſtolis recte iudicat, accurate ſcriptam. Sileſiae noſtrae operam impenderunt IOACHIMVS CVRAEVS, & qui eius labores ſuppleuit ac continuauit, IACOBVS SCHICKFVSIVS, nec illi tamen omnibus numeris abſoluti; videndum hic imprimis eſt, vt editione ſincera & caſtrata vti liceat.

Peccenſteinii labores non vsque adeo magni ſunt ponendi. Melius certe rem geſſit NICOL. HENELIVS in *Sileſiographia*, 1613 in 4 Francofurti, cuius longe auctiorem editionem cum annotationibus in dies exſpectamus *. Commendanda quoque eiusdem *Breslographia* eodem anno publicata. IGNATIVS EPHRAIM NASO in *Prodromo annalium Sileſiae* & in *Phoenice rediuiuo ducatuum Suidnicenſis & Iaurauienſis*, Vratisl. 1667 in 4 plura minatus eſt, quam perfecit. Nec illo, quod ad hiſtoriam ſcribendam requiritur, iudicio praeditus fuit. Quid in FRIDERICI LVCAE *Corona ducatus Sileſiae*, Francof. 1685 ſub nomine *Lichtenſternii* in 8 edita, deſideretur, vir quidam eruditus ** ſub nomine *Curioſi Sileſii* in *annotationibus* Leucopetrae 1687 expoſuit. Vnde Lucas in maiori opere *Memorabilium Sileſiae* Francof. 1689 in 4 multa quidem emendauit; vtrum vero ab omnibus naeuis liber ſit, alii iudicent. Iura Sileſiae cognoſcere auidum iuuabunt NEVDORFFERI *Summaria* eorum, quae in conventibus Sileſiae publicis decreta fuere, Vratisl.

* Prodiit etiam renouata editione, cum neceſſariis reverendiſſimi Crucigerorum cum rubea ſtella ſupremi praeſulis, M. Michaelis Fibigeri ſcholiis atque obſeruationibus, Vratislauiae 1704 duobus voll. in 4, & ab eodem illuſtriſſimo commentatore, qui manuſcriptum Henelii codicem conſequutus eſt, Breslographia etiam renouata in dies exſpectatur.

** M. Caſpar Sommerus, paſtor Geiſchauienſis in ducatu Sileſiorum Wolauienſium, adhuc in viuis.

1691 in 4. WENZKII *Ius equeſtre Sileſiae*, in 4. *Priuilegia Glogouienſia* ANDREAE GRYPHII 1652 in fol. SCHIFFERDEGHERI in *Priuilegia ducatus Suidnicenſis obſeruationes*, ob raritatem MSCtis aequiparandae. *Statuta ducatus Glogani MSt.* CRVMBKRÜGERI *Dubia circa priuilegia Glogouienſia MSt. Fiſci regii apud Sileſios inſtituta MSt.* (Schleſiſche cammer-ordnung) & quae alia huius generis in bibliothecis tum publicis tum priuatis inueniuntur; quibus etiam annales vrbis noſtrae, & aliorum Sileſiae oppidorum, a diuerſis ſcriptos ſubiunges, iudicio tamen adhibito, vt ex ſterquiliniis aurum ſubinde erui poſſit. *Genealogias* tantum nouimus *Sueidnicianam*, a DAVIDE gentis ſuae ornamento ſplendidisſimo, & ducatus Lignicenſis olim capitaneo 1661 in fol. editam. SCVLTETI *Stoſchianam* duabus tabulis comprehenſam, & WENDII *Boebſchützianam* in fol. Ceterum optabile foret, vt a manu talium perita plures ſileſiacarum familiarum origines ex tenebris, in quibus nunc latent, protraherentur, luceque donarentur, ipſique nobiles Sileſiae adiumenta ſuppeditarent, opus immortale aggreſſuris. Qui ſaepius litteras & commentarios ad ſe ac ſuos pertinentes citius cum blattis & tineis luctari permittunt, quam vt cum eruditis communicent, parum profecto maiorum gloriae, parum ſibi, parum denique poſteris conſulunt.

De *Luſatia* vix aliquid ſingulare occurrit, niſi

quod Chriſtophorus Manlius Commentariorum rerum luſaticarum libros ſex, quibus acceſſit ſeptimus de Luſatiis litterarum annorumue gloria claris in MS. reliquit, qui exſtant Lipſiae in bibliotheca Menckeniana; & ante annos non adeo multos HAVSWIZIVS *Prodromum hiſtoriae Luſatiae* in 4 emiſit, opere tamen ipſo nondum edito. LEVBERI *Deſcriptio arcis Ortenburgicae* ſiue *Budiſſinenſis* ſermone germanico contexta, fragmentum tantum eſt, raroque haberi poteſt. *Faſciculus actorum luſaticorum temporibus Fridericianis* 1620 in 4 prodiit. Et nos posſidemus *Narrationem MSCtam*, lectu certe dignam, *de Iudicio equeſtri, Budiſſinae* 1685 *inſtituto.* Operae quoque pretium erit videre, quae SCHVRTZFLEISCHIVS in *Originibus luſaticis* inter exercitationes hiſtoricas reperiendis attulit.

CAPVT

CAPVT III

HISPANIA ET LVSITANIA.

§. I.

Hiſpaniam, vt hodie ſe habet, generatim conſideraturos non parum iuuabunt, quae de ea attulit PAVLVS MERVLA, *Coſmographiae* parte 2 lib. 2, vbi non tantum antiqua, ſed noua quoque diligenter non magis, quam iucunde proponuntur. Cum quibus amice conſpirant, quae in IOHANNIS LAETI *Commentario de Hiſpania*, inter respublicas Elzeviria-nas 1629 impreſſo leguntur; quamquam *anonymus auctor Itineris hiſpanici* 1666 in 12 gallice publicati narret, comitem S. Stephani, Nauarrae pro-regem, virum illuſtrem, ſibi adſeueraſſe, plenum eſſe commentarium illum mendatum, ſeque manu ſua emendaſſe, hasque emendationes bibliopolae, ſi animus eſſet, opuſculum recudenti lubentiſſime ſubminiſtraturum. Quod propoſitum cur non ſucceſſerit, vix coniicio; e re certe publica & Hiſpaniae ſimul gentis ac gloriae fuerat, talia in publicum proferre. MARTINI ZEILERI *Itinerarium Hiſpaniae* iam anno 1637 germanice prodierat, ſed dein anno 1656 latine verſum & typis longe elegantioribus in 12 excuſum fuit. IOHANNES PINTO RIBERE, qui magna pars motuum luſitanicorum fuit, *Anatomia regnorum Hiſpaniae*, Vlyſſipone 1646 prodiit & italicae

quoque conſuetudini tradita fuit. Eximia quoque protulit de Hiſpania ac Hiſpanis VICTORIVS SIRI in *Prolegomenis ad Mercurium* tom. 2, vbi tumultus Catalaunicos facunde & prudenter commemorat. Vidimus quoque *Commentarium MSCtum hiſpanicum de Hiſpania*, vt ſe habuit ſub Philippo III, ipſo huius ſeculi initio. De LVDOVICI NONII *Hiſpania*, Hiſpaniae illuſtratae Schotti, magno operi, ſed ad res huius ſeculi parum aut nihil profuturo, inſerta & Antwerp. 1637 in 8 recuſa, vix quicquam attinet dicere, cum ibi antiqua potius quam recentiora explicentur. Ceterum *quatuor* prodierunt *Itinera gallica*, maximi in rebus hiſpanicis facienda. *Primum* eſt *anonymi Belgae*, quod Coloniae, vel potius in Belgio foederato, anno 1666 lucem adſpexit, & multa continet, ad Hiſpaniae interiorem notitiam pertinentia, ciuiliſque prudentiae plenum eſt opus. *Alterum* anno 1669 Pariſiis prodiit in 4, & non aeque probum eſt, licet quaedam ſcitu non indigna complectatur. *Tertii*, anno 1691 partibus 3 editi, auctor eſſe perhibetur *Aunoia* foemina nobilis, quod cum Germanis quoque noſtris interpres non ſpernendus communicauit: videntur tamen ibi multa ex innato Gallorum erga Hiſpanos odio liberius & acerbius dicta, vnde non ſine iudicio legi debet. Tandem *alius* quoque *anonymus* Amſtelodami anno 1699 *Hodoporicon* emiſit *hiſpanicum* in 12, mole

mole quidem exiguum, ſed bonae frugis plenum. *Iter reginae Hiſpanorum* adhuc ſuperſtitis Neoburgo Madritum vsque, Bruxellis anno 1693 in 8, vix quicquam praeter proletaria continet. Poteſt quoque deſcriptionibus hiſpanicis addi MONCONISII *Iter hiſpanicum*, *(Voyages de Monconny,)* quod tomo 3 Itinerum nuper denuo in 12 editorum exſtat. Mores Hiſpanorum & alia memoratu digna complexus eſt *auctor anonymus Mercurii hiſpanici*, Pariſ. 1670 in 12. Verſantur quoque in hoc argumento, quod ad mores attinet, non indiligenter CAROLVS GARSYAS & MOTTAEVS VAYERIVS, *(Mr. de la Mothe le Vayer,)* dum *Antipathiam Hiſpanorum & Gallorum* ſingularibus opuſculis exponunt. Vaſta & inſanam ambitionem ſpirantia Hiſpanorum ſeculi primis & mediis temporibus partim in lucem protulerunt, partim acerbe ſuggillarunt THOMAS CAMPANELLA & TRAIANVS BOCCALINI; ille in *Monarchia hiſpanica*, Amſtelod 1646 cum Grotii in eum notis recuſa; hic vero in *Lapide Lydio politico*, variis linguis loquente, & non vno in loco edito.

§. II.

Inter hiſtoriae hiſpanicae vniuerſales ſcriptores primo vtique loco ponendus eſſet IOH. MARIANA, niſi intra limites ſuperiorum ſeculorum ſubſtitiſſet. Commendanda tamen erit

editio eius hiſpanica, quae Madriti anno 1650 cum continuatione in compendium miſſa *Ferdinandi de Camargo & Salgado* fol. prodiit. An vero nupera editio gallica, cui vir inſignis IOHANNES ROVX vtilem ſane operam dedit, continuationem adiectam habeat, mihi, cum necdum eam viderim, non liquet. Magis itaque nos iuuabunt *Inuentarium*, vt auctor vocat, ſiue *Summarium*, vt cum Seneca loquar, *hiſtoriae hiſpanicae*, Pariſ. anno 1628 in 4. LAMBERTINI *Theatrum regium*, ſeu regum hiſpanicorum ſeries, Bruxellis 1628 in fol. latino ſermone impreſſa; & BERNHARDI IVSTINIANI *de Imperio hiſpanico* commentarius, italica lingua Venetiis 1631 in 4 editus. Quod enim ad viri illuſtris GARZIAE DE SYLVA, & FIGVEROA *Breuiarium hiſtoriae hiſpanicae*, latine Vlyſſipp. 1620 in 12, & PAVLI BOMBINI, S. I. *Hiſtoriae hiſpanicae breuiarii Enneadem 1* attinet, Venetiis eodem ſermone publicatam, parum ea hoc quidem ſeculum reſpiciunt. Interim demiror, quare ALEGAMBIVS & SOTHWELLVS, *Bibliothecae Ignatianae conditores*, hoc ipſum Bombini opuſculum omiſerint, cum tamen ab ALLATIO in *Apibus vrbanis*, ſive commentatione de viris illuſtribus, qui ab anno 1630 per totum 1632 adfuerunt, ac typis aliquid euulgarunt, Romae 1633 in 8 public. p. 210 diſerte commemoretur, vbi quoque tradit, eiusdem BOMBINI *Enneadem 2* & *Hiſpaniam*

auſtriacam

auſtriacam libris 17 conſtantem adhuc intra forulos auctoris contineri.

§. III.

Poſt hiſtoriam vniuerſalem more noſtro ad genealogias quidem & annales pergimus. Et ex genealogiis quidem vtique nominandum cenſemus RODERICI MENDEZ SYLVAE *Catalogum regium genealogicum*, Madriti 1639 in 8, & multo auctius 1656 in 4 excuſum: nec tamen in antiquioribus multum ei tribuerim, cum, vt mos eſt pleriſque Hiſpanorum ſcriptoribus, originibus gentis inſulſas, & ex Beroſi Amminiani lacunis hauſtas immiſceat fabulas, alioqui in rebus noſtri ſeculi operam laudabilem ponens. Scripſit quoque de *Nobilitate hiſpanica* diſſertationem BARNABAS MORENO DE VARGAS, Mantuae Carpet. 1622 vsque 1629 ſermone hiſpanico, in 4 excuſam. ALFONSI LOPEZII DE HARO *Catalogus nobilium Hiſpanorum* (ipſe patrio ſermone *Nobiliarium* vocat,) Madriti anno 1622 in fol. tomis 2 magni a plurimis fit; ſed narrante NICOLAO ANTONIO in *Bibliotheca ſcriptorum Hiſpaniae recentiorum*, Romae 1672 partibus 2 edita, parte 1 fol. 266, regius ſenatus decreto anni 1623 fidem huic operi, quae non ſemel fluxa ei eſt, in iudicio abrogauit. Fatetur tamen, magno adhuc a doctis viris & huiusmodi monumentorum curioſis in pretio haberi. Eminuit quoque ſingularis in laboribus genealogicis induſtria IOSEPHI

PELLIZERII, qui Diui Iacobi eques, narrante Antonio parte I fol. 62, *genealogicam rem* curioſiſſime a ſe indagatam, ingenioſiſſimeque diſcuſſam, pluribus editis lucubrationibus plurimum promouit. Vnde etiam Philippus IV archi-chronographi regii munus ei contulit. Multa viri ſcripta non magis edita quam inedita ibidem recenſet Antonius, ad quem lectorem talium cupidum ablegamus, ſimulque iubemus, vt in indice bibliothecae Antonianae plures huius generis auctores euoluat, quos cum in his oris vix aut nunquam haberi poſſint, inutili & ſuperfluo labore nequaquam hic enarrabimus. Equidem in annalibus recenſendis prouinciarum & vrbium Hiſpaniae digerendis, maius nos operae pretium facturos puto, adeoque Antonium potiſſimum ducem ſecutus, non paucos eorum hic apponam, hoc tamen mihi indulgeri cupiens, vt cum de plerisque mihi nondum viſis loquar, ignoſcant, qui in illos forte aliquando incident, ſi ad ſeculum iſtud parum aut nihil facientes immiſcuero. Ita autem procedemus, vt ſingularum regionum, ſingularumque in illis vrbium, qui quidem occurrunt, annales ſimus recenſituri; incipiendo primo loco ab illis, quae ad Caſtellam pertinent, regnis, quibus Arragonica deinde connectemus. De Luſitanis poſtea ſeorſim agemus. In regno *Legionis* euoluenda erit ANONYMI *Origo dignitatum in regnis Legionis & Caſtiliae*, cum compen-

compendio rerum a regibus geſtarum, hiſpanice exarata, Madriti anno 1658 in fol. & ALPHONSI FERNANDEZ *Antiquitas & nobilitas vrbis Valentiae*, 2 tomis in fol. In Caſtilia veteri habemus AEGIDII GONSALEZ DE AVILA *Hiſtoriam antiquitatum ciuitatis Salmanticae*, ibid. 1606 in 4. ALFONSI FERNANDEZ *Hiſtoriam & annales ciuitatis ac epiſcopatus Placentiae*, Madriti 1627 in fol. FERDINANDI DE CASTRO *Diſſertat. politic. de Nobili & fideli ciuitate Iuliobriga*, (hiſpanice audit *Longobronno*, aut *Lagronno*,) Vlyſſip. 1633 in fol. Et DIDACI DE COLMENARES *Hiſtoriam Segoviae*, 1637 in fol. quem inſignem & his in oris rarum ſcriptorem non ſine fructu euoluimus. Caſtellam nouam illuſtrant AVILAE iam laudati *Theatrum admirandorum*, *Mantuae Carpetanorum*, ibid. 1623 in fol. in qua auctor nihil fere omiſit, quod in laudem illius vrbis cedere poſſit, & inter alia quoque elogia virorum illuſtrium, qui regiis, quae ibi multa ſunt, conciliis praefuere & interfuere, exhibet. HIERONYMI DE QVINTANA *Hiſtoria de antiquitate, nobilitate & magnitudine Carpetanorum*, ibidem 1629 in fol. *Sola Madritum aula eſt* ALFONSI NVNNEZII, primum anno 1658 in 4, & deinde cum inſigni incremento 1675 eadem forma edita, qui triumuiri narrationi ſatyricae, quae in itinerario Belgae ſupra laudato legitur, opponendi ſunt. FRANCISCI SANTOS *Dies &*

noctes Madrittenſes, ibidem 1674 in 8, vbi tamen mores ſimul incolarum falſe notantur. Eiusdem FRANCISCI DE LOS SANTOS *Deſcriptio monaſterii ſuperbiſſimi Scorialenſis*, *Eſcuriale* vulgo vocant, quae Madriti 1657 in fol. cum figuris aeneis prodire iuſſa lectu digniſſima eſt. Pertinet huc ALFONSI NVNNEZ DE CASTRO *Hiſtoria ſacra & ciuilis vrbis Guadalaxarae*, Madriti anno 1658 fol. DIDACI SANCHEZ PORTOCARERO *Hiſtoria Molinae*, Madriti 1641 in 8, & FRANCISCI DE PISA *Hiſtoria Toledae.* Nauarram illuminat GARSIAE DE GONGORA TORREBLANCA *Hiſtoria apologetica regni Nauarrae*, Pampel. 1628 in fol. Extremaduram ornarunt IOHAN. SOLANVS DE VIGVEROA ALTAMIRANO *Hiſtoria Metallini*, Madriti 1650 in 4. Et BARNABAS MORENO DE VARGA *Hiſtoria Meridae*, Madriti anno 1661 in fol. In Andaluſiam pergenti facem praeferent PAVLI D'ESPINOSA *Hiſtoria & origines Hiſpalenſes*, ibid. 1634 in fol. vbi lib. 2 recentiora quoque aedificia recenſentur. Eiusdes CARI *Antiquitates Vtretae ſiue Vtriculi*, Vrſaonae 1622 in 4. ALFONSI GARSIAE *Hiſtoria ciuitatis Cordubenſis*, tomis 2. MARTINVS DE ROA DE CORDVBA in *Hiſpania Boetica Principatu*, qui Lugd. Batau. 1617 in 4 latine, & dein hiſpanice 1636, publicatus. BARTHOLOMAEI XIMENEZ *Hiſtoria vrbis Iaënſis* vel *Chiennenſis*, ibidem 1628 in 4to.

FRAN-

FRANCISCI DE BILCHES *Hiſtoria ciuitatis Biaciae*; (hiſpan. *Bieza*;) IOHAN SALVATORIS BAPTISTAE DE AVELLANO *Antiquitates* & *praerogatiuae vrbis Carmonae*, Hiſpali 1628. Tandemque IOHANNIS BAPTISTAE SVARESIS DE SALAZAR *Origines & magnificentia Gadium*, Gadibus 1621 in 4. Granatam ingredientibus occurrit FRANCISCI BEDMAR BOSQVEIO *Apologeticus*, & *Elogium ciuitatis Malaiae*, ibid. 1640 in 4. Et FRANCISCI BERMVDEZ DE PETRAIA *Hiſtoria vrbis Granatenſis*, Granatae 1638 in fol. Murciam denique adituris commendamus FRANCISCI DE CASCALES diſſertationem hiſtoricam *de regno Murciae*, Murciae anno 1624 in fol. Ipſum Arragoniae regnum egregie illuſtrauit VINCENTIVS BLASCO DE LAMVZA in *Hiſtoria ſacra & ciuili regni Arragoniae*, Caeſar-Auguſtae 1622 in fol. DOMINICVS DE AVENGOCHEA *Panegyrico ciuitatis Caeſar-Auguſtae*, latine anno 1619 ibidem publicato; & FRANCISCVS DIDACVS DE AINSA & IRIARTE *Originibus ciuitatis Oſcenſis*, Oſcae anno 1619 in fol. Valentiae regno lucem intulerunt FRANCISCVS DIDACVS in *Annalibus regni Valentiae*, in ipſa vrbe regia anno 1613 in fol. tomis 2 excuſa. CASPAR ESCOLANVS decade 1 *Hiſtoriae Valentianae*, quae tomis 3 anno 1610 & 1611 in fol. prodiit. FRANCISCVS MARTINEZ in *Hiſtoria ciuitatis Origuelae* ſiue

Oriolae, ibid. 1612 in 8. Et FRANCISCVS DE VILLA-GRASSA in *Originibus Segorbienſibus*, Valent. 1664 in fol. *Hiſtoriam vniuerſalem inſularum Balearidum*, hodie *Maiorcam* & *Minorcam* appellant, vsque ad annum 1650 contexerunt IOHAN. DAMOETVS & VINCENTIVS MVTH, prodiit Maioricae anno 1650 in fol. tomis 2. Incidit quoque in manus meas narratio MSCta ſermone italico, de maiore harum inſularum, quam non ſine voluptate perlegi, cum multa contineret de inſulae ſitu ac incolarum moribus non adeo paſſim obuia. Catalauniae quoque ſiue comitatum ſiue principatum (nam vtroque nomine gaudet) per bella, quae Hiſpanis cum Gallis hoc ſeculo interceſſere, omnibus paſſim cognitum, plurimi deſcripſerunt: quos inter principem locum optimo iure tenet vir illuſtris PETRVS DE MARCA, antiſtes primum apud Gallos Toloſanus, poſtea vero Pariſienſis, qui cum regis ſui nomine inquiſitorem, aut vt Galli vocant, viſitatorem, ſumma cum poteſtate apud Catalaunos egiſſet, & dein poſt pacem pyrenaeam inter finium regundorum arbitros fuiſſet, eruditiſſimum ſermone latino librum compoſuit, cui titulus: *Marca hiſpanica*; in quo videtur quidem antiquiora tractare, ſed ſemper tamen ad recentiora quoque reſpicit, & ipſam, vt hodie ſe habet, prouinciam non vno in loco deſcribit. Deceſſerat autem auctor opere nondum perfecto,

perfecto, ſed qui a ſtudiis eius fuerat vir doctiſſimus, STEPHANVS BALVZIVS, anno 1688 Lutetiae Pariſiorum edidit, quae deerant ſuppleuit, & monumenta hiſtorica mirifice illuſtrantia plurima adiecit. Hunc tanquam ſolem ſequuntur ſidera minora ANDREAS BOSCH de *Titulis honorificis Cataloniae*, Perpiniani 1628 in fol. dialecto catalonica. BAVDRANDVS abbas, qui Pariſiis 1695 *Tabulam Catalauniae* & *comitatus Ruſcinonenſis* accuratiſſimam dedit. NICOLAVS DV FER, cui *Ichnographiam Barcinonis* a Gallis anno 1697 obſeſſae debemus. IOSEPHVS PELLICERIVS antea dictus, in *Idea principatus Catalauniae*, Antwerp. 1642 in 8. CASSANOVA Gallus in *Catalaunia francica*, Toloſae 1644 in 4to gallice. FRANCISCVS EMANVEL DE MELO in *Hiſtoria Cataloniae*, Olyſ. 1646. FRANCISCVS FORMA in *Deſcriptione noua Cataloniae*, gallice & hiſpanice, Pariſ. 1643 in fol. GILABERT in diſſertationibus de *Principatu Cataloniae*, Ilerdae 1614 in 4. HIERONYMVS BVIADES in *Hiſtoria vniuerſali Cataloniae*, Barcin. 1699. Tortoſam vrbem deſcripſit FRANCISCVS MARTORELL in *Hiſtoria Tortoſana*, ibid. 1620 in 8 edit. *Leridam* vel *Ilerdam* IOHAN. DE QVINNONES DE BONAVENTE, & *Comitatus Ruſcinonis* ac *Cerdanae* LVDOVICVS BALDO.

§. IV.

Praemittendi quidem erant his annalium ſcriptores hiſtorici, qui ſingulorum regum hoc ſeculo regnantium vitas & geſta reliquis expoſuere, ſed cum illorum non ſint adeo multi, Hiſpanis ſegnius vt reliquis litteris, ita hiſtoriae operam dantibus, maiori numero minorem, licet ordine inuerſo ſubiungemus, & *oratores* & *poëtas* cum hiſtoricis coniungemus, quibus dein *pompae* & tandem *varia* ſuccedunt. Sceptra vero apud Hiſpanos hoc ſeculo tenuere tres reges: Philippus III & IV, & hodienum, vtinam diu ſuperſtes *, Carolus II. Quod ad Philippum attinet III, euoluenda primum LAVRENTII BEYERLINGII *Laudatio funebris Philippi III*, Antwerp. in 4 edita; vbi virtutes & facta eius in compendio exhibentur. Commendauerim dein iis, quibus facultas eſt talia perluſtrandi, *Vitam Philippi III hiſpanice ſcriptam*, ſed adhuc ineditam, vbi characteres ſimul miniſtrorum accurate delineantur. MARTINI CARILLI *Annales Hiſpaniae* vsque ad annum 1620 Oſcae 1622, & quae nuper Amſtelodami 1699 tomis 3 in 12 ſermone hetruſco nobis exhibita fuit, *Vitam Petri Gironis Vrſoanenſium*, ſeu vt vulgo loquuntur, Oſſunae ducis. Cum enim omnia ille apud ducem Lermaeum, & dux apud regem potuerit, pleraque Philippi huius geſta

* Anno deinde 1700 die 1 Septemb. viuentium numero exemptus.

italica

italica praeſertim hoc libro continentur. Quia autem inter praecipua Philippi III opera eiectio Maurorum 1610 referenda eſt, idcirco ſcriptores, qui de ea egerunt, aliquot ex Antonio recenſebimus. Laudat nempe IAIMI BLEDAE librum *de iuſta Maurorum ab Hiſpania expulſione*, & defenſionem fidei in cauſſa Neophytorum & Moruſcorum regni Valentiae, totiusque Hiſpaniae. Prodiit vterque liber ſermone latino Valentiae 1610 in 4; ſermone autem hiſpanico, cum poſtea idem auctor 16 8 in fol. publicauit *Chronologiam Maurorum in Hiſpania* 8 libris conſtantem. Eandem expulſionem deſcripſit MARCVS DE GVADALAIARA, Pompeiopoli 1613 in 4. BLASIVS VERDVS diſſertatione ſingulari idem argumentum pertractauit. Habemus quoque CASPARIS DE AQVILA *Expulſionem Moruſcorum* per Philippum III Valent. 1610. HIERONYMI AZNAR & EMBID CARDONA *Apologiam* eiectionis Maurorum & ſummam virtutum Philippi III Oſcae 1611 in 8. IOHAN. DE RIBERE, archiepiſcopi Valentini, ſupplicem libellum, quo regem obteſtatur, vt Mauros eiiceret. Eius certe impulſu factam eſſe hanc eiectionem, prodiit hic ipſe libellus, quem cum aliis viri opuſculis edidit FRANCISCVS SCRIVA, Valent. 1617 in 4. VINCENTIVS porro PEREZ DE COLLA eques Valentinus, expulſionem Mauriſcorum ex regno Valentiae ſtilo ſignauit,

&Auilenſium eiectionem VINCENTIVS GONSALEZ ALVARESIVS litteris mandauit. ANTONIVS quoque CORRAL & ROXAS, quid in regno Valentiae circa hanc rem acciderit, ſingulari libro expoſuit, Pinciae & Valladoleti anno 1612 in 4 edito. Tandemque DAMIANVS FONSECA ſermone italo Romae 1611 idem egit. Conferet quoque ad hiſtoriam Philippi huius ſymbolam ſuam DIDACVS DE GVSMANN, Cardinalis & archiepiſcopus Hiſpalenſis, in *Vita Margaretae auſtriacae* regiae coniugis, Madriti 1617. Philippi IV diuturnum ſed infelix imperium illuſtrarunt, qui longo ordine ſequuntur ſcriptores: DOMINICVS ZANVS legatus Venetus in commentario *de Aula hiſpanica, vt tempore Philippi IV ſe habuit*, Geneuae 1672 in 12 italice editus. GONSALVVS DE ZESPEDES in *Hiſtoria Philippi IV*, Barcinonae 1634 in fol. VIRGILIVS MALVEZZI in *Charactere politici chriſtiani*, in Oliuareſio duce ac comite plerumque Hiſpaniarum, ſub Philippo IV arbitro repraeſentato, inter reliqua eius opuſcula Geneuae ſermone italico publicata. Idem MALVEZZVS annum 1639 ſucceſſibus Hiſpanorum proſperis illuſtrem memoriae poſterorum commendauit, cum paullo ante IOHAN. PALAVOXIVS, & hic quidem ſuppreſſo nomine ac ſermone vernaculo, & IOSEPHVS MORETTVS verbis eleganter latinis Fontirabiam a Gallis obſeſſam, ab Hiſpanis liberatam, cum

cum orbe litterato communicaſſent. Pertinet huc quoque FERRANTIS PALLAVICINI * Oliuareſii, Mantuae Carpet. 1643 iunctim in 4 edita. *Iter Ferdinandi* Cardinalis & Hiſpaniarum principis, vulgo *Infantis*, quem frater Philippus in Belgium pro-regem deſtinarat, facunde deſcripſit *Didacus de Aëdo & Gallard* Madriti 1630 in 4, qui liber gallice quoque verſus eſt, & germanicae hiſtoriae ſtudioſis tanto acceptior eſſe debet, quod pugnam ad Nortlingam cruentam, & victoriam quam caeſariani de Suecis inſignem reportarunt, teſtis oculatus diſerte deſcribit. Habemus quoque *Hiſtoriam miniſterii Oliuareſiani* cum obſeruationibus politicis gallice Coloniae aut potius in Belgio 1672 in 12 editam, & IOHANNIS IACOBI DE ISCHIA eiusdem argumenti librum, qui Vtini ſermone italico 1653 in 12 prodiit. *Mors Ferdinandi Cardinalis* paullo ante laudati a PETRO DE BIRERO hiſpanice deſcripta, latine vero a IACOBO WALLIO, ſcriptore venuſtiſſimo, reddita fuit, Bruxellae 1642 in 4 publicata. Enimvero cum Philippum maxime rebellio Catalaunorum & defectio Luſitanorum exercuerit, operae pretium erit, ſcriptores, qui de tumultibus catalaunicis egerunt, hic commemorare: luſitanicis interim ad locum, qui infra ipſis

* *Oliuareſius loco motus*, quem inter ſelecta aut prohibita potius viri opuſcula apud Batauos aliquoties impreſſa inuenies, & reprehenſio atque defenſio.

propius erit, reiectis. Et hic occurrit LVCAS ASSARINVS Italus, cuius *Hiſtoria motuum catalaunicorum*, ſermone vernaculo exarata, Geneuae 1647 prodiit. Galli dein *Hiſtoriam motuum catalaunicorum* Rothomagi 1647 in 4to publicarunt. Idem egit anno 1648 CLEMENS LIBERTINVS S. VINCENTE. Imprimis autem inſpicere iuuabit *Querelam conſulum Barcinonenſium* ad Philippum IV Amſtelod. 1641. Et ad illam querelam *Ariſtarchum* ſiue *cenſuram*. *Hiſtoriam pacis pyrenaeae cum Gallis* 1660 compoſitae deſcripſit ſermone hetruſco GALEATIVS GVALDVS, Bremae 1662, & dein gallice cum epiſtolis anonymi, ciuili prudentia plenis, in Belgio 1667 editam. Mortem Philippi IV exſequitur IOHANNES DE S. MARIA, ſicuti quoque vltima Philippi & initia Caroli enarrata inuenies in *Vita Iohannis auſtriaci* italice *(La vita di Don Giovanni d'Auſtria)* ab anonymo compoſita, & Coloniae vel potius Geneuae 1686 in 12 edita. Diſſidia inter eundem Iohannem & Mariam Annam, Philippi IV viduam, Carolo minore increbreſcentia Gallus anonymus libello, partibus 3 conſtante, 1677 perſequitur; quae vero poſt pacem Neomagenſem geſta fuerint, docebit ΑΥΝΟΙΑ in commentariis ſiue *Hiſtoria arcana aulae hiſpanicae*. Quibus omnibus tandem addi poſſunt *Faſti hiſtorici Caroli II*, Lipſiae 1697 in 8.

§. V. Ad

§. V.

Ad *pompas* pergentibus offerunt ſeſe ſub Philippo III *Exſequiae Margaretae*, Hiſpaniae reginae, a Coſmo II Florentiae celebratae, & a IOHAN. ALTOVITO deſcriptae, Flor. 1612 in fol. cum figuris aeneis. MARTINI DE LEON *Narratio de pompa funebri eiusdem reginae*, a marchione Montis clari, Peruuiae pro-rege, celebrata & Limae 1612 in 4 impreſſa. IOHANNIS DE VALCASSAR *Funus* eiusdem *reginae* Neapoli ductum, ibidem 1612 in 4. LVDOVICI VALESII DE GVERRA *Sacramentum*, ſereniſſimo Hiſpaniarum principi Philippo Dominico dictum, Madriti 1608. IOHAN. BAPTISTAE LAVARNAE *Ingreſſus Philippi III* Vlyſſip. Madriti 1623. FRANCISCI ARECO *Feſta regia Vlyſſiponenſia*, Vlyſſip. 1619 in 4. MICHAEL RIBERIVS de *Ludis*, quos Philippo III exhibuit Franciſcus de Roias & Sandoual dux Lermenſis. EMAN. THESAVRI extremi honores, Philippo III Hiſpan. regi Mediolani celebrati, quos in opere inſcriptionum fol. 1 ſeq. invenies. ANNAE DE CASTROEGA *Aeternitas regis Philippi III*, Madriti 1629 in 8. MANRIQVESII *Funus* Philippi III ab academia Salamanticenſi ductum, ibidem 1621 in 4. FRANCISCI DE BARREDA *Exſequiae* a ciuitate Toletana Philippo III celebratae, Toleti 1621 in 4. Et tandem MARTINI DE REQVENA Exſequiae regis Philippi, Guaxacae 1623 in 4.

Sub Philippo IV habemus FERDINANDI DE VALVERDA narrationem *de Spectaculis*, quae vrbs quaedam Caſtellae nouae, a rebus nomen trahens, cum Philippus IV regnum auſpicaretur, celebrauit. HYACINTHI DE HERREA Pompam triumphalem, qua Philippus IV Mantuam Carpetanorum ingreſſus eſt. ANTONII HORTADO DE MENDOZA Spectacula Araniuenſia Philippo IV exhibita, Madriti 1623 in 4. IOHANNIS GOMEZII DE MORA narrationem de ſpectaculo ferali & tragico (Hiſpani ACTVM FIDEI vocant) Madriti a quaeſitoribus fidei anno 1622 repraeſentato, Madriti 1632. LVPI FELICIS DE VEGA CARPIO, hiſpanicorum poetarum hoc ſeculo principis, narrationem de ſpectaculis Lermenſibus 1622 in 4to, in gratiam Philippi IV exhibitis. EMAN. THESAVRI Pompas natalitias Balthaſaris Dominici Hiſpaniarum principis Mediolanenſes, quas inter inſcriptiones legas. SALVATORIS DE MALLEA Pompas natalitias Granatenſes eiusdem argumenti. Ludouici de Vlloa Spectacula Madritenſia in honorem eiusdem principis recens natae Iſabellae Clarae Eugeniae, Hiſpaniarum principis mauſoleum, iuſſu Mariae Medicaeae erectum, a *Serraeo* gallice deſcriptum, & Bruxellis 1634 editum. IOHANN. GONSALEZ *Verele* Funus Ferdinandi Cardinalis Infantis Toleti ductum, Madriti 1641 in 4. Pompam funebrem Iſabellae Borboniae

Hiſpa-

Hiſpaniarum reginae, Mediolani 1644 italice. Balthaſaris Hiſpaniarum principis pompa funebris, Mediolani 1647 in fol. Eiusdem pompa funebris Caeſar-Auguſtana, ſiue Obeliſcus hiſtoricus IOHAN. FRANCISCI ANDREAE DE VSTARROZ. Nuptialis currus elogiis ac ſymbolis apparatus, ad hymenaeum Philippi IV, & Mariae Annae auſtriacae Hiſpaniarum reginae, auctore PAVLO ANTONIO DE PARSIA, Caeſar-Aug. 1649 in 4. Eiusdem Mariae Annae ingreſſum Mediolanenſem, Mediolan. 1650 in fol. italice. Ingreſſum Ticinenſem auctore INNOCENTIO MAYNO Parmao in fol. Item eiusdem ingreſſum Mantuam Carpetanorum 1650. Porro huc pertinent Pompae natalitiae Philippi Proſperi, Hiſpaniarum principis, Mediolan. 1658 in fol. italice. ANDREAE CERINI Pompae natalitiae Neapolitanae eiusdem Proſperi, Neapoli 1659 in fol. italice. Narratio de ſpectaculis Romae exhibitis in honorem Philippi Proſperi recens nati, Romae 1662 italice. ANTONII LAZARI DE VELASCO Hieroglyphicum aenigma funeſtum ſupremis Philippi IV propoſitum, Valentiae 1666 in 4to. PETRI DE QVIROS *Parentalia*, vel funus Salmanticae Philippi IV ductum, ibidem 1665. Tandemque PETRI RODRIGVEZ DE MONFORTE Narratio de exſequiis Philippi IV Madritenſibus, Mantuae Carpetanorum 1665. Ad Carolum II referas

commentarios gallicos de matrimonio, quod cum Maria Ludouica Aurelianenſium principe celebrauit, Pariſ. 1681 editis.

§. VI.

Ad *miſcella* ſiue *varia* hiſpanica pertinent primo ſcriptores, qui de ordinibus Hiſpanorum equeſtribus, *Iacobi* nempe, *Alcantarae* & *Calatrauae*, egerunt; nam aurei velleris longe his nobiliorem, cum ex Belgio originem traxerit, belgicis quoque inſeremus. Edidit itaque *Hiſtoriam horum trium ordinum* hiſpanicorum FRANCISCVS CARO DE TORRES Hiſpalenſis in 4to; de ordine vero equeſtri *St. Iacobi* commentarius exſtat GREGORII DE TAPIA & SALCEDO, Madriti 1650 in 4 excuſus. Itemque alia eiusdem *auctoris* commentatio *de ritu equites Iacobaeos creandi*. *Inſignia hiſpanica* illuſtrauit IOH. CARAMVEL LOBKOWITZ explicatione, quam myſticam vocat, Bruxellis ſermone hiſpan. 1639 in fol. edita. De *dignitate regum & regnorum Hiſpaniae*, contra Gallos praeſertim, egit libro ſingulari latine ſcripto IACOBVS VALDESIVS, Granatae 1602 in fol. quae editio rarior praeferenda eſt Francofurtenſi in 4 anno 1627. Cum quo coniungi debet CAMILLVS BORELLVS de *Regis catholici praeſtantia & iuribus*, Mediolani 1611 in fol. latine publicatus. Ceterum cauſſam Hiſpanorum nemo doctius, nemo operoſius egit, quam IOHANNES IACOBVS CHIFFLETIVS, ex

ex cuius operibus hiſtorico-politicis antea memoratis hic apponimus *Vindicias hiſpanicas: Ad vindicias hiſpanicas Lumina noua Salica: Lumina noua praerogatiua: Lampades hiſtoricas* contra Marci Antonii Dominici cauillationes, & eiusdem *vnitatem fortem* a marchione de Legalez prouinciis belgicis Hiſpaniarum regis nomine propoſitam, quae etiam ſeorſum 1628 Antwerp. in 4 prodiit. Et Chiffletio quidem reſpondere conatus eſt IACOBVS ALEXANDER TENNEVRIVS in *Veritate vindicata* adverſus Chiffletii Vindicias hiſpanicas Pariſ. 1651 in fol. ſermone latino editus; ſed cordatioribus parum aut nihil profeciſſe videtur, impar enim Chiffletio aduerſarius erat. Variis item hiſpanicis inſeratur VINCENTII TVRTVRETI *Sacellum regium* ſiue de capellis & capellanis regum, cum notis perpetuis pro capella aulae hiſpanicae, Madriti 1630 in 4. Et RODERICI MENDEZ SYLVAE breuis & curioſa *Notitia educatorum principum hiſpanicorum* & aliorum ex familia regia, quae primo Madriti hiſpan. 1651 lucem adſpexit, & deinde a IOSEPHO ANTONIO MAZARELLO italice verſa, ac Venetiis 1674 edita fuit. Poſſis etiam huc referre ALFONSI CARILLI *Originem ſatraparum Hiſpaniae*, Madriti 1657 in fol. hiſpanice, & SALAZARIS DE MENDOZA *Originem dignitatum profanarum regnorum Caſtellae ac Legionis*, Toleti 1618 in fol.

§. VII.

Hiſpaniae non minima eſt pars LVSITANIA, ſeu PORTVGALLIA, cum *Algarbiae regno*, quae ſub finem ſeculi ſuperioris, regibus Sabaſtiano & Henrico ſine liberis decedentibus, quicquid in contrarium niteretur Antonius Nothus & Bragantina domus, reliquae Hiſpaniae adiuncta, & a filio Philippo III ac nepote Philippo IV vsque ad annum 1640 regnata fuit, donec Luſitani inſtigante Cardinale Richelio a Caſtellanis deficientes, Iohannem Bragantiae ducem diademate cingerent, ac poſt bellum ſatis diuturnum, pace anno 1667 compoſita, Caſtellae reges eo adigerent, vt iuri ſuo in Portugalliam renunciarent. De hac igitur ſeorſim nobis nunc agendum. Et ipſum quidem regnum auctor anonymus, qui inter respublicas Elzeuirianas 1641 prodiit, ſatis curate deſcribit: cui adiungi poterit IOHAN. HENRICI HAGELGANSII *Notitia* germ. *Portugalliae* Noriberg. 1641 prodiit in 12. Et EDVARDI NVNNESII *Deſcriptio regni Portugalliae*, Vlyſſip. 1614 luſit. 4. Ceterum reges huius ſeculi Caſtellanos, Philippum nempe III & IV, illuſtrarunt ANTONIVS DE VASCONCELLES Ieſuita, in elegantiſſima *Anacephalaeoſi regum Portugalliae*, quae latino ſermone cum nitidiſſimis imaginibus regum, & argutis Eman. Pimente epigrammatibus Antwerp. 1621 in 4 prodiit. Monet de eo Nicolaus Antonius tomo I Bibliothecae

fol.

fol. 174, magni hoc opus fieri a viris doctis, propter regum veras imagines, vndequaque intra & extra Portugalliam diligenter perquiſitas, & iam antea a Bernhardo de Brito, Ciſtertienſium ordinis religioſo, elogiis regum luſitanicorum, 1603 luſitanica dialecto ſcriptis, additas. EMANVEL DE FARIA ET SVSA in *Compendio hiſtoriae luſitanicae* in quatuor partes diuiſo, ac primum Mantuae Carpetanorum 1628 in 4, & dein Bruxellis 1677 in fol. cum figuris hiſpanico ſermone publicato. Auctor *anonymus hiſtoriae luſitanicae* gallica lingua in 20 libros ab anno 1090 vsque 1610 digeſtae & Geneuae 1618 tomis 2 in 12 editae. ANTONIVS BRANDAON in 3 parte imperii hiſpanici 1633 publicata in fol. ANTONIVS DE SVSA MACEDO in *Flore Hiſpaniae & praeſtantia Portugalliae*, ſiue hiſtoria ab initio mundi ad annum 1630, quae Vlyſſip. 1631 lucem adſpexit. LVDOVICVS COELLO DE LABARDVA in *Regibus Portugalliae*, luſitanico idiomate Lisbon. 1624 in 4 vulgatis. Laudat etiam ANTONII GEORGII ÇARDOSI *Anacephalaeoſin Luſitaniae*, & IOHAN. MADAIRAE *Vitas regum Luſitaniae*, quas tamen ipſe non vidi, ſed ex aliorum libris tantum cognoui. Portugalliae ſub ipſis motibus & poſt illos hiſtoriam varii dederunt. IOHANNES nempe BAPTISTA BIRAGVS Auogadnus Brixienſis Italus, cuius ego *Hiſtoriam ſeparationis regni Portugalliae a regno*

Caſtellae, vt anno 1646 Geneuae ſermone italico prodiit, poſſideo; ſed auctior & melior longe videtur eſſe illa, quae cum ſupplemento fratris FERDINANDI HELENI, ordinis praedicatorum, vt vocant, monachi, Amſtelod 1647 in 8 a Rauenſteinio excuſa fuit, cuius hiſtoriae quoque pars quaedam, libri nempe priores duo, germanice prodierunt. Nimis tamen acerbus eſt in Caſtellanos, & ipſos Luſitanos iniuriarum & amatoris alias haud parcos maledicentia ſuperat. IOHANNES BAPTISTA MORELLVS hiſpanico ſermone *Recuperationem & inſtaurationem regni Portugalliae* 1648 Auguſtae Taurinorum edidit. LVCAS ASSARINVS antea laudatus hos quoque motus ſermone hetruſco voluminibus 2 litteris mandauit; prodiit Geneuae 1644 in 4. ANTONII SEINORI Caſtellanis addicti *Hiſtoriam rebellionis luſitanicae*, Caeſar-Auguſt. anno 1664 in 4 editam ipſe tractaui, & inter alia obſeruaui, eum inter turbarum incenſores haud obſcure, immo ſatis manifeſte, Ignatianae ſodalitatis monachos recenſere. CAIETANVS itidem PASSARELLVS, Carolo II Hiſpan. regi a confeſſionibus, *Bellum luſitanicum* libris 10 latino ſtilo ſignauit, ſed eo ſaepe nimia Taciti imitatione tam obſcuro, vt Oedipo opus ſit ad aenigmata explicanda. Ex ipſis Luſitanis primo loco nominandus venit magna horum motuum pars Iohan. Bragantini ducis *princeps ſcriba* (*ſecretarium*

vulgo

vulgo vocant) in diſſertatione *de Vſurpatione, detentione & inſtauratione regni Portugalliae*, Vlyſſip. 1640 in 4. ANTONIVS DE SVSA MACEDO in *Luſitania liberata* Londini 1645 in fol. latino, ſed admodum inculto & propemodum barbaro ſermone conſcripta, vbi alioquin auctor ſibi multum indulget, & vera falſis, fabulas hiſtoriae ſine vllo delectu & iudicio immiſcet, odii tantum in Caſtellanos manifeſtus. Gallus quoque Abbas VERTOTVS lingua gallica eleganter, quamuis exiguo libello, hiſtoriam horum motuum complexus eſt. Familiam vero inter hos omnes ducere debeat vir illuſtris LVDOVICVS MENESES, Ericeirae comes, cuius *Hiſtoriae luſitanicae* tomus prior ad exceſſum vsque Iohannis IV pertingens Vlysſip. ſermone luſitanico 1680 in fol. lucem adſpexit, & adhuc fruſtra a me indagatus fuit, magnis tamen laudibus ab ephemeridum gallicarum collectoribus celebratur. Poſterior vero, licet omnino elaboratus, adhuc intra forulos auctoris latet, vix, vt eaedem ephemerides anni 1695 p. 157 monent, tam ſubito edendus, quia multi procerum adhuc viuentium ibi tanguntur, & hiſtoriam libere ſcribere ſemper intutum fuerit. Enimuero cum hi motus orirentur, iura vtriusque regni tum Portugalliae, tum Caſtellae viri docti ſtrenue defenderunt, & aduerſarios ſimul vehementer impugnarunt. Ex Luſitanis quidem eminet FRANCISCVS

MACEDO, auctor polygraphus, in *Propugnaculo luſitano-gallico*, Pariſ. 1647 latine. FRANC. VELASCVS A GOVEA *in Iohanne IV rege Portugalliae iuſte a regno ſuo conſalutato*. ANTONIVS DE SVSA in *Caramuele victo*, Londini 1642 in 4. VILLA REALIS Centurio in *Anti-Caramuele*, Pariſ. 1643 in 4to. Et auctores *anonymi epiſtolarum apologeticarum pro duce Bragantiae*. Confer *Iura ſuccedendi in Luſitaniae regnum*; in fol. latine. *Panegyrin* apologeticam pro Luſitania liberata, Pariſ. 1641 in 4. *Luſitaniam vindicatam*, 12, & libellum, *Fuora Villaco* ſiue libertas luſitanica vindicata. Caſtellanorum autem cauſſam defenderunt ANTONIVS DE FVERTES BIOTA in *Apologia* pro ſucceſſione regni Portugalliae aduerſus Valaſcum de Gouea ſupra citatum, quam quod non viderit Nicolaus Antonius miror, cum nihil aliud ſit, quam *anti manifeſtum luſitanicum* Brugis Flandrorum 1640 in 4 publicatum. IOH. CARAMVEL AB LOBKOWIZ *in Philippo prudente Luſitaniae rege demonſtrato* 1639 Antwerp. in fol. latine. Idem in *Iohanne Bragantino Luſitaniae rege illegitimo demonſtrato*, quem librum latine vertit LEANDER VAN DER BANDT; prodiit Louanii 1642 in 4. Appendices quaſi horum motuum (quos etiam hiſpanico ſermone expoſuit FRANCISCVS DIAS in epiſtolis belli luſitanici, Caeſar-Auguſtae 1644 in 12 hiſpanice,) ſunt: *Querela de epiſcopatibus luſitanicis*

Romae

Romae agitata, & *Carcer Eduardi Bragantiae ducis*, Iohannis IV fratris. Quod ad epiſcopatus attinet, ſummo ſtudio impediebant Caſtellani, ne eccleſiis luſitanicis, per obitum epiſcoporum paſtoribus deſtitutis, noui praeficerentur; putabant enim, hac ratione futurum, vt ad officium redirent, quos illi appellabant, ſeditioſi. Hinc cum pontifices Vrbanus VIII, licet Hiſpanis minus fauens, Innocentius X, & Alexander VII haeſitarent, ordines tres regni Luſitaniae ſermone patrio libellum ad Innocentium X Hiſpanis addictum ſcribebant, & haud obſcure interminabantur, annitentibus imprimis & ſtimulantibus Gallis, fore vt alia ſibi ratione conſulerent; prodiit Pariſiis 1653 in 8. Exſtat quoque RODERICI PACECI libellus ſupplex pro Luſitanis ad Vrbanum VIII, & ISMAELIS BVLLIALDI libelli duo pro eccleſiis luſitanicis ad clerum gallicanum; prior ſcriptus 1649 menſe decembri, poſterior 1651 menſe martio, vterque cura illuſtris Portneri Argentinae 1656 excuſus. Hiſpanorum cauſſam egit FRANCISCVS RAMOS DAL MANZANO in libello ſupplici pro rege catholico, Madriti 1659 in fol. *Eduardi Tragoediam* repraeſentauit auctor anonymus in perfidia Germanorum & Caſtellanorum in defenſione Eduardi Portugalliae principis detecta, Vlyſſip. 1652 luſitanice, & Gallus anonymus in *Principe vendito*, ſiue hiſtoria carceris Eduardi, Pariſ. 1643 in 4to.

Confer *Deciſiones anonymi* de iniuſta carceratione principis Eduardi Portugalliae, in folio. Quid poſt pacem cum Caſtellanis compoſitam circa abdicationem Alfonſi VI & ſucceſſionem Petri nunc regnantis euenerit, commemorauit LEANDER DORIAS in libello, luſitanico ſermone ſcripto, cui titulus: *Cataſtrophe luſitanica*, ſiue abdicatio Alphonſi; prodiit Vlyſſip. 1666, gallice Pariſiis 1674 in 4, & germanice Lipſiae 1697 in 12, quem ſcriptorem preſſo pede ſecutus eſt, dum hanc cataſtrophen enarrat, PASSARELLVS, quamuis mihi nimio in Alphonſum odio, in Petrum fauore laborare videatur. Addantur epiſtolae de *diuortio Alphonſi* a Maria Amalia coniuge, in folio editae, & *vita eiusdem Mariae* Luſitaniae reginae atque Iſabellae filiae a Petro de Orleans Pariſiis 1696 ſermone gallico in 12 publicata. Singulas Luſitaniae prouincias & vrbes perluſtraturis pauca occurrunt, niſi quod LVDOVICVS MARINVS DE AZEVEDO *Antiquitates & admiranda Vlyſſipponis*, Lisb. 1652 in fol. ſermone luſitanico deſcripſerit, & LVDOVICVS MENDEZ DE VASCONCELLOS ſingulari dialogo 1608 luſitanice edito idem egerit. ARII VARELLAE *Hiſtoriam Eluae*, quae non ignobilis Portugalliae vrbs eſt, laudat quidem Antonius parte 1 fol. 133; ignorat tamen, an prodierit. RODERICI MENDEZ *deſcriptionem vrbis Cetorizi*, in prouincia Beira, a Cardoſo citatam, ſed a ſe

nondum

nondum viſam, itidem adducit fol. 216. Nihil igitur reſtat, quam ANTONII FREYRAE *Origines ciuitatis Tuienſis*, Brugae 1610 in 4. Ad varia luſitanica refero HIERONYMI ROMANI librum *de tribus ordinibus militaribus Luſitaniae*, qui tamen an prodierit, ipſi Antonio nec dum liquet. CASPARIS PEREIRAE *Notitiam ordinum S. Iacobi & Auiſii in Luſitania*, contra archi-epiſcopum Eborenſem, Lisbonae 1630 in folio luſitanice, & LVPI DE SEQVEIRA PEREIRA *de Ordine militari Auiſienſi* commentarium; tandemque FRANCISCI EMANVELIS *Varia* ad hiſtoriam luſitanicam ſpectantia (ipſe *Epanophoras* vocat,) Vlyſſipone 1660 in 4to.

CAPVT IV

GALLIA.

§. I.

MAgnae iterum molis rem aggredimur, dum ſcriptores hiſtoriae huius ſeculi gallicanae recenſere conamur. Cum enim haec gens elegantiſſime litteris exculta ſit, & ſermonem imprimis vernaculum ad miraculum vsque expoliat, omnique induſtria id agat, vt regum ſuorum geſta per hiſtoriae genium aeternitati commendet, facile eſt coniicere, quanta in agro tam fertili ſcriptorum ſeſe offerat meſſis. Nos tamen iterum ordini hucusque recepto, ceu filo ariadnaeo innitemur, & a generalibus ad magis ſpecialia progrediemur.

§. II.

Notitiam Galliae, vt hodie ſe habet, aut minimum ſub initium & medium huius ſeculi ſe habuit, dedere tum LAETIVS in *Republica Galliae*, apud Elzeuirios 1629 in 24 edita, tum IOH. LIMNAEVS in *Notitia Regni Galliae*, quam Argentorati 1655 in 4 publicauit; multi tamen iudicant, Limnaeum rectius facturum fuiſſe, ſi in republica patria ſubſtitiſſet, nec peregrinae nimium curioſus hoſpes ſe immiſcuiſſet, quod tamen nos ſuo loco relinquimus. Interim laudabilis eſt diligentia ANDREAE QVERCETANI ſiue Cheſnaei, *Bibliothecam auctorum*, qui hiſtoriam & topographias Galliae ſcripſerunt,

1627

1627 in 8 inſtruentis, ad quam etiam noſtros ablegamus, vix alios indicaturi, niſi qui ipſius induſtriam effugerunt, vel poſt eum ſcripſerunt. Ceterum hic quoque laudabilis eſt MARTINI ZEILERI & MATTHAEI MERIANI labor, qui iunctis operis *topographias Galliae* 13 voluminibus Francofurti 1655 in folio emiſerunt. Nec ſpernendae ſunt, licet paullo vetuſtiores, *Ichnographiae & Scenographiae vrbium praecipuarum Galliae*, Pariſiis 1638 in 4 voluminibus duobus editae. Tabulas regni geographicas accuratiſſime forma auguſta expreſſerunt Pariſiis 1693 NICOLAVS DV FEVR, & IOH. BAPTISTA NOLINVS, cui adiungi debet *Chorographia Galliae*, Pariſiis 1691 in 12, in qua prouinciae & vrbes a Ludouico XIV occupatae, ſumma cum cura recenſentur & deſcribuntur. PAPYRII MASSONII *Deſcriptionem Franciae per flumina*, vtpote Quercetano commemoratam, ſilentio praeterirem, niſi noua editione, Pariſiis 1685 excuſa, MICH. ANTON. BAVDRANDI, *geographici lexici auctoris* notiſſimi, notae acceſſiſſent. IODOCI SINCERI *Itinerarium Galliae*, & ABRAHAMI GÖLNICII *Vlyſſes gallobelgicus* in omnium ſunt manibus. Habemus quoque MAVRICAEI *Chronographiam Galliae*, Pariſiis 1664 voluminibus duobus gallice, *Anonymi Iter gallicum* anno, ni fallor, 1637 in 8 editum. Cum quibus iungas cenſeo DALQVIAEI *Delicias Galliae*, Amſtelodami 1670 cum figuris.

ANDREAE QVERCETANI *Origines vrbium gallicarum*, (*Origines des villes de France*,) Pariſiis 1668 tomis 2 editas, & *Itinerum hiſtoricorum* (*Voyages hiſtoriques*,) tomum 1 Pariſiis 1693 in 12 Galliae deſtinatum. An huc quoque referenda ſit HERETIERII *Tabula hiſtorica Galliae* Pariſiis 1669, nunc equidem ignoro, cum ex catalogo tantum Sluſiano mihi innotuerit. TAFFINI *Tabulae generales prouinciarum gallicarum*, Pariſiis 1637 in folio, & *Theatrum regni francici geographicum anonymi* merito huc referenda ſunt. Vt & VERDIERII *Iter gallicum*, (*Voyage de France*,) Lugduni Gallorum 1623 in 12. *Chorographiam agri Pariſienſis* tabula accurata dedit *Nicolaus du Feur* anno 1690. *Eiusdem* habemus *Ichnographiam ſuburbii St. Germani*, Pariſiis 1696, cum quo coniungi debent CAROLI LEMAIRE *Lutetia vetus & noua* gallice tomis tribus Pariſiis 1685 in 8, & GERMANI BRICAEI *Poliographia*, Pariſiis 1685 primo, & deinde longe auctior 1697 editae. Nec non MARTINI LISTERI, medici apud Anglos celeberrimi, *Iter Pariſienſe* (*A Iournay to Paris*,) quod anglico ſermone Londini 1699 in 8 editum. Et Indiculus baptizatorum, matrimonio iunctorum & vita functorum, in regia Pariſienſium vrbe, cum obſeruationibus ad annos 1670 & 1671 in folio. Habemus etiam *Antiquitates & Memorabilia Pariſienſia* PETRI BONFONII a IACOBO BREVLIO aucta & Pariſiis 1612 publi-

publicata, quibus deinde *Supplementum Breulianum* latinum 1614 acceſſit, quae tamen, vt & eiusdem BONFONII *Faſti Pariſienſes*, 1605 excuſi, parum aut nihil ad hiſtoriam huius ſeculi faciunt. Ceterum, quia in *Lüſteri Iter Pariſienſe* incidi, quod obtrectatoribus non caruit, operae quoque pretium eſt, meminiſſe obſeruationum *anonymi Angli*, quas in itinere per Galliam & Italiam facto ſelegit, & Londini 1699 ſermone patrio prodidit. PETRI DAN ex ordine S. S. Trinitatis religioſi *Theſaurus miraculorum regii ſeceſſus Fontisbellaquei*, Pariſiis 1642 cum figuris aeneis folio editus, illuſtrabitur a FERII *delineatione huius ſeceſſus*, quae Pariſiis 1697 lucem adſpexit. Huc quoque pertinent *Tabula foſſarum Aurelianenſis & Brianenſis*, quibus Ligeris & Sequana iunguntur, eiusdem FERII Lutetiae Pariſiorum 1697. NOLINI *Tabula prouinciae Lugdunenſis*, Pariſ. 1697. FROIDVRII *Tabula foſſae*, per quam oceanus cum mari interno connectitur, Toloſae anno 1672. ARNOLDI OIHENARTI *Notitia vtriusque Vaſconiae, Ibericae & Aquitanicae*, latine 1688 Pariſiis in 4. LVDOVICI IACOBI a ST. CAROLO *Prouinciae Narbonenſis* compendioſa deſcriptio, latine in 8. *Anonymi Iter per Prouinciam*, 1683 in 12, & PETRI BORELLI *Antiquitates ac notabilia vrbis Caſtrenſis*, in dioeceſi Albiienſi, Caſtris 1649 in 8. Plures hic non profero, cum infra, quando poſt hiſtoricos

regum geſta explicantes, de annalibus ſingularum prouinciarum ac vrbium agemus, non exiguo numero eos repraeſentaturi ſimus.

§. III.

Progredimur ad *notitiam dignitatum & iura publica Galliae*, vt & conſuetudines quarundam prouinciarum atque ciuitatum: nam omnia cum puluiſculo colligere, immenſae foret operae, & labor magis ICto, quam hiſtorico conveniens. Conſulendus hic imprimis erit GIRARDVS in libris 3 *de Dignitatibus Galliae*, vaſtis duobus voluminibus maiori forma comprehenſis, & Pariſiis 1688 in folio lingua gallica impreſſis, quorum primus agit de ſupremis regni curiis (*Parlamenta* vocant,) ſecundus cancellariis, cuſtodibus ſigilli, & aliis, qui a conſiliis regiis ſunt, tertius de baliuiis, de ſeneſchallis, & aliis ius reddentibus magiſtratibus. Nec abludit ANSHELMI *Palatium gloriae & honoris*, vbi praeter ſolennes pompas, de quibus infra agemus, notitia quoque dignitatum illuſtrium exhibetur; prodiit Pariſiis 1663 in 4to. IOHAN. FERONIVS *Hiſtoriam comitum ſtabuli, cancellariorum, ſigilli cuſtodum, mareſchallorum*, quos Thuanus *equitum tribunos* appellat, *claßis praefectorum, palatii magiſtrorum & tribunorum Lutetiae mercatorum (Hiſtoire des conneſtables, chanceliers & gardes des ſceaux, mareſchaux, admiraux de Frances, grans maitres de la maiſon du roy & prevoſts de Paris)* compoſuit, quam

quam cum ſupplemento Pariſiis 1658 typis regiis in folio emiſit DIONYSIVS GOTHOFREDVS. Edidit quoque S. LAZARI *Dominus Notitiam dignitatum Galliae*, Pariſiis 1635. Et huc pertinet IVLIANI PELEI *Galliae Cancellarius*, & CHEVILLARDI *Tabula cancellariorum & cuſtodum ſigilli*, cum teſſeris ipſorum gentilitiis, additis ſimul annis, quibus ſinguli hunc honorem inierunt, Pariſiis 1692. Vt & FRANCISCI QVERCETANI ſiue Cheſnaei *Hiſtoria cancellariorum & cuſtodum ſigilli, (Hiſtoire des chancelliers & gardes des ſceaux,)* Pariſ. 1680 in fol. CHEVILLARDI itidem *Tabula tribunorum equitum*, a Philippo Auguſto vsque ad noſtra tempora, Pariſiis 1699. Quibus vero non licet hanc Corinthum adire, iis commendauerim Notitias dignitatum Galliae, quae ſingulis ferme annis duobus vel tribus minoris formae voluminibus ſub nomine *Status francici (Etat de France)* in lucem prodeunt. Quod ad ius publicum Galliae attinet, habemus IACOBI CASSANAEI *Iura regis & regni gallicani*, qui tamen nimium regibus ſuis tribuens, ab aliis, praecipue Belgis & Hiſpanis, erroris redargutus fuit. Praerogatiuam quoque regibus Galliae pro hiſpanicis adſeruit C. BVLTEAV, libro Pariſiis 1675 in 4 publicato: & eodem collineare videtur PETRI ROSELLI latinum ſchediaſma de *Antiqua* Gallias inter atque Hiſpanias in diuinis ac humanis rebus *communione*, Lugd.

1660 in 4. PETRVS PVTEANVS, *(Du Puy,)* de Gallia ſua praeclare meritus, *Iura regis chriſtianiſſimi in regna & prouincias ab aliis principibus poſſeſſas*, *(Traitez touchant les droits du roy ſur pluſieurs etats & ſeigneuries poſſedées par pluſieurs princes voiſins* &c.) Pariſiis anno 1655 in fol. ſingulari libro expoſuit. HIERONYMI quoque BIGNONII, quem Richelius Cardinalis inter maxima ſeculi huius ornamenta collocauit, exſtat liber gallicus *de Excellentia regum & regni Galliae*, *(de l'Excellence des roys & du royaume de France,)* Pariſiis 1610 in 8. Adde IOHANNIS SAVARONIS diſſertationes *de Potentatu*, ſiue, vt alii non ſatis latine loquuntur, *Suprematu regio*, *(de la ſouveraineté du roi,)* Pariſ. 1610 & 1615 in 8. Et huc quoque retulerim ſcriptores, qui de controuerſo inter regem & pontificem romanum ac epiſcopos quosdam regaliae iure ſcripſerunt. Licet enim haec cauſſa ad hiſtoriam magis eccleſiaſticam quam ciuilem pertineat, eiusque peculiari appendice pertractandae ſpem fecerim, animaduerto tamen ob diffuſam huius ipſius, qui nunc prae manibus eſt, laboris magnitudinem vix quidem nunc integrum nobis fore, vt promiſſis ſtemus, adeoque hic potius quaedam de re tot ſcriptis & tandem etiam vexationibus, ac tantum non manu armata diſcuſſa, proferemus. Steterunt itaque *pro pontifice epiſcopi*, maxime *Apameenſis* & *Aletenſis*, regis idcirco odium promeriti. *Prior*

equidem librum anno 1680 de hoc iure *(de la Regale)* edidit, in Hollandia anno 1681 mox recuſum, & a SFONDRARTO *abbate St. Galli* apud Heluetios latine factum, ac cum aliis opuſculis 1689 in 4 publicatum. Contra quem vero aula die 3 aprilis 1688 ſententiam plane decretoriam tulit, omnibusque Galliae ciuibus libri huius lectionem prohibuit. Idem *abbas St. Galli* edidit 1688 in 4 typis monaſterii ſui *Galliam vindicatam*, in quo teſtimoniis exemplisque, gallicanae praeſertim eccleſiae, quae pro regalia, ac 4 Pariſienſibus propoſitionibus a Ludouico Maimburgio aliisque producta ſunt, refutantur. Annis antea tribus Leodii quidam 1685, qui ſub litteris initialibus M. T. S. T. D. nomen ſuum occultauit, cauſſam regaliae penitus explicatam dedit, ſiue *Reſponſionem ad Natalis Alexandri diſſertationem de iure regaliae*, quae habetur inter eius ſelecta hiſtoriae eccleſiaſticae capita, ad ſeculum 13 & 14. Huius quoque generis eſt ſylloge *(Recueil de diverſes pieces concernant la regale)* Coloniae, aut potius in Belgio, 1681 edita. Itemque *Narratio de illis*, quae circa regaliam in dioeceſi Apameenſi euenerunt, *(Relation de ce qui s'eſt paſſé touchant l'affaire de la regale,)* Coloniae 1681. *Epiſtolae canonici* cuiusdam ad epiſcopum de epiſtola cleri gallicani die 10 iulii 1680 publicata, quae itidem Coloniae 1680 in 12 prodiit. Cauſſam *regis* defenderunt AVBERIVS *de Regalia*,

(de la Regale,) Pariſiis 1678 in 4. *Auctor anonymus* diſſertationis de *Iure regum circa ius regaliae*, Coloniae 1682 in 12. Collector variarum *de Regalia commentationum*, Pariſiis. MATTHAEVS LORROQVANVS (DE LA ROQVE,) theologus reformatus, in tractatu de Regalia, *(de la Regale,)* Roterodami 1685 in 12, qui tamen nullum nauatae operae praemium, niſi inuidiam, tulit. Nolebant enim & rex, & qui regi addicti erant epiſcopi, vt hoſtis apertus ſeſe diſſidiis eorum inteſtinis immiſceret. Prae ceteris vero eximiam laudem meruit FRANCISCVS PINSONIVS vaſtis duobus voluminibus in 4to 1688 Pariſiis editis. Nec non GILBERTVS BVRNETTVS Anglus, epiſcopus nunc Sariburienſis, qui librum de *Beneficiis eccleſiaſticis & principum iuribus circa illa, (The Hiſtory of the rights of princes in the diſpoſing of eccleſiaſtical benefices and Church-Lands,)* lingua patria Londini 1682 in 8 emiſit, in quo praecipue regaliae cauſſa tractatur, adiuncta ſimul appendice actorum & epiſtolarum lectu digniſſima. A iuribus regiis deſcendimus ad *iura & conſuetudines fori gallicani*, ſi tamen prius commendauerimus RVPIFLAVINAEI (DE LA ROCHE-FLAVIN,) commentarium de *Curiis ſiue parlamentis gallicanis*, Geneuae anno 1621. PALLIOTI *Parlamentum Burgundiae*, Diuione 1649. Et GVIDONIS ALLARDI Catalogum *praeſidum in curia Delphinatus*, Gratianopoli 1695

1695 in 12. Ceterum ius gallicum addiſcere cupientibus adeunda eſt *Hiſtoria iuris gallici*, Pariſiis 1674 in 12, auctoris anonymi. LAVRENTII BOCHELLI *Bibliotheca iuris gallici*, Lutetiae primum duobus voluminibus 1615, & iterum tribus 1679 folio excuſa. ANTON. FONTANONI *Edicta regum Galliae*, a Ludouico Craſſo vsque ad Henricum IV, cum ſupplemento Gabrielis Michaelis, Pariſiis 1611 in folio, tribus voluminibus. THOMAE CORMERII *Codex iuris ciuilis Henrici IV*, Lugd. 1602 in folio. BERNHARDI AVTVMNI *Collatio iuris romani cum iure gallico*, Lutetiae 1610 in 4. LVDOVICI CHARONDAE *Pandectae vel digeſta iuris gallici*, Pariſiis 1637 in fol. *Codex Ludouicianus*, Pariſiis 1667 in 4. IVLIANI BRODEAV *Decreta curiae Pariſienſis*, 1678 in fol. duobus voluminibus. IOHAN. FRESNAEI & IAMETI GVESSIERII *Ephemerides fori Pariſienſis*, ab anno 1623 vsque ad noſtra tempora digeſtae, Pariſiis 1678 - - 1685 voluminibus quatuor in fol. LVCIANI SVAVIS *Sylloge noua* plurimarum quaeſtionum, deciſarum per decreta in audientiis Parlamenti Pariſienſis lata, tom. 2 Pariſiis 1682 in fol. C. B. & G. G. *Ephemerides fori*, ſiue collectio praecipuarum deciſionum in vniuerſis parlamentis & ſupremis Galliae curiis latarum, opus maximi pretii, ab anno 1672 vsque 1689 continuatum, & Pariſiis vndecim voluminibus in 4 editum. PETRI BARDETI

Sylloge decretorum parlamenti Pariſienſis, Pariſiis 1690 in folio tomis 2. HENRICI BASNAGII *Obſeruationes in conſuetudines Normanniae*, 1682 in fol. Rotomagii. BERTRANDI D'ARGENTRE *Commentarii in patrias Britonum leges*, Pariſiis 1614 in folio. PETRI HEVINI *Decreta curiae britannicae*, Auguſtae Rhedonnum (Rennes) 1684 in 4, voluminibus duobus. IOHAN. LELETI *Obſeruationes* in conſuetudines Pictonum, Pictauii 1683 in 4. *Decreta curiae burgundicae* per BOVVOTVM Geneuae 1623 & 1628 duobus voluminibus in 4. CASPARIS THAVMASII DE THAVMASIERE antiquae & nouae conſuetudines Biturigum commentario illuſtratae, Auarici Biturigum 1679 in fol. *Statuta Delphinalia*, Gratianopoli 1623 in 4to. RVPEFLAVINEI *Decreta curiae Toloſanae*, primo 1617 in 4, & deinde cum *Grauerolii ſupplemento*, 1684 in folio. GERHARDI MEINARDI *Bibliotheca Toloſana*, cui per Samuelem Corbiacum tomus ſecundus acceſſit, Pariſiis 1638 in folio. IOHAN. DE CAMBOLAS *Decreta curiae Toloſanae*, Toloſ. 1681 in 4. HYACINTHI BONIFACII *Curia Aquenſis*, ſiue prouinciae Narbonenſis ſuprema, Pariſiis 1670 in fol. duobus voluminibus; & denique *Priuilegia vrbis Arauſionenſis*, 1607 in 4. Plures in medium producere ſuperſedemus, ne magis ICti quam hiſtorici officio fungi videamur. Mantiſſae inſuper loco addentes, ad notitiam dignita-

dignitatum pertinere ANSHELMI ſupra laudati *Notitiam dignitatum gallicarum*, Pariſiis 1674 duobus voluminibus in 4. IACOBI RIBIERII *Commentarios* ſiue *Memorias (Memoires)* de cancellariis & cuſtodibus ſigilli, Pariſiis 1679 in 4. TESSERELLI *Hiſtoriam chronologicam cancellariatus Franciae*, Pariſiis in folio. FAVVELETI DV TOC *Hiſtoriam quatuor virorum ab epiſtolis regis* (*Hiſtoire des ſecretaires d'etat*,) Pariſiis 1668 in folio, ſeu potius 4to maiore. Ad iura regis cognoſcenda proderunt anonymi Memoriae, illis ſuppeditatae, quibus in negotiis publicis iura regis tuenda ſunt, (*Memoires & inſtructions pour ſervir dans les negociations & affaires concernant la France*,) Pariſiis 1666 & 1681 in 8; & PETRI PVTEANI liber vernaculus, *de Maioritate*, vt vocant, *regum*, *regimine reginarum*, *& eminentia curiae Pariſienſis*, gallice, Pariſiis 1645 in 4.

§. IV.

Iuris gallicani ſcriptores ſequuntur *genealogiarum conditores*, cui praeclaro ſane labori, & a Gallis praecipue ad Germanos & alias gentes propagato, multi in Gallia viri docti ſtrenue incubuerunt. Nec male tamen de iis ipſis Gallis meriti ſunt duumuiri Germani doctiſſimi, IMHOFIVS & SPENERVS, quorum *ille Genealogias gallicas*, opus luculentum & cedro dignum, Noribergae 1692; *hic* ſimilis argumenti librum Francofurti in folio 1691 emiſerunt.

IACOBVS BIAEVS *familias francicas ex nummis illuſtrauit*, Pariſiis 1636 in fol. *Hiſtoria genealogica familiae regiae apud Gallos* (*Hiſtoire genealogique de la maiſon de France*,) per fratres SAMMARTHANOS conſcripta, opus diligentiſſimum & accuratiſſimum, prodiit primum Pariſiis 1619, dein longe auctius quatuor voluminibus in folio ibidem 1647. DAVIDIS BLONDELLI *Genealogiae francicae* plenior adſertio contra Chiffletium, Amſtel. 1654 voluminibus duobus in folio edita, non aeque perſpicua, vti erudita eſt, inſignia quidem hiſtoriae francicae documenta, ſed ſtilo impedito, ac crebris parentheſibus interrupto, id quod Blondello ſolenne eſt, repraeſentans. BOVCHETI *Origo familiae regiae*, Pariſiis in folio prodiit. ADRIANI IORDANI *Origo familiae regiae* voluminibus tribus, Pariſiis 1679 in 4 impreſſa eſt. MENESTRIERII vero *Tabulae genealogicae regum Galliae*, 1681 in folio, lucem adſpexerunt. CHEVILLARDVS *Tabulas genealogicas maiorum ducis Burgundiae*, Ludouici XIV nepotis, cum teſſeris gentilitiis, Pariſiis 1692 repraeſentauit. Porro ſi a familia regia ad reliquas deſcendamus, eminet induſtria virorum clariſſimorum *Cheſnei*, *Hoſierii*, *Boucheti*, illorum quos ſupra laudauimus, fratrum *Sammarthanorum*, *Roquaei* & aliorum. CHESNAEVS nobis dedit *Hiſtoriam genealogicam familiae Vergianae*, Pariſiis 1625 in folio; familiarum *Guineenſis*, *Andreſi-*

Andreſienſis, & aliarum, Pariſiis 1631 in folio; familiarum *Dreuxenſis*, *Barleducenſis*, *Luxenburgenſis*, *Limburgenſis*, *Richeliae*, *Broyeriae* & *Caſtrouilainiae*, Pariſiis 1621; familiae *Montmorenciae* & *Laualliae*, Pariſiis 1624; familiae *Caſtilloniae ad Matroam*, Pariſiis 1631 in folio; familiae *Chaſtagnieriae*, Pariſiis 1634 in folio; familiae *Bethuniae*, ibidem 1639 in folio; *comitum de Ponthieu & praetorum Abbatis Villae*, Pariſiis 1657 in folio. HOSIERII eſt Genealogia *familiae Rosmadeciae*, Pariſiis 1645 in folio; Genealogia Dominorum *Dufferiae* Pariſiis 1662 in folio, & Dominorum *de l'Arbour*, Pariſiis 1629 in 4. Nec vllus fere ſcriptor genealogicus apud Gallos prodiit, qui non fateatur, ſe huius viri, originum gallicarum ſolertiſſimi ſcrutatoris, beneficio multa didiciſſe. BOVCHETI ſunt Hiſtoria *familiae regiae Caurtenacenſis*, Pariſiis 1661 in folio; Hiſtoria *domus Coliniae*, voluminibus duobus 1662 Pariſiis in folio, & Tabulae genealogicae *comitum Aruerniae*, Pariſiis 1666 in folio, quae cuncta gallice prodierunt. SAMMARTHANI fratres elaborarunt hiſtoriam genealogicam *domus Tremollae*, Pariſiis 1668 in 12. ABELIVS vero SAMMARTHANVS dedit *Elogia gentis Richeliae*, *Chombergiae*, *Belleuereae*, *Albuspineae*, *Ruceae*, *Coieriae*, *Effiatiae & Arnauldae ac Bonchilleriae*, quae in operibus Sammarthanorum latinis, Pariſiis 1629 in 4 excuſis, inuenies. ROCQVAEVS vaſtis quatuor

voluminibus in folio *Origines domus Harcourtiae* explicauit gallice, Pariſiis 1662 in folio. AVGVSTINO DE PAZ *Hiſtoriam genealogicam Britanniae Aremoricae* debemus, & CHRISTOPHORO IVSTELLO, viro eruditiſſimo, hiſtoriam *domus Aruerniae & Turenniae*, Pariſiis 1648 in folio. *Nobiliarium*, vt vocant, *Piccardiae*, ſiue familiarum illuſtrium illius prouinciae accuratam recenſionem inſtituit AVDIQVERIVS DE BLANCOVRT, Pariſiis 1693 in 4. In *nobilitatis* vero *Campanicae* origines inquirit COMMARTINVS, voluminibus duobus Auguſtae Catalaunorum 1673 in fol. *Sauoreas origines* eruit EREMITA SOVLIERIVS eques, Pariſiis 1665 in 4. *Familias* vero *hetruſcas in Galliam translatas* IOHAN. BAPTISTA EREMITA TRISTANVS in *Hetruria gallicana*, Pariſiis 1661 in 4. Tandem GVIDO BRETONNEAV *Origines domus Briconnetiae*, Pariſiis 1621 in 4 eruit: & *anonymus* quidam Germanus Hamburgi 1696 in 4 *gentem Boufflteriam* repraeſentauit.

§. V.

Inter hiſtoricos Gallorum vniuerſales, qui res huius ſeculi attigerunt, primo iterum loco nominandus venit THVANVS, de cuius variis editionibus erudita exſtat *Iohannis Petri Titii Recenſio*, Gedani 1685 in 4 publicata, & de quo ac eius aduerſariis & aemulis plura dicerem, niſi magis in hiſtoriam ſuperioris ſeculi, quam hoc

hoc noſtrum elaboraſſet vir ſummus *. Interim hoc vnum moneo, in bibliothecae Tellerianae catalogo, e typographia regia Pariſiorum 1693 in folio emiſſo, fol. 293 addenda vel delenda in hiſtoria Thuani, MStum in folio exhibere; qui liber an eadem contineat, quae *Thuanus reſtitutus*, ante hos 30 & quod excedit annos in Belgio emiſſus, viderint, quibus integrum eſt MSCtum codicem perluſtrare. IOHAN. SERRANVS in *Gallicae hiſtoriae*, vt vocat, *inuentario*, ſaepius ſermone gallico, ſed omnium optima editione Pariſiis 1631 in folio edito, latine vero Francofurti 1625 eadem forma emiſſo, hiſtorici dignitatem nequaquam eſt aſſecutus. Melius ſeſe geſſit MEZERAEVS, tum in maiori *Hiſtoriae francicae (Hiſtoire de France)* opere Pariſiis 1683 tribus voluminibus in fol. cum effigiebus regum & elegantiſſimis nummorum imaginibus edito, tum in *Compendio*, *(Abbregé de l'hiſtoire de France,)* itidem tomis tribus Amſtelodami 1679 in 12 impreſſo. ALBINEI *Hiſtoria* (*Hiſtoire univerſelle du Sieur d'Aubigné*) vsque ad mortem Henrici IV concinnata, & Maillii 1616 & 1618 duobus voluminibus in folio edita, ac Geneuae dein 1626 recuſa, res potiſſimum ſeculi ſuperioris complectitur, & cum horrida liberrate ſcripta ſit, auctori ſuo nihil aliud niſi exilium peperit. PETRVS

* Confer Struuii Bibliothecam hiſtoricam cap. 8 § 12 pag. 203.

MATTHAEVS, aliunde etiam notus, & infra mox nominandus, *Hiſtoriam gallicam* a Franciſco vsque ad Ludouicum XIII voluminibus duobus litteris mandauit; prodiit gallice Lutetiae 1631 in folio. CLAVDIVS MALINGREVS hiſtoriam a temporibus Henrici III vsque ad Ludouicum XIII deduxit, & gallice Pariſiis 1622 in lucem emiſit. SCIPIO DV PLEIX *Hiſtoriam vniuerſalem galliae*, (*Hiſtoire generale de France avec l'etat de l'egliſe & de l'empire*,) ab ipſis regni incunabulis vsque ad Ludouicum XIII defunctum, voluminibus ſex Pariſiis 1660 in fol. editis, complexus eſt; cuius & compendium (*Abbregé de l'hiſtoire de France*,) quod vsque ad annum 1643 pertingit, anno 1662 quatuor voluminibus in 12 prodiit. Sed odii & mendaciorum vbique manifeſtus, ad ſcriptores Voluſianos merito relegatur, exſtatque inſignis BASSOMPETRAE, viri illuſtris & equitum apud Gallos tribuni, *Animaduerſionum libellus*, Pariſiis 1665 in 12, in quo, vt par eſt, acri lixiuio perfunditur inſulſus ſcriptor. Itaque ei longe praeferendus eſt PETRI BERTAVLD *Florus francicus*, ſermone latino Pariſiis 1630, & Lugduni 1671 in 12 publicatus. Adnumerandus quoque eſt optimis ſcriptoribus BOVSSIERIVS in *Hiſtoria gallica*, Lugduni 1661 in 12, quatuor voluminibus, & 1671 in 4 latine edita, vbi recentiora paucis quidem attingit; ſed eo tamen modo, vt induſtriam inde & iudicium viri colligas.

colligas. RIENCVRTII *Epitome chronologica hiſtoriae gallicae*, (*Abbregé chronologique de l'hiſtoire de France*,) duobus voluminibus Lutetiae 1678 impreſſa, non adeo magni eſt momenti; melior tamen quam aliud eius opus, cuius infra mentionem faciemus. GREGORII LETI *Theatrum gallicum*, hiſtoriam Galliae ſub regibus Henrico IV ac Ludouico XIII & XIV ſermone Italo exhibens, Amſtelodami 1691 in 4to prodiit. Et huc quoque refero *Faſtos regum Aurelianenſium & Bourboniorum* LONDELII, ſiue Ephemerides hiſtoricas ab anno 1597 ad 1697; prodiere gallice 1697, Lutetiae in 8. Qui germanico delectantur idiomate, adeant *Vitas regum Galliae*, Noribergae 1671 in 12 impreſſas. Itemque libellum in Belgio anno 1686 in 12 excuſum, cui titulus: *Obſeruationes ad hiſtoriam Henrici IV, Ludouici XIII, & Ludouici XIV*, in quo non iucunda tantum, ſed vtilia & ea quoque continentur, quae nuſpiam legas: vnde hiſtoriae arcanae apud Gallos ſtudioſis iure commendabilis exiſtit. Proſtat & gallice ſub tit. *Remarques ſur le gouvernement du royaume durant les regnes de Henry IV, Louis XIII & Louis XIV*, Colon. 1688 in 12.

§. VI.

Nunc hiſtoriam ſingulorum, qui hoc ſeculo imperarunt, regum inſpecturi ab Henrico IV ordimur. Eminent hic BAPTISTAE GRAINII (LE GRAIN) *de Vita Henrici libri decem*,

(*Decade contenant la vie & geſtes de Henry le grand,*) Pariſiis 1614 in folio, & iterum 1633 in 4to. BARTHOLOMAEI MORISOTI HENRICVS M. Lugduni Batau. & Geneuae 1624 in 8 latine. GVILIELMI SOSSII *de Vita Henrici M.* libri quatuor itidem latine, Pariſiis 1622 in 8. CAROLI CANTOCLARI latino ſtilo ſignatus *Hiſtoriarum a pace anno 1598 conſtitutæ liber 1*, Pariſiis 1616 in 4. IVLIANI PELEVS *Hiſtoria Henrici IV*, Pariſiis 1613 in 8. VICTORIS PALMAE CAIETANI *Chronologia ſeptem annorum* (*Chronologie ſeptenaire*) ab anno 1598 - - 1604. RVDOLPHI BOTEREII de rebus in Gallia & alibi geſtis, ab anno 1594 - - 1610, voluminibus duobus Pariſiis 1610 in 8. Quod deinde opus vna cum PETRI MATTHAEI *Hiſtoria Henrici IV* in 4to Francofurti ad Moenum latine prodiit. Eximie quoque commendari debet HARDVINI PEREFIXII, archi-epiſcopi Pariſienſis, Ludouici XIV praeceptoris, *Hiſtoria* ſiue *vita Henrici M.* quam ille exemplum regis perfecti diſcipulo propoſiturus, elegantiſſimis coloribus depictam Pariſiis 1662 in 4, ſaepius deinde recuſam & in germanicam quoque linguam traductam, in lucem edidit; quod etiam ſermone belgico fecit ante ipſum PETRVS CORNELIVS HOOFTIVS, Belgarum Tacitus, cuius liber *Henrik de Groote* 1636 in 4 prodiit, & dein 1652 in 12, iterumque cum reliquis eius operibus tomo 2 Amſtel.

Amſtel. 1704 in fol. recuſus fuit. Ediderunt quoque in Belgio *Amores Henrici IV*, ſiue hiſtoriam arcanam, vna cum diario Henrici III, & aliis ad ſeculi ſuperioris hiſtoriam facientibus opuſculis, & id quidem primo 1663 in 4, cuius quidem farraginis editionem indigniſſime tulit orator tunc temporis apud Batauos Gallus, ſummaque vi publicationem libri in reges ſuos contumelioſi prohiberi conatus eſt; aſt fruſtra, quin potius ſemel iterumque & nuper demum ante hos quatuor vel quinque annos cum notis ſane luculentis lucem adſpexit. Ab Henrico IV pergimus ad *Ludouicum XIII*, vbi familiam ducit GRAMONDI *Hiſtoria*, ab exceſſu Henrici IV vsque ad annum 1628 deducta, quae primum Toloſae fol. 1643, & poſtea editione ſatis nitida Amſtelodami 1653 in 8 prodiit, apud Germanos etiam noſtros ante annos non adeo multos, verum non ſatis emendate, protruſa. Vtitur ille ſermone latino; ſed eo dictionis genere, quod ampullis & formulis nimium putide exquiſitis ſcatens, parum cordatioribus placuit. Vnde Sarrauio alicubi in epiſtolis *culinam olere* dicitur. Proteſtantibus etiam nimis infeſtus, & adulationis in Richelium manifeſtus, non omne punctum tuliſſe videtur. Memini me in Conringii, ni fallor, de Prudentia ciuili libro legiſſe, plures ab eo hiſtoriarum libros confectos, aſt poſtea, quod inuidiam procerum auctor timeret, ſuppreſſos fuiſſe, qui

vtinam aliquando in lucem exirent; nam licet, vt iam innuimus, non omnibus ſe approbauerit, quaedam tamen eximia habet, quae ſi cum iudicio legantur, hiſtoriam huius ſeculi gallicanam mirifice illuſtrant. Proluſerat autem ille maiori operi, hiſtoriae ſcilicet proſtratae in Gallia rebellionis, itidem Toloſae 1623 in 4 latine emiſſae. Gramondum excipiat BAPTISTA LE GRAIN, vt patris Henrici, ſic filii quoque Ludouici res geſtas decade complexus, ab anno 1610 - - 1617; prodiit gallice 1619 Pariſiis in folio. Habemus etiam BERNARDI CAROLI, a conſiliis ſecretioribus & hiſtoria, *Hiſtoriam Ludouici XIII, (Hiſtoire du roy Louis XIII,)* libris viginti, Pariſiis 1646 in folio. MALINGRAEI *Hiſtoria bellorum ſub Ludouico XIII* geſtorum, duobus voluminibus gallice Pariſiis 1638 in fol. ALEXII RONCOVERI, Placentini comitis, *Regnum Ludouici*, ab initio regiminis vsque ad primordia Richelii, Lugduni 1691 in 4to italice, & ABELIS SAMMARTHANI Panegyricos tres latinos, vitam Ludouici vsque ad Rupellanam expeditionem enarrantes. Comitia gallica ſub eo celebrata 1614 luculento opere deſcripſit FLORIMVNDVS RAPINVS, Pariſiis 1651 in 4, voluminibus duobus. *Anonymus* quidam hiſtoriam gallicam 1619 & 1620 annorum, Pariſiis 1621 in 8 publicauit. *Hiſtoriam obſidionis Montalbani* fruſtra a Ludouico ſuſceptae, ibidem anonymus

1621

1621 in 8 dedit. *Obſidionem arcis Sammartinianae* latino, ſed impedito admodum & difficili ſtilo ſignauit IACOBVS ISNARDVS, Pariſiis 1629 in 4 editus. Nec multo melius ſe geſſit EDVARDVS HERBERTVS Anglus in *Expeditione Buckingami ducis in Ream inſulam*, latine, Londini 1656 in 8 emiſſa. Parentheſibus enim crebris ſermonis perſpicuitatem obfuſcat, nec nitoris vsque adeo ſtudioſus eſt, cum Iſnardo tamen, quem paſſim refellit, coniungendus. PHILIBERTVS MONETVS, ſi in *Cracina ſeruata* (quae eſt *Rea* inſula) & *Rupecula capta*, Lugd. 1630 in 12 latine publicata, partium ſtudiis ſe abſtinuiſſet, laude non indignus foret. Praeferimus itaque his omnibus SAMMARTHANI *Expeditionem Rupellanam*, itidem latine, & rarum GEORGII REVELLI de *Rupella capta* opuſculum, quod libris conſtat tribus latinis, & Amſtelodami 1649 prodiit apud Ianſonium. Sequatur ABELIS SAMMARTHANI latina quoque *Expeditio in Vallem Tellinam*, & *Ludouici XIII* Franciae regis *Expeditio in Italiam*, Pariſiis 1630 in 4 PHILIBERTVS DE LAMARE, ſenator Diuionenſis, vir eleganter doctus, *Obſidionem Fani Iohannis Launoënſis* in Burgundia, 1637 a Caeſareanis fruſtra ſuſceptam, latine deſcripſit, quae in *Conſpectu hiſtoricorum Burgundiae* ſub finem circa annum 1688 in 4 prodiit, cum BOVINVS *Dolam a Condeo fruſtra obſeſſam*, ſermone gallico 1640 in 4 cum

orbe erudito communicaſſet. ANTONII DE VILLE latine ſcripta *Obſeſſio Corbeienſis*, Pariſiis 1637 cum figuris nitidiſſimis prodiit. *Anonymi obſidio & victoria Leucatenſis* Pariſiis 1638 excuſa eſt. ANTONII DE VILLE, iam dicti, *Obſidio Heſtinenſis* 1639 in folio lucem adſpexit. *Miles ſub-alpinus*, ſiue hiſtoria rerum a Gallis in Italia 1640 geſtarum, Lutetiae eodem anno in 8 prodiit; quibus omnibus colophonem imponat ANTONII GIRARDI *Narratio de obitu Ludouici XIII*, Pariſ. 1656 in fol. Ludouicum XIV aeternitati mandarunt *auctores commentariorum de iuuenta eiusdem*, *(Memoires de la minorité de Louis XIV,)* Pariſiis 1688 iunctim in 12 ab Ameloto editi, de quibus tamen infra, cum de commentariis & memoriis agam, plura dicturus ſum. IOHAN. LABARDAEVS, vir illuſtris & regis ſui apud Heluetios orator, *Hiſtoria latina rerum gallicarum libris decem* annos ferme decem ab anno 1643 vsque ad annum 1652 complexus eſt, Pariſ. 1671 in 4. BENIAMIN PRIOLVS in latinis *Hiſtoriarum libris duodecim* primum Carlopoli 1665, dein Lipſiae in 8, & Traiecti ad Rhenum in 12 impreſſis, de quibus idem, ſi non acerbius, iudicium tulere viri cordati, quale antea de Gramondo proferebamus. Memini, celeberrimum Boeclerum aliquando in ſcholis, publice in Suetonium habitis, profeſſum fuiſſe, ſe cum primum hic auctor prodiret, & magno paſſim a rerum gallicarum non

adeo

adeo vsque peritis lectoribus applauſu exciperetur, in animo habuiſſe, Argentinae nouam eius editionem adornare, ſed cum ſuper hac re ad amicos, quos in Gallia habebat, & illos quidem maximae dignationis viros, litteras dediſſet, monitum fuiſſe, vt ſi famae ſuae vellet conſultum, hoc conſilium omitteret. Vnde imprudentiae arguebat doctum alioquin apud Lipſienſes hiſtoriarum profeſſorem, qui hunc ipſum ſcriptorem, indice a ſe & notulis quibusdam expolitum, iterum praelo ſubiecerat. Stilus certe eſt ex meris Taciti & Senecae centonibus, & id quidem interdum ſine iudicio, compilatus; veritatis an ſatis ſtudioſus fuerit, diſpiciant ipſi Galli, quibus certe parum placuit. Interim legendus tamen eſt, & optabile foret, vt reliqua, quae in calce hiſtoriarum promiſit, opera, inprimis *libri de vita ſua* & *epiſtolarum ſenilium* ad maximos Europae proceres centuria vna, non cum tineis atque blattis luctarentur. Cum enim ſecretiora Cardinalis Mazarinii miniſteria obiiſſet, multa ab eo vtique didiciſſemus, quae nunc non ſine diſpendio tum hiſtoriae, tum ciuilis prudentiae ignorantur. Verum pergendum, & ad LVDOVICI GENDRAEI (LE GENDRE) Canonici Pariſienſis *Guſtum hiſtoriae Ludouici M.* (*Eſſai de l'hiſtoire du regne de Louis le grand*,) Pariſiis 1697 in 4 excuſum, accedendum eſt, quem librum nuperrime etiam in Belgio recuſum eximiis laudibus

ornant collectores ephemeridum gallicorum. Obſeruatque auctor anonymus Notarum Hamburgenſium ad prima huius anni diurna, iam quartum hoc ipſum opus editum fuiſſe, ex quo facile eius praeſtantiam colligere eſt, ad quam profecto non accedit RIENCVRTII *Hiſtoria Ludouici XIV, (Hiſtoire de Louis XIV, par Mr. de* RIENCOVRT,) Pariſiis 1693 in 12 edita, & annalibus Voluſianis merito comparanda; vtpote in qua auctor regi ſuo turpiſſime adulatur, & quae aliquo modo in Gallorum dedecus cedere poſſunt, indecoro ſilentio premit; quae vero vel aliquantulum ad ipſorum gloriam pertinent, ſupra modum attollit: quod quam contra hiſtorici dignitatem ſit, omnes intelligunt. MICH. ANGELI MVRISONI *Hiſtoria gallica*, italice ſcripta, ſpecimen tantum eſt exiguum operis maioris, cum vix annos tres integros exhibeat, a pace pyrenaea incipiens, & in anno 63 deſinens: prodiit Venetiis 1673 in 4. Illuſtrant quoque res a Ludouico geſtas GREGORII LETI *Monarchia vniuerſalis Ludouici XIV*, Amſtelodami 1689 italice & gallice duobus tomis in 12 emiſſa; vbi tamen auctor, neſcio qua intemperie agitatus, cum Gallus non ſit, & extra Galliam Amſtelodami viuat, Ludouicum adeo ſupra reliquos, & imprimis foederatos principes, extollit, vt plane nullam veritatis rationem habuiſſe videatur, vnde merito ab anonymo I. D. M. D. R. libello, Traiecti 1690 in 12 edito, caſti-

caſtigatus fuit. CLAVDII MENESTRIERII *Hiſtoria Ludouici XIV metallica*, (*Hiſtoire du roy Louis le grand par les medailles, emblemes, deviſes*, &c.) ſiue Collectio nummiſmatum in honorem regis cuſorum, prodiit primo 1689, & deinde auctior Pariſiis 1693 in folio, vbi auctor in praefatione partem alteram promittit. Inſertae autem ſunt editioni priori, apud Batauos recuſae, quaedam pagellae, vbi nummi quidam magis in contumeliam quam gloriam Ludouici fabricati repraeſentantur. Nec omiſerim RICHARDI presbyteri, conſiliarii regis & fundationum, quas vocant, Ludouicearum hiſtorici, *Diſſertationem hiſtoricam de Ludouici XIV fundationibus ſacris, iudiciariis, bellicis, negotialibus, & ad ſcientias & artes pertinentibus*, Pariſiis 1695 in 12. Singulas Ludouici res geſtas conſideraturo offerunt ſe HENRICI BESSAEI *Narratio de expeditione Rupiscroiana & Friburgenſi*, Pariſiis 1673 edita. IOHANNIS FRANCISCI SARACENI (SARRASIN) *Hiſtoria obſidii Dunckerkani prioris*, elegantiſſime ſcripta, & operibus eius gallicis non ſemel excuſis inſerta. GALEATII GVALDI *Hiſtoria motuum gallicorum ab anno 1648 usque ad 1655* italice ſcripta, Pariſ. 1655 in folio. MENARDIERII *Obſidio Auguſtae Attrebatum anno 1654*, Valentiae 1656, & *poſterior Dunckerkae 1658* prodiere ſimul Lutetiae 1662 in 8. *Bellum Sequanicum ſecundum* ſermone latino a IOHANNE MORELETO deſcriptum &

Diuione 1668 in 8 excuſum. C. Q. B. Mariae Inſularis abbatis *Gallo-Batauus Veredarii Curſus*, id eſt, Gallorum in Hollandia 1672 progreſſus, anno 1679 Pariſ. in 8 latine. *Anonymi Bellum batauicum* vberrime ſcriptum, vbi errores & naeui ducum gallicorum haud diſſimulantur, Hagae anno 1689 in 12. *Obſidio Freiburgenſis*, 1678. *Expeditio Ludouici in Belgium hiſpanicum*, 1667 & 1668. *Alia in easdem prouincias*, 1678; vtraque Pariſiis in 12. DISDIERII *Hiſtoria pacis Neomagènſis*, (*Actes & memoires des negociations de la paix de Nimegue*,) Pariſiis 1680 in 12. CAISSELII *Triumphus gloriae*, ſiue victoriae Ludouici M. Pariſiis 1682 in 12. VOTLIERII *Diurna expeditionum gallicarum & principum foederatorum ab anno 1690 - - 1694*, gallice Pariſiis 1694 in 12; quibus adiecta eſt *Tabula geographica Samſonii*, loca, quae ſedes belli fuerunt, exprimens. MORELLI DE DASSAI, centurionis in legione Serrana, *Ephemeris belli in regione ſub-alpina*, ſiue Pedemontio 1690, Catenatii ductu geſti, gallice Pariſiis 1692. MASSIACI Commentarii *de bello, quod ab anno 1688 & 1689* geſtum fuit, Lutetiae 1698 in 12. *Narratio de rebus in Catalaunia geſtis*, poſtliminio huc reuocanda, Pariſ. 1679 in 12; & tandem MONTII Commentarii hiſtorici *de pace Ryſwicenſi*, (*Memoires de la paix de Ryſwick*,) quatuor voluminibus Hagae 1699 publicati, cui tamen operi vltima manus nondum eſt impoſita,

polli-

polliceturque auctor, ſe plures hac de re libros conſcripturum. Addi quoque debent, qui vitas vxoris & nurus regiae, dum panegyricos ſcripſere, enarrant: CAMBRAEVS ſcilicet, cuius oratio, honori ſupremo Mariae Thereſiae Galliarum reginae dicta, in 4 Pariſiis 1684 prodiit, & IACOBI BENIGNI BOSSVETI Vita ſiue panegyricus eiusdem reginae, ibidem 1683. PETRI BARIEI epiſcopi Mirepoxienſis ſermo epicedius, in funere Mariae Annae Victoriae Bauarae, Delphinae Galliarum, dictus Pariſ. 1690. Vt & FLECHIERI & IANII in idem funus ſermones, eodem anno publicati.

§. VII.

Hiſtoriarum ſcriptoribus vitas virorum illuſtrium vel ab aliis, vel ab iis ipſis ſcriptas; vt & epiſtolas de rebus grauiſſimi momenti, a rerum ciuilium adminiſtratoribus prudentiſſimis exaratas, ſubiungimus. In quo ſcriptionis genere Galli facile omnibus aliis populis palmam praeripuerunt. Ad geſta itaque Henrici IV ſiue Magni illuminanda eximie iuuabunt *Commentarii* ſiue *Memoriae Maximiliani Bethunii Sullii ducis, (Memoires ou oeconomies royales d'eſtat, domeſtiques politiques & militaires de Henry le grand)* ab ipſomet digeſtae, & diu poſt eius obitum Pariſiis 1662 in fol. quatuor tomis, & Rothomagi 1663 in 12 octo editae, quae volumina, ſi theſaurum hiſtoriae gallicae eius temporis appellaueris, id quod res eſt, dixeris. Adiungi

debent *Epiſtolae Cardinalis* OSSATI *ad regem & Villaregium Roma ſcriptae*, gallice, & nuper iterum anno 1698 cum ſaepiſſime recuſae fuiſſent, cum ſupplementis & notis Ameloti in 4to nitidiſſime editae. *Vita quoque Ioyeuſſii Cardinalis*, magnis rebus gerendis ab Henrico in Italia praeſertim adhibiti, ab AVBERIO conſcripta, & cum variis commentariis ac epiſtolis ad hiſtoriam illius temporis facientibus, Pariſ. 1654 in 4 gallice edita. *Epiſtolae* quoque & *Commentarii Philippi Canayi Fraxineti* ſiue FRESNAEI, tomis tribus in folio Pariſiis 1635 impreſſi, quos cur tantopere contemnat in *Commentariis de Legato Vicquefortius*, ego quidem non video; cum praeſertim quae circa diſſidium Pauli V cum Venetis euenere, diligentiſſime a Fraxineto, gallico tunc temporis ad Venetos oratore exponantur; vnde infra in rebus italicis iterum a nobis non ſine laude commemorabitur. Denique PLESSII MORNAEI, viri nobilitate generis, armorum gloria & litterarum laude florentiſſimi, *Vita*, a IOHANNE DALLAEO, vti creditur, ſcripta, & Lugduni Batauorum 1647 in 4 edita; vt & eiusdem commentarii & epiſtolae, (*Memoires de Meſſire* PHILIPPE DE MORNAY) quorum duo tomi priores Sylvae vltra Separam (*a la Foreſt*) 1624, totidemque poſteriores Amſtelodami 1651 & 1652 in 4 prodiere, quibus non Henrici ſolum, ſed etiam non exiguam Ludoui-

Ludouici XIII hiſtoriae partem illuſtrant. Ad eius tempora pertinent ESTRAEI (D'ETREES) tribuni equitum, qui antea Coeurius marchio dicebatur, *Commentarii de regimine Mariae Medicaeae, (Memoires de la regence de la reine Marie de Medicis,)* Pariſiis 1666 in 12. DEAGEANTII ſub Luineſii miniſterio arcanorum omnium conſcii, *Memoriae*, (*Memoires de Mr.* DEAGEANT,) Gratianopoli 1668 in 12. Ex quo libro artes dominationis non paucas addiſcere eſt. ROHANEI *ducis* tum *Vita*, gallice Pariſiis 1666, & Geneuae 1669, tum *Commentarii (Memoires du duc de* ROHAN) de rebus a ſe geſtis ab ipſo ſcripti, 1665 Pariſiis tomis duobus in 12 publicati. *Vita Duſſonii*, viri inter proteſtantes Gallos virtute bellica illo tempore, quo ſacra & libertatem ſuam contra regem armis tuebantur, ſpectati, gallice, Amſtelodami 1677 in 12. *Vita Franciſci Bonae Diguierii* (*Hiſtoire du Conneſtable de Lesdiguieres*) a LVDOVICO VIDELIO familiari eius accurate expoſita, cuius ego libri editionem minorem Pariſ. 1660 curatam, poſſideo; proſtat vero & Gratianop. 1649 in 8. *Caroli Crequii ducis*, qui gener Diguierio erat, *Vita* a CHORIERIO, duobus voluminibus in 12 expoſita, & Gratianopoli 1695 impreſſa; BASSOMPETRAE equitum tribuni *Commentarii* (*Les memoires de Mr. de* BASSOMPIERRE,) Colon. 1666 duobus tomis in 12, eiusdem *Legationes*, (*Ambaſſades*,) hiſpanica, helueticae duae,

& anglica, ibidem 1668 in 12, quae tamen Vicquefortio haud admodum probantur; *Toiraſii* equitum tribuni *Vita* (*La vie du mareſchall de* TOIRAS) a BAVDIERIO ſtilo ſignata Pariſiis 1644, & deinde voluminibus duobus in 12 recuſa: *Memoriae Pontiſii*, (*Memoires du Sieur de* PONTIS, *officier des armées du roy*,) in Legione praetoria centurionis, Pariſ. voluminibus duobus 1677, & Amſtel. 1694 in 12, ideam certe, vt in diurnis italicis recte dicitur, militis exhibent ſtrenui & officii ſui vbique memoris, verum haud vsque adeo felicis, dignus idcirco, vt aut latinae aut germanicae conſuetudini tradatur, quod hucvsque, cum tam futiles magno numero paſſim prodeant libelli, omiſſum eſſe, non equidem adeo miror, quam potius indignor. Ceterum vix quicquam hiſtoriae Ludouici plus lucis & ſplendoris afferret, quam *vita Richelii*, (*Hiſtoire du Cardinal duc de Richelieu*,) rerum gallicarum praepotentis arbitri. Eam duobus tomis, non raro tamen de veritatis regia via deflectens, deſcripſit ANTONIVS AVBERIVS, cauſſarum Lutetiae patronus, addiditque epiſtolarum ſecretiorum duo volumina, ſub tit. *Memoires pour l'hiſtoire du Cardinal duc de Richelieu*, ex quibus vaſta viri conſilia, & quas iam illo tempore ambitio gallicana ſpes agitarit, ſane immodicas facile perſpicies: prodiit primo Pariſiis 1660 in folio, triaque complectitur volumina, ſed Belgae poſtea in 12 anno 1666 iterum typis ſubie-

ſubiecerunt, & pro tribus, ſeptem formae minoris libellos reddiderunt. Nuper 1694 alia quoque *Richelii vita* (*La vie du Cardinal duc de Richelieu*) *anonymo auctore* prodiit, additaeque ſunt anno ſequenti epiſtolae, ex maiori opere collectae. CAROLVS etiam a ST. PAVLO *Miniſterium Richelii* gallice Lutetiae 1650 in fol. ediſſe fertur, minori deinde forma non ſemel recuſum, & obſeruationibus ſelectis illuſtratum, quibus ſubinde ipſe Cardinalis manum admouiſſe dicitur. Latine ex gallico reddidit neſcio quis, & vna cum Silhonii Compendio praecipuorum Mazarinio adminiſtrante geſtorum, ſub titulo *Miniſterii Cardinalium Richelii & Mazarini* 1652 Francof. in 8 publicauit: vbi tamen titulus operi non ſatis reſpondet, cum Richelius maximam libri partem, Mazarinus vero minimam conſtituat. Ante hos duodecim annos, 1688 ſcriptum prodiit Amſtelodami *Teſtamentum Richelii politicum*, (*Teſtament politique de Richelieu*,) quod plures, vt mox monebitur, eiusmodi peperit libellos. In eo auctor ſub Richelii nomine ſiue ſchemate, varia de Gallia in meliorem ſtatum redigenda conſilia ſuggerit, quae tamen ipſum Richelium auctorem minime habent. Addantur his *Memoriae* IACOBI CHASTENETI, domini de PVYSEGVR, (*Memoires de* IACQVES DE CHASTENET, *ſeigneur de* PVYSEGVR,) Pariſiis 1690 duobus voluminibus editae, quae ad 1656

deducuntur. Sed hoc naeui habent, vt auctor ſeipſum tantum extollat, alios vero quacunque ratione deprimat, id quod dudum Clericus in Bibliotheca vniuerſali obſeruauit. *Henrici Montmorencii vita*, (*Hiſtoire de Henry II, duc de Montmorency*,) Pariſiis 1666 in 12, quae iterum ibidem anno 1699 longe locupletius ab alio quodam exarata fuit. Porro habemus *vitam Eſpernonii* (*Hiſtoire de la vie du duc d'Eſpernon*) auctore GIRARDO, Pariſiis primo 1655 in folio, & deinde 1663 in 12 editam, librum maximi pretii. Optimis huius farinae annumeramus *Commentarios* aulici cuiusdam ducis Aurelianenſis, (*Memoires d'un favory de Mr. d'Orleans*,) 1668 & 1670 Lugduni Batauorum, vt titulus prae ſe fert, ſed reuera, quod typi oſtendunt, in Gallia excuſos; alias dein ſub nomine Aurelianenſis ducis editas *Memorias*, (*Memoires de feu Mr. le duc d'Orleans*,) Hagae 1685 in 12, in quibus multa recenſentur, quae ad arcanam aulae gallicanae hiſtoriam pertinent: *Vitam Guebriantii*, (*Hiſtoire du mareſchal de Guebriant*,) auctore IOHANNE LE LABOVREVR, Pariſiis 1657 in fol. MONTRESORII *Commentarios*, (*Memoires de Mr. de* MONTRESOR,) duobus tomis Lugd. Batau. 1667. *Siroti Memorias*, (*Memoires de* CLAVDE *de* LETOVF, *Baron de* SIROT,) Pariſ. 1683 in 12. Et tandem CORMARTI Dresdenſis *Epitomen memoriarum illuſtrium*, (*Abbregé des memoires illuſtres*,)

illuſtres,) Dresdae 1689 gallico, quod in homine Germano mirere, idiomate editam: in quo libello potiores, quos iam enarrauimus commentarios in compendium miſit. Ludouici XIV tempora multum lucis debent *Vitae* Gasſionis, tribus tomis gallice Pariſiis 1675 excuſae, & ſupra memoratae, nec non *Turennii* per BVISSONIVM, (DV BVISSON,) primipili centurionem, quamuis alii id negent, ſatis libere deſcripta, & in Belgio 1685 in 12 edita, quam itidem vitam ſermone italico exhibuit ALFONSVS PAIOLVS Ferrarienſis ſermone hetruſco Pariſiis 1678 in 8. Vt taceam characterem ab homine tanto heroi non ſatis aequo exaratum, & in ſylloge quadam miſcellaneorum 1694, ni fallor, editum. Succedant hiſce *Vita Faberti,* equitum tribuni, gallice, Amſtel. 1697. *Memoriae Pleſſaei,* equitum tribuni, Pariſ. 1676 in 12. *Memoriae Rupefocaldii comitis,* (*Memoires de M. D. L R.* id eſt, *de Mr. de la* ROCHEFOVCAVLD,) immo in Belgio forma minore excuſae, poſtea ab Ameloto Commentariis de Ludouico XIV minore ſupra memoratis *(Memoires de la minorité de Louis XIV)* inſertae ſed auctiores a Cormarto iam dicto, qui eas, neſcio vnde nactus eſt, in Germania chartis 4 pag. publicauit. *Memoriae Ludouici principis Condaei,* (*Memoires pour ſervir à l'hiſtoire de* LOVIS *de* BOVRBON, *prince de* CONDE,) maximis contra Ludouicum & pro Ludouico

expeditionibus clariſſimi ducis, 1693, & ab iisdem haud multum abludens *Hiſtoria rerum ab eo geſtarum* eodem anno formis typographicis gallice excuſa. *Vita Colberti, (La vie de Jean Baptiſte Colbert,)* Coloniae 1695. *Teſtamentum eiusdem politicum*, gallice, Hagae Comit. 1693. *Luuoeſii (Louuois) teſtamentum politicum*, gallice Colon. 1695 in 12. Quorum auctores eundem ſibi ſcopum praefixerunt, quem editor Teſtamenti Richeliani. Et huc quoque pertinent *anonymi obſeruationes, ad hiſtoriam Mazarini* facientes, in Belgio gallice 1668 in 12 editae, in quibus Foulquetus regii aerarii praefectus ſtrenue defenditur, Mazarinus vero & Colbertus acerbiſſime notantur. TAVANII *Comitis memoriae*, (*Memoires de Meſſire* IACQVES *de* SAVLX, *comte de* TAVANNES,) quibus ea continentur, quae ab anno 1649 vsque 1653 euenerunt, Pariſiis 1691 in 12. FRIDERICI MAVRITII BVLLIONII *ducis vita*, (*Memoires de la vie de Frederic Maurice de la Tour d'Auvergne*,) cum excerptis ad vitam Turennii, Pariſiis 1692 in 12. ROGERII RABVTINI COMITIS BVSSII, (ROGER DE RABVTIN COMTE DE BVSSY,) carcere diuturno & libellis ſatyricis, quibus illum promeruerat, notiſſimi, *Commentarii de vita ſua*, (*Memoires*) Lutetiae Pariſiorum 1696, 2 tomis. AVBERII *vita Mazarini*, (*l'Hiſtoire du Cardinal Mazarin*,) tomis duobus Roterodami 1694. GVALDI

Vita

Vita Mazarini italico, & dein gallico ſermone publicata Hagae Com. 1681. *Epiſtolae Mazarini* gallicae *de pace pyrenaea*, inter ſelecta ciuilis prudentiae documenta reponendae, Pariſiis 1690, & dein longe auctiores 1693 in 12 editae. *Anonymi Itali Commentarii de vita Mazarini*, Lugduni Gallorum ſermone hetruſco 1664 in 4. *Vita Friderici ducis Schombergii*, gallice, vbi tamen opus titulo non reſpondet, Hagae Comit. 1690 in 12. Et tandem *Cauſſa Foulqueti*, (*Recueil des defenſes de Monſ. Foulquet*) ab eo ipſo in carcere fortiter adſerta, & quindecim ſive ſedecim voluminibus 1668 luci publicae expoſita. An vero huc referam commentarios (Memoires) cuiusdam, qui nomen ſuum litteris L. C. D. R. obuelauit, quemque quidam falſo comitem Royeum, ſeu ſi litteras interpreteris, *le comte de Rochefort* nuncupant, equidem ambigo: prodiit in Belgio 1687. Nam vt taceam, eum multa de ſe ipſo narrare, quae propudioſa profecto & flagitioſa ſunt, inſuper in leges hiſtoriae frequenter peccat, tempora confundit, poſteriora priore, priora poſteriore loco ponit, vt facile appareat, paucis veris plurima falſa immixta eſſe. Eiusdem commatis eſt *Vita Mariae Mancinae (Memoires de Mad. la princeſſe Marie Mancini Colonne)* 1677 edita. Cui illa *Apologiam* ſeu veram vitae ſuae hiſtoriam (*Apologie ou les veritables memoires de Mad. Marie*

Mancini) oppoſuit 1678. Cum qua coniungi debet *vita ſororis*, ſ. *Mazariniae ducis* (*Memoires de la ducheſſe de Mazarin*) nuper in Anglia defunctae, circa eadem tempora edita; & HERARDI *oratio pro duce contra vxorem*, eiusdemque *apologia* 1698 in 8. Ceterum omnino hic monendi ſunt hiſtoriae gallicanae ſtudioſi, vt mature ſibi caueant ab inſulſis fabularum mileſiarum ſcriptoribus, qui illuſtria quaeque nomina, ex hiſtoria huius & ſuperiorum ſeculorum deſumta, primae paginae praefigendo, lectoribus incautis fucum faciunt, & dum veras quidem ſed arcanas pollicentur hiſtorias, pro auro plumbum, pro gemmis paleas obtrudunt. Poſſem plures quidem nominare, ſed libenter ab his nugis abſtineo, cum quilibet hiſtoriae vel mediocriter peritus in ipſo ſtatim deprehenſurus ſit annalium voluſianorum limine, quam turpiter ſe dent mendaciorum auctores & patroni.

§. VIII.

A vitarum & memoriarum ſcriptoribus recto pede ad *annalium* tendimus *conditores*, qui vel ſingularum prouinciarum, vel vrbium etiam fata dum expoſuerunt, res quoque hoc ſeculo geſtas enarrarunt, quibus etiam *topographias* quasdam ſupra omiſſas addemus, & plerosque, quorum Cheſnaeus meminit, ſilentio praeteribimus. Initium ducimus a Picardia, vbi ADRIANVS DE LA MORLIERE *antiquitates Ambia-*

Ambianenſes & *ſyllogen familiarum illuſtrium Picardiae* (*Antiquitès de la ville d' Amiens & recueil des maiſons illuſtres de Picardie*) recenſuit. Liber iſte prodiit primum in 4, ſed auctior deinde & melior Pariſiis 1642 in folio. CLAVDIVS HEMERAEVS Lutetiae 1643 in 4 emiſit *antiquitates Ambianenſes*, *Auguſtam Viromanduorum vindicatam & illuſtratam*, ſiue antiquitates vrbis & eccleſiae S. Quintini, Viromandenſiumque comitum ſeriem, latine. VERRIVS LOERIVS Duaci 1613 in 4 edidit *hiſtoriam chronographicam comitatus regionis & vrbis S. Pauli in Morinis*. *Normandiae hiſtoriam generalem* (*Hiſtoire ſommaire de Normandie*) ſcripſerunt GABRIEL DV MOVLIN & MASSAVILLEVS, vtraque Rhotomagi, illa 1635 in folio, haec 1688 tribus tomis in 12 lucem adſpexit. ANTONII LOISELII *commentarii de regione, vrbe, comitatu & epiſcopatu Bellouacenſi*, (*Memoires de pays, villes, comté & comtes eveché & eveſqves de Beauvais*) Pariſiis 1612 in 4 impreſſi ſunt. PETRI LOVVET *hiſtoria ciuitatis Bellovacenſis* & circumiacentis regionis, Rhotomagi 1614 in 8 excuſa eſt. *Hiſtoria comitatus Berghenſis & ducatus Alenconii* (*Hiſtoire des pays & comté du Perche & duché d'Alencon*) auctore AEGIDIO BRY, Pariſiis 1620 in 4. IACOBVS LESCORNAEVS (DE LESCORNV) *commentarios de vrbe Dourdano*, (*Memoires de la ville de Dourdau*)

Pariſiis 1624 in 8 publicavit. NICOL. BERGIER *ideam hiſtoriae Rhemenſis*, Rhemis 1635 in 4 emiſit. Aſt maiori induſtria vſus eſt GVILIELMVS MARLOTVS, cuius *metropolis Rhemenſis a Frodoardo primum digeſta &c.* latine ſcripta, quod ad tomum primum attinet, Inſulis 1666 fol. prodiit, cui dein tomus ſecundus, Rhemis 1679 impreſſus, eadem forma acceſſit. CLAVDIO MALINGRAEO debemus *annales Lutetiae* (*Annales & antiquitez de Paris*) vsque ad annum 1636: conſtant tribus tomis in folio typis Pariſienſibus an. 1640 editis. GVIL. MORINVS *hiſtoriam Gaſtinenſium, Senonenſium & Hurepoixii* (lat. *tractus Hurepariſius*) elaborauit, ac gallice Pariſiis 1630 in 4 edidit. SEBAST. RVLLIARDVS auctor eſt *hiſtoriae Melunenſis*, Pariſiis 1628 in 4. *Idea hiſtoriae Andegauenſis*, in tres partes dividendae, exhibetur in ephemeridibus gallicis 1692 p. edit. Batauae 445-446. CLAVDIVS DORMAYVS ſcripſit *hiſtoriam Sueſſionenſis vrbis*, quae Auguſtae Sueſſionum 1663 vsque ad 1664 duobus voluminibus in 4 prodiit. *Vrbis gentisque Carnutum hiſtoriam* RVDOLPHVS BOTEREIVS Pariſiis 1624 in 8 ſermone latino litteris mandauit. *Hiſtoriam Britanniae* BERNHARDVS ARGENTREVS conſcripſit, auxit vero CAROLVS ARGENTREVS, tertia eius editio Pariſ. 1618 in folio; optima vero Auguſtae Rhedonum 1668 curata fuit. LVCAS

TOVS-

TOVSSAINTIVS Pariſ. 1694 duobus voluminibus 8 commentarios *de clero & nobilitate, Britanniae Aremoricae* conſcripſit. *Ichnographia nouae huius Britanniae minoris hiſtoriae* Pariſiis 1690 in 4 prodiit. *Origines & priuilegia Auguſtae Biturigum* debemus IOHANNI CHENV, Pariſiis 1690 in 4. Sed longe luculentius eſt opus CASPARIS THAVMASII DE LA THAVMASIERE, quo *hiſtoriam prouinciae Bituricenſis* (Hiſtoire de Berry) duodecim libris complectitur, & Pariſiis 1689 prodidit in folio. *Hiſtoriam Santonum, Pictonum, Alniſii comitatus, & ducatus Engoliſmenſis* elaborauit ARMANDVS MAICHINVS; prodiit in Fano Ioannis Engeriaci an. 1671. fol. Eosdem Engoliſmenſes iam antea ſylloge hiſtorica celebraverat CORLIEVS; prodiit liber Angulemi 1629 in 4. *Hiſtoriam Lugdunenſem* illuſtrarunt CLAVDIVS ROVBISIVS, Lugd. 1604 fol. IOANNES SANTALBINEVS, duobus tomis Lugd. 1666 fol. & IACOBVS SPONIVS in *originibus & natalibus Lugdunenſium. Comitatum Caroleſii* deſcripſit EMANVEL PHILIBERTVS DE RYMEN, Pariſiis 1619 in 8; *Niuernenſium prouinciam & ducatum* AEGIDIVS COQVILLVS Pariſiis 1622 in 4. PHILIBERTVS DE LAMARE *conſpectum hiſtoricorum Burgundiae*, ſermone latino Diuione 1689 emiſit. IOANNIS MVRNIERII *commentarii de vrbe Autunenſi*, Diuione 1660 in 4 prodiere.

Hiſtoriam Cabilloni ad Ararim ſub nomine *illuſtris Orbendalæ* publicauit anonymus Lugd. 1662 in 4. IOHAN. vero CHIFFLETIVS ſermone latino *Veſontionem*, Burgundiae ſuperioris principem vrbem, deſcripſit Lugduni 1618 in 4 impreſſam. Quo etiam pertinet *compendium hiſtoriae comitatus Burgundiae*, quem alioqui *liberum* vocant; prodiit Lugduni 1676 in 12. *Hiſtoriam Breſciæ & vicinarum regionum* luculento opere in duos tomos diviſo exornauit gallice SAMVEL GVICHENONIVS, Lugd. 1650 in fol. *Hiſtoriam Delphinatus & Galliae Narbonenſis* (*Prouinciae comitatum* vulgo vocant) attigit FRANCISCVS MARCHETTVS in diſſertatione hiſtorica *de ſtatu Galliarum*, (*L'Etat de France*) & imprimis duarum harum prouinciarum; lucem adſpexit Maſſiliae 1683 in 8. Sed quod ad *Delphinatum* attinet, commendabilior adhuc eſt labor NICOLAI CHORIERII, cuius *hiſtoria Delphinatus* (*Hiſtoire de Dauphiné*) Lugduni 1672 in fol. impreſſa eſt, & *origines vrbis Viennae*, (*Les recherches ſur les antiquitez de la ville de Vienne*) in illis partibus admodum celebris, in 12 anno 1659 Lugduni. Eiusdem quoque eſt *notitia politica Delphinatus*, (*L'Etat politique de la province de Dauphiné*) Gratianopoli 1671 in 12 duobus voluminibus; cum quo coniungi debet ALLARDI GVIDONIS *dictionarium hiſtoricum, chronologicum, geographicum,* *genea-*

genealogicum, *heraldicum*, *politicum & botanographicum*, quod duobus voluminibus in folio Gratianopoli editum eſt. *Hiſtoriam comitum Prouinciae* (*Hiſtoire & chronique de Provence*) ſtilo ſignauit CAESAR NOSTRADAMVS Lugduni 1614 fol. quamuis ille res huius ſeculi parce attigerit; dein HONORATVS BOVCHE (*La chronographie & hiſtoire chronologique de Provence*) duobus tomis fol. Aquis Sextiis 1664. PETRVS LOVVETVS in *compendio hiſtorico comitatus Prouinciae*, quod ibidem Aquis Sextiis binis voluminibus in 12 prodiit. IOHAN. BAPTISTAE GVESNAYI *annales Maſſilienſes*, latine ſcripti, Lugduni in folio 1657 prodierunt, & ANTONIVS RVFFIVS eandem hiſtoriam gallice exhibuit, Maſſiliae in folio 1696 excuſam. *Hiſtoriam Aquarum Sextiarum in Prouincia* IOHANNES PITONIAT ſcripſit fol. Aquis 1666. Et huc quoque refer principatum Arauſionenſem & comitatum Avenionenſem, quamuis ſub ditione regis Galliarum non ſint, ſed ille ſuum habeat principem, Angliae nunc regem, hic vero pontifici romano ſubſit. Et *hiſtoriam* quidem *Arauſionenſem* (*Tableau de l'hiſtoire des princes & principauté d'Orange*) luculentam elaborauit IOSEPHVS DE LA PISE, editam Hagae Comitum 1640 in folio; *Auenionenſis* vero & *Venaſcini comitatus hiſtoriam* ſermone hetruſco (*Iſtoria della citta d'Avignione e del Contado*

Veneſino) litteris mandauit SEBAST. FANTONVS CASTRVCCIVS, Venetiis duobus voluminibus 1678 in 4. Deſcriptiunculam vero earundem prouinciarum latinam edidit Lugduni 1650 in 4 IOSEPHVS MARIA SVARESIVS, epiſcopus Vaſionenſis, vir doctiſſimus. GVILIELMVS CATELIVS ſcripſit *commentarios, ad hiſtoriam Languedociae (Memoires de l'hiſtoire du Languedoc)* pertinentes, Toloſae 1633 in folio: & FAILLEVS *annales* exhibuit *Toloſanos*, ante hoc decennium aut quod excedit ibidem expreſſos, cuius tamen tomi duo origines vrbis & ſuperiora tantum ſecula explicant. An vero tertius, huic ſeculo deſtinatus, prodierit, me adhuc latet. Tandem agmen claudant AVGVSTINI GALARDI *Memoriae (Memoires)* ad hiſtor. Nauarrae & Belgii, Pariſiis 1648 in fol. ANDREAE FAVINI *Hiſtoria Nauarrae, (Hiſtoire de Navarre)* Pariſ. 1612 in fol. & PETRI DE MARCA *Hiſtoria Bearniae, (Hiſtoire de Bearn)* Pariſiis 1640 in folio.

§. IX.

Actorum & commentariorum non quidem eam poſſumus exhibere congeriem atque tantam multitudinem, qualem in hiſtoria germanica repraeſentauimus; raro enim tales libelli extra ipſam Galliam deportari ſolent: peruenerunt tamen in manus meas quidam, quorum omnino mentionem faciendam eſſe cenſemus.

Sub

Sub regimine ſcilicet Mariae Medicaeae, cum matrimonium inter regem Ludouicum XIII & Annam auſtriacam, Philippi III filiam, IVti ſororem, agitaretur, principesque regii generis ſeſe opponerent, prodiit *principis Condaei* nomine *diſſertatio* in 8uo 1614, qua, vt haec conſilia omittantur, rogauit. De ipſius Henrici IV tragica morte & conſiliis, ſuper eam Neapoli habitis, 1619 Lutetiae excuſa fuit *narratio*, cuius auctor PETRVS eſt IARDINIVS, in qua multa legas, quae homines in aula gallica tunc temporis praepotentes haud obſcure infamat. Cum Ancraeus ſiue Conchinius illo tempore rerum in Gallia potiretur, innumera contra ipſum prodierunt ſchediaſmata, innumerabiles libelli, quales ſunt: *Declamatio Peronenſium ad Gallos ingenuos*, 1616; *Claſſicum ad Pariſienſes*, eodem anno, acerbiſſimum ſomnium; *Libellus ſupplex Piccardorum ad regem*; *Indiculus criminum Ancraei*, poſt obitum eius in cubiculo ſecretiori repertus, Lutetiae 1617; *Querela patibuli in monte Falconis Ambiani*, 1617; *Lacrymae Ancraeae ſuper morte mariti* 1617; *Metamorphoſis Ancraei*, latine & gallice ſtilo Ouidiano expreſſa; *Exequiae Concini*; *Fatum Ancraei*, imitatione Virgiliana latine & gallice; *Miles gallicus euigilans ex ſomno*; *Narratio de morte Ancraeae*; *Suſpirium Ancraei iunioris ad necem parentum*; *Vltio diuina Ancraeum caedi deſtinans*;

Gallia ob caedem Ancraei exultans; *Veredarius Piccardus*; *Felix augurium ad regem ob victoriam de monſtro reportatam*; *Index criminum Ancraei*; *Victoria Phoebi gallici contra Pythonem*, tragoedia; *Teſtamentum Ancraei* & *dialogus* inter Conchinum & Raualliacum; *Vita & mors Iani*, comparata cum vita & morte Ancraei; tandemque *viduae Prouillinianae accuſatio aduerſus Ancraeum*. Paullo ante, anno 1616, prodiit Pariſiis *Gallorum ad Annam auſtriacam reginam gratiarum actio ob pacem conceſſam*; *Carmen de calamitatibus illius temporis*, auctore Garnierio 1615; *Triumphus pacis inter regem & principes*; *Veredarius pacis* 1616 Pariſiis; *Diſſertatio ad regem*, de ciuium animis conciliandis Pariſiis * 1616; *Rerum in orco geſtarum narratio* per Charontem, 1615; *Nicolai Coquerelli de monetae corruptoribus regno pellendis*, diſſertatio 1614; *Gallorum* de republica recte ſentientium *epiſtola ad reginam matrem*, qua ſuam de principis Condaei epiſtola ſententiam exponunt, 1614; *Gallia ob principes regi conciliatos lætabunda*, 1614; *Epiſtola comitis St. Pauli ad principem Condaeum*, 1615; *Antonii Berlandierii diſſertatio de locuſtis*, 1613 & 14 *Prouinciae comitatui moleſtis*, 1614; *Sylloge libellorum, contra Luinaeum editorum*, tum 1632 Pariſiis recuſa, ex qua nihil excerpimus, cum alioqui

* Omnes ſequentes tractatus, Pariſiis impreſſi, in 4 ſunt.

alioqui ſatis ſuperſit, quod agamus, ea tantum addituri, quae ibi non continentur. Et huius generis ſunt *L. R. P. D. Protrepticon*, ſiue adhortatio ad proteſtantes Gallos, ob querelas ab ipſis ad ſigilli cuſtodem delatas, Pariſiis 1620, ſcriptum ſatis quidem modeſtum, ſed in quo tamen pontificium agnoſcas; *Felicia Ludouici XIII arma*, 1620; *Palma Diguierio* (*Les Diguiere*) ob recuſatam equitum magiſtri dignitatem & in caſtris proteſtantium conſtantiam *oblata*, 1621; quam mox excepit *protrepticon ad Diguierium*, vt oblatam dignitatem accipiat, ac ad Latinorum caſtra tranſeat; *Admonitio ad curias Galliarum ſupremas*, 1621; *M. I. P. gratulatio ad Luinaeum*, de obtento equitum magiſtri honore, 1621; *Foeminarum Rupellanarum fortitudo ſagata*, 1621; *Epiſtola anonymi ad Luinaeum* 1619; *Apologia Luinaei*, 1619; *Tres Harpyiae* ſiue ſatyra violenta in Luinaeum & fratres, 1619; *Centuriae Noſtradami* celebris aſtrologi, notis illuſtratae, 1621; *Pſalmi aulici* 1620; *Epiſtola Auguſtae Turonum ad Lutetiam*, 1620; *Propolae Galliarum hoſtes*, 1620; *Italo-Gallus*, 1620; *Principum regii generis ab aula abſentia*, 1620; *Antipodes conuentus Lodunenſis*, 1620; *Dialogus Guilielmi hominis ridiculi*, qui Henrico IV in deliciis erat, & *veredarii fortunae*, 1620; *Ancraei libellus ſupplex contra Luinaeum*, 1620; *Espernonii ducis apologia*, 1620; *Caput bouis coronatum*,

1620; *Narratio de motu Priuatenſi in Languedocia*, 1621; *Galli ingenui epiſtola ad curiam Pariſienſem*, 1621; *Senatoris cuiusdam Pariſienſis diſſertatio contra conciliabula*, de extirpandis haereticis, quos vocant, paſſim habita, 1621; *Iudicium de ſeculo noſtro*, 1621. Haec Luinaeo rerum potiente ſcribebantur; aſt cum Richelius ipſi ſuccederet, bone DEVS! quanta libellorum, quanta carminum ſeges incrementa cepit. Bene tamen ſe res habet, quod potiſſima, quae pro eo & contra eum edita ſunt, tribus voluminibus in folio & 4to iunctim edita fuere. Quorum idcirco titulos indicabimus, quaedam tamen ex noſtra penu addituri. MATTHIAS itaque MORGVESIVS, Dominus de St. Germano, (DE MORGVES Sr. de St. GERMAIN) Mariae Medicaeae matris regiae cliens & defenſor acerrimus, dominae, quae a rege filio (vel Richelio potius) in exilium eiecta fuerat, iniurias ulturus, acres in Richelium ſcripſit inuectiuas, (*Recueil de diuerſes pieces pour ſervir a l'hiſtoire*) quarum editio pulcherrima eſt Antwerpienſis 1637 in folio, dein etiam 1643 in 4 & 8, neſcio vbi recuſa. Proſtat deinde *volumen ſatyrarum in Richelium*, inter quas multae cum iudicio ſcriptae, folio 1644, & poſt etiam in 4 impreſſae. Quibus omnino opponenda ſunt *opera Cardinalis Richelii apologetica*, a variis elaborata, 1635 in folio, & poſt in 4. Prodiit vero

vero antea REMIGII DV VERRON *vita Richelii,* latine ſcripta, libellus fere famoſus, Aurelii, vt titulus, quamuis falſo, vult, 1626 in 4; *Reſolutiones magiſtrales quaeſtionum quotlibeticarum, Cardin. Richelio dedicatarum*, Pariſiis 1626; *G. G. R. foedus & bellum haeretico-impium*, Auguſtae 1625; *Myſteria politica in regem & Richelium*, a Iacobo Kellero S. I. vt creditur, emiſſa, ex quibus excerpta ſententiasque curiae Pariſienſis & alia eo pertinentia collegit, & in ordinem digeſſit *auctor Mercurii Ieſuitici* *, Geneuae 1626 impreſſi, tom. I p. 725, 835, vbi etiam p. 860 repraeſentatur *catalogus librorum myſtico-politicorum*, qui auctumnalibus nundinis Francof. 1628 in lucem prodibunt, ſcriptum acutum quidem & ingenioſum, ſed admodum virulentum. Eiusdem commatis ſunt, maioris tamen eruditionis & momenti, *Franciſci Wabremundi Litura foederis hiſpano-gallici*, ſiue de iuſtitia armorum inter caeſarem, reges ac principes europaeos. Acceſſit Alexandri Patricii Amacani, ſeu CORNELII IANSENII Yprenſis epiſcopi, aulae gallicae ea de cauſſa adeo exoſi, *Mars gallicus*, libris conſtans binis, qui etiam 1636 in 4 ſeorſim prodiere. *Geſta impiorum per Francos* auctore LVDOVICO DE CRVZAMONTE, Aureliae 1632 in 4. Quibus omnibus opponi

* Quem Iacobum Gedofredum celeberrimum ICtum eſſe perhibent.

debet NICOLAI RIGALTII *apologeticus pro Ludouico XIII*, 1629 latine, vt pleraque praecedentium ſcriptorum. Et iam a Richelio & ipſo Ludouico XIII diſcedere licebat, niſi vltro tendentem moraretur elegantiſſima THEODORI ALBINAEI ſ. AVBIGNII ſatyra, cui titulus: *Baro de Feneſte*, 1630 auctior recuſa, in qua auctor aulam, vt ſub initiis Ludouici ſeſe habebat, liberrime traduxit, & mores plerorumque aulicorum ita depinxit, vt omnibus deridiculo ſint: dignus, qui ab hiſtoriae gallicae peritis (a nemine enim alio facile intelligetur) ſedulo legatur. Deuenimus ad Ludouicum XIV & miniſterium Mazarini, iisdem quibus Richelius vexationibus expoſiti, vnde libellorum in ipſum ſcriptorum argumenta tanto diligentius nobis enarranda erunt, quia nondum ab aliquo collectos fuiſſe meminimus, & ſingulari patroni cuiusdam indulgentia quatuor ſatis ſpiſſa volumina talium libellorum poſſidemus; ex quibus potiſſima hic excerpere, opera pretium viſum fuit. Collocamus autem in principio ſatyram MStam hetruſcam, in qua ſub titulo *digiti labello impreſſi*, tota, qualis illo tempore fuit, aula gallica multo cum felle carpitur, nec ipſis regiis capitibus parcitur; inſunt tamen inter calumnias non parcas multa veri veſtigia. Sequatur *hiſtorica illius temporis ſylloge*, rerum Lutetiae in ſuprema curia a menſe auguſto 1647 ad nouembrem

1648

1648 geſtarum, Pariſiis 1649 in 4. *Ephemeris de geſtis curiae ſupremae*, a die 13 martii 1648 vsque ad 24 aprilis 1649, Rotomagi, 1649 in 4. *Veredarii gallici partes duodecim* a die 5 ianuarii 1649 ad 1 aprilis eiusdem anni, Pariſiis 1649. Is ipſe *veredarius dictione ludicra poëtica expreſſus*, & eodem anno impreſſus. (De qua *dictione ludicra* tunc temporis in Gallia adeo frequentata, vt auctores graues & ſerios, Virgilium puta, Lucanum, & alios, his pannis circumdarent, & hoc idiomate exprimerent, libro eleganti, ſed in his oris valde raro egit FRANCISCVS VAVASSOR, poëta & orator celeberrimus.) *Veredarius Polonus noua ex orco afferens*, Pariſiis 1649. *Narratio poëtica de tumultu*, *Pariſiis d. 26 auguſti 1649 orto*, Pariſiis 1649. *Veredarius orcinianus*, 1649. *Prodromus Veredarii coeleſtis*, 1649. *Veredarius extraordinarius*, 1649. *Veredarius facetus*, 1649. *Apocalypſis ieiunium celebrantis*, in duas partes digeſta, Pariſiis 1649. *Miles ambiguus*, quam ſectam, vtrum regiam an vero Mazariniam ſequatur, 1649. *Libellus ſupplex publicanorum* (hominum vt alibi, ita in Gallia maxime inuiſorum) *ad ſenatum Pariſienſem*, dictione ludicra exaratus 1649. *Satyra in mores ſeculi*, ſiue bellum publicanis indictum 1649. *Clades Mazarinianorum ſomnianti reuelata* 1649. *Lutetia obſidione liberata* 1649, poëma ludicrum. *Senatus coeleſtis decretum contra*

Mazarinum & publicanos. Bellum ciuile, 1649, poëma ludicrum. *Mors & funus belli*, poëma ludicrum. *Certamen ſingulare duorum Italorum*, 1649, poëma ludicrum. *Diſceſſus Germanorum & Polonorum ab arce Meudonia*, 1649, poëma ludicrum. *Ars regendi*, p. l. 1649. *Richelius Mazarinum ad vadimonium citans*, Pariſiis 1649, p. l. *Theologus politicus*, 1649, p. l. *Cauſſae cur ſenatus & ciues Pariſienſes ſe contra turbatores pacis publicae tueantur*, 1649. *Narratio de illis*, quae Aquis Sextiis in prouinciae comitatu geſta ſunt 1649. *Libellus ſupplex ad curiam Pariſienſem* decreta & edicta eo curatius aſſeruanda, quia regis iuſſu abolita & aeternae obliuioni tradita fuere. *Dialogus* vel potius *catecheſis funditorum* (ita vocabatur *factio Mazarinio aduerſa*) 1649. *Defenſio ſenatus & vrbis Pariſienſis contra Mazarinium* 1649. *Vota Galliae ad ducem Engoliſmenſem*, ſine die & conſule. *Gallorum concordia*, & panegyricus ad ſenatum Pariſienſem 1649. *Icon tyranni*, inuectiua contra Mazarinium expreſſa & aucta 1649 latine. *Archi-praeſulis* in Iohan. Franciſco Paulo Gondaeo propter impugnatum Mazarinum, *germanus character*. *Oratio panegyrica* latina Pariſiis 1649. *Horoſcopus Mazarini*, 1649. *Ancraei & Mazarini colloquium*, 1649. *Mazarini deprecatio*, 1649. *Salus publicanorum*, 1649. *Vmbra Richelii ad Mazarinum*, 1649. *Gallia vindicata*, 1649. *Claſſicum*

Galliae,

Galliae, 1649. *Libertas Galliae & ruina miniſtrorum peregrinorum*, 1649. *Index criminum Mazarini*, 1649. *Apotheoſis Mazarini*, 1649. *Septem tubae coeleſtes ad Mazarinum*, 1649, poëma ludicrum. *Declaratio Gallorum*, qui bonorum ciuium nomine gaudent, aduerſus Mazarinum, 1649. *Mazarini apologia dialogiſtica*, 1649. *Mazarini accuſatio*, ſine die & conſule. *Chaſtillonii vltima verba*, 1649. *Ephemeris poëtica de bello ciuili*, 1649. *Dialogus inter ſtatuam Henrici IV aeream, & ipſi vicinam effigiem mulieris Samaritanae*, 1649. *Motuum gallicorum cum britannicis comparatio*, 1649. *Victima odii publici*, 1649. *Gondii* archi-epiſcopi Pariſienſis *oratio ad regem & reginam matrem*, *Pariſ.* 1649. *Vaticinia de termino calamitatum*, 1649. *Alidoris ad Ariſten epiſtola contra hoſtes pacis*, 1649. *Abundantia redux*, poëma lud. 1649. *Conciliatio animorum pia*, 1649. *Epiſtola puellae ruſticae ad Contium principem*, 1649. *Pacis currus triumphalis*, 1649. *Cordata nobilium Gallorum declaratio contra miniſtrum peregrinum*. *Remedia politicorum medicorum Galliae ſanandae*, 1649. *Bellifortii ducis* (erat is factioſorum illo tempore anteſignanus) *panegyricus*, 1649. *Querela Galliae ad reginam matrem, ob bellum a Mazarino excitatum*. *Monachi epiſtola ad Condaeum*, Mazarini characterem exhibens, 1649. *Epiſtolae Veſtalis ad regem & reginam*, 1649 Pariſiis.

Somnium regis, 1649. *Vita, mores & genus Mazarini. Dialogus ruſticorum duorum de tropicis Galliae,* partibus quinque conſtans, 1649. *Suſpiria Pariſienſium ob regem abſentem*, 1649. *Margarethae Aurelianenſium ducis & columbae Noeticae comparatio*, 1649. *Dialogus inter regem & reginam matrem. Index imperatorum & regum, qui miniſtrorum fraudibus perierunt*, 1649. *Galliae tartarus, ignis expiatorius*, & *paradiſus in hoc orbe terrarum*, 1649. *Epiſtola principis Condaeae ad filium*, 1649. *Chaſtillonii vmbra ad Condaeum*, 1649. *Diuerſoria aulica*, 1649. *Mazarinius ob vitam & mores ſuſpectus*, 1649. *Vita Mazarini*, 1649. *Nomen Mazarini 44 anagrammatibus*, vt in talibus fieri amat, valde ineptis *transformatum. Gallicinium nuper auditum, Franciam expilante Mazarinio*, latine Pariſiis 1649. *Veritas detecta contra Mazarinum*, 1649. *Origo tyrannidis Mazarinianae*, 1649. *Dialogus Mazarini & Fortunae*, ſub ſchemate Iſabellae meretricis Italae latentis, 1649. *Hortenſiae Buffalinae vmbra ad Mazarinum filium*, 1649. *Angeli cuſtodis monita ad Mazarinum*, 1649. *Mazarinus curiae Romanae ſupplex*, ſine die & conſule. *Metus Pariſienſium*, quod Mazarinius nondum regno exceſſerit, 1649. *Plutonis decretum contra Mazarinum & publicanos*, 1649. *Anton. Barbarini Cardinalis epiſtola ad Mazarinum*, 1649. *Oliuareſii epiſtola ad Mazarinum. Conſilium ſalubre de nomine Mazariniſtarum*, 1649.

1649. *Explorator Mazarinianus*, 1649. *Lis inter Mazarinium & Riuierium abbatem*, ducis Aurelianenſis principem miniſtrum, 1649. *Tripudium Mazarinianum*, 1649. *Neptium Mazarini tripudium ridiculum: earundem* quod Gallia excedendum ſit, *ſuſpiria & querelae*, 1649. *Suburrae Pariſ.* ſiue meretricum legatio ad Mazarinum, 1649. *Teſtamentum Mazarini*, 1649 *Funus Mazarini*, 1649. *Dialogus ſalſamentariorum*, 1649. *Querela gallica ob pacem italam*, 1649. *Refutatio huius libri*, 1649. *Libellus ſupplex publicanorum ad curiam Pariſ.* 1649, poëma ludicrum. *Publicanus deſperabundus*, 1649. *Propolarum ſepulchrum; Epulae publicanorum a cancellario inſtructae*, 1650. Poſſem plura adhuc addere, ſed credo ſatis ſiue nugarum, ſiue libellorum appoſitum eſſe. Cum autem pleraque haec ſcripta vel iure, vel iniuria purpuratum regni miniſtrum traduxerint, omnino non omittenda fuit defenſio, quam pro eo conſcripſit, multis ipſi beneficiis obſtrictus vir doctiſſimus GABRIEL NAVDAEVS, qua ſola has infamium carminum legiones vno quaſi ſpiritu difflauit, & multa cum eruditione patroni famam aſſeruit, ſimulque iudicium cordatum de plerisque ſchediaſmatibus in herum contumelioſis tulit. Rariſſimus ſane eſt ille liber, qui ſub MASCVRATI titulo (*Le Maſcurat, ou de tout ce, qui a eté imprimé contre le Cardinal Mazarin*) Pariſiis 1650 in 4 gallice

prodiit. Enimuero poſtquam diu fruſtra a me quaeſitus fuiſſet, & vix vlla ſpes ſupereſſet eius potiundi, tandem, cum bibliotheca Contingiana ſub haſta diſtraheretur, ſatagante id nobiliſſimo quondam fautore noſtro, Frid. Bened. Carpzouio (cuius manes placide conquieſcant!) huc delatus, & bibliothecae illuſtris patroni a me illatus fuit, cum tamen prius ob libri pretium & raritatem integrum mihi deſcribi voluiſſem. Auget autem libri dignitatem, quod ipſe Naudaeus in fronte libri manu ſua teſtetur, ſe illum Contingio amico ſummo dono miſiſſe, nec praeter exemplum, quod in bibliotheca Carpzoviana adhuc exſtat, & ex Heinſiana eo translatum fuit, vllum credo in Germania noſtra inueniri: nec tamen expleta adhuc eſt ſitis mea. Nam ſi vera narrat Paulus Colomeſius in opuſculis, Vltraiecti 1669 editis, p. 120, Guido Patinus librorum helluo, Lutetiae ipſi aliam oſtendit editionem longe auctiorem, quippe quae 717 paginis conſtet. Neque aliter hanc poſteriorem a priori diſtingui poſſe, monet Colomeſius. Et ego quidem huc vſque omnia egi, vt & illius (ſi alicubi exſtat) compos fierem; verum ſpes illa adhuc decollauit. Interim tamen ferme ambigo, an veritati litauerit Colomeſius, cum videam, elegantiſſimum & ſtupendae lectionis virum Aegidium Menagium in Originibus gallicis non alia, quam

quam noſtra, vſum fuiſſe editione, quem tamen profecto nihil fugiebat, quicquid rariorum in Gallia librorum vſpiam prodierit. Verum haec in transcurſu quaſi de libro rariſſimo & venuſtiſſimo dicta ſunto. Nos pauca adhuc ſubdimus, quae anno 1650 inter motus ciuiles emiſſa fuerunt: Nimirum *Condaei Genealogiam*; *Dialogum trium principum caueae incluſorum*, ſiue *vulpis, ſimiae & leonis colloquium*, vbi per leonem Condaeus, per ſimiam Contius, per vulpem Longauillaeus deſignatur; *Fundam regiam*, 1650; *Anachoretae epiſtolam ad Condaeum*, 1650; *Epiſt. ironicam ad Condaeum*, 1650; tandemque *Catecheſin regiam*, partibus tribus digeſtam; *Syllogen* edictorum, epiſtolarum & declarationum curiarum tum Pariſienſis tum Rotomagenſis, durantibus belli ciuilis furoribus, diuulgatorum 1649; *Apologiam principum a duce Lougeuillea ad curiam Pariſienſem miſſa*, 1650; *Defenſio principum*, 1650; *Arcanum*, ſiue verae cauſſae, quare principes in carcerem coniecti fuerint, 1651 in 4. Quibus omnibus tandem ceu colophonem addas *collectionem poëmatum ſatyricorum in Richelium*, *Mazarinum*, *Foulquetum*, *Colbertum*, & alios in Germania, neſcio vbi (licet titulus Coloniae nomen praeferat) 1693 in 8 editorum. Cum Ludouicus poſt Mazarini obitum regni adminiſtrationem ipſe ſuſcepiſſet, bellumque vicinis principibus aut

minaretur, aut inferret, innumera prodiere ſchediaſmata, quibus vel oppugnatus vel defenſus fuit. Initium merito ducimus a vaſta *collectione tractatuum pacis*, induciarum & commerciorum a Gallis cum reliquis principibus & rebuspublicis initorum, a pace Verviniensi vſque ad noſtra tempora, quae 1693 ſex voluminibus in 4 cura *Ameloti Huſſaei* prodiit. Sequuntur *Sinceri Germanici epiſtola ad Ludouicum Seldenum de momentis belli gallo-belgici* in 4 latine ſcripta; *Deductio contra Gallos*, ius deuolutionis in ducatu Brabantino ſibi aſſerentes. *Dialogus* inter iureconſultum, politicum & theologum *de pace gallo-hiſpanica*, ſine die & conſule. *Meditationes politicae de bello gallo-batauico*, Amſtelodami 1673. *Guil. Egonis Fürſtenbergii*, electoris Colonienſis legati, *violenta abductio & iniuſta detentio*, Antwerp. vel Pariſ. 1674 in 12. *Acta pacis Neomagenſis*, (*Actes & memoires des negociations de la paix de Nimegue*) quatuor voluminibus in 4 anno 1679. *De Gallorum integritate* in obſeruandis pacis cum Germanis initae conditionibus breuis *diſquiſitio*, latine Coſmopoli 1680. *Infractiones* ſiue *violationes pacis gallicae Neomagenſis*, 1682 in 12. *Bibliotheca ſelectorum librorum*, gallice ſine die & conſule in 4, ſcriptum ingenioſiſſimum, in quo Galli ob perfidiam & non ſeruatas pacis foederumque conditiones multo ſale perfricantur.

Diſceptatio

Diſceptatio inter patronos cauſſarum vtriusque regis coram delegatis ipſorum ad conuentum Courtracenſem, 1681 in 12. *Memoriae (Memoires) de illis, quae Galli contra pacem Neomagi ſancitam commiſerunt*, 1682 in 12. *Epiſtola nobilis Poloni* de foedere a Gallis clanculum cum Turcis & Hungaris rebellibus inito, 1683 in 12. *Quaedam diſſertationes* de artibus, quibus Gallia imperium vel tyrannidem potius in reliquos principes ſibi vindicare ſtudet, 1683 in 12. *Colloquium Mahumedis IV cum Colberto*, 1683 in 12. *Epiſtola* tribuni militaris ex praeſidio Hagienſi ad nobilem Geldrum, 1683 in 12. *Dialogus Galli & Bataui*, 1683 in 12. *Hiſtoria promiſſorum vanorum gallicorum*, ab ipſo Pyraenaeae pacis tempore, 1684 in 12. *Axiomata gallicana*, in gratiam veritatis prolata, Antuerpiae, 1684 in 12. *Vaticinia de fato multorum principum & rerumpublicarum*, Antuerpiae, 1684. *Vaticiniorum horum pars altera*, Antuerpiae 1684 in 12. *Statera belli & pacis* de pace gallo-hiſpanica, Bruxellis 1684. *Gallia terminis deſtituta*, 1684. *Gallia ambitioſa & perfida*, 1689. *Gallia calumniatrix*, ſiue reſponſum ad declarationem regis Galliarum, qua iuſtitiam belli a ſe ſuſcepti demonſtrare conatur, 1690 in 12. *Explorator (L'Eſpion) gallicus Hamburgi detectus*, 1691 in 12. *Reſponſio ad orationem*, quam Rebenatus, Chriſtianiſſimi regis legatus, coram ſummo pontifice

habuit, 1690 in 8, in quo libello auctor prudentiſſime & acerbiſſime vſitatam Gallis Romanae religionis laruam detraxit & ſolide oſtendit, non hic de ſacris, ſed de libertate totius orbis Chriſtiani agi. Addantur *Expeditio germanica*, 1691, & huic oppoſita *vera de hac expeditione enarratio*, Leodii 1691. *Genius Luxenburgii (L'Eſprit du duc de Luxenbourg)* 1693. *Francia inter terminos pacis Pyrenaeae redacta*, 1693. *Horologium excitationum foederatorum principum*, 1693. *Salus orbis Chriſtiani in criſi*, 1694. *Narratio de Guilielmo, principe Fürſtenbergio*, 1694. *Mediationes Ludouici XIV poſt excidium Dipenſe*, 1695. *Dialogus ducis Luxenburgii & archi-epiſcopi Pariſini* 1695. *Dux Luxenburgius in lecto ferali conſtitutus*, 1695. *Gallia ad paupertatem & exilium redacta*, Lond. 1698 in 12, qui liber in belgicum quoque idioma translatus eſt.

§. X.

Hoc taedioſo & difficili negotio, quatenus quidem id fieri potuit, tandem perfuncto, digrediendum eſt ad *pompas* & *triumphos*, ſimilisque argumenti libros. Vbi ante omnia & inſtar omnium commendanda ſunt *vaſta duo volumina* THEODORI ET DIONYSII GOTHOFREDORVM, quae titulum *Ceremonialis francici (Le Ceremoniel francois)* gerunt. In quibus auctores omnes elegantias moris aulici apud Gallos, omnia in regum inaugura-

inaugurationibus, matrimoniis, baptiſmis, funeribus, comitiis & alibi adhibita ſolennia, exactiſſime deſcripſerunt; prodiere typis regiis apud Cramoiſium, Pariſiis 1649 in fol. Cum quibus conferre iuuabit COLOMBIERII (DE LA COLOMBIERE) *Theatrum honoris*, (*Le Theatre d'Honneur*) duobus voluminibus anno - - Pariſiis in fol. publicatum, in quo auctor pleraque ad formulas honorum, ad ludos equeſtres, ad certamina ſingularia & alia id genus pertinentia, magna cum cura congesſit. Hos excipiant CHESNEI *diſquiſitiones hiſtoricae de ordine militari S. Spiritus*, qui apud Gallos praecipuus eſt, duobus voluminibus 1695 in 12. *Inſignia & teſſerae gentilitiae equitum S. Spiritus*, (*Les armes & blazons des chevaliers de l'ordre de St. Eſprit*) a Ludouico XIII 1619, 1620 creatorum, collectore IACOBO MORINO DE LA MASSIERE Pariſiis 1623 in 4. *Nomina, honores & teſſerae gentilitiae equitum* (*Les noms, qualités, armes & blazons* &c.) 1633 creatorum, auctore HOZIERIO, Pariſiis in folio. Similis argumenti liber (*Les noms & armes* &c.) ab inſtitutione ordinis ſeu militiae equeſtris vſque ad annum 1652, aeri inciſus, a PETRO DARETO Pariſiis 4. *Series equitum* creatorum a Ludouico XIV (*Creations des chevaliers*) 1662 in fol. POINTII (F. DE LA POINTE) creatio horum facta a Ludouico M. 1689 in 4. *Index conuentuum*

ordinis S. Spiritus, equitumque nomina & inſignia, 1683 in folio. Hos excipiant *Leges ordinis S. Michaelis*, Pariſiis 1664 in 8. *Funus Henrici IV*, Florentiae a Coſmo IIdo celebratum auctore GRATIANO GIRALDO, Florentiae 1610 in folio cum figuris aeneis. *Ingreſſus triumphalis Ludouici XIII & Mariae Medicaeae*, 1612. Eiusdem *Ingreſſus Auenionem* 1612, Pariſiis eodem anno in 4. Eiusdem *Ingreſſus Burdegalam* 1615, in 8. *Eiusdem Ingreſſus Lugdunum Gallorum*, Lugduni 1622 fol. *Diſſertatio de arcubus triumphalibus Aquis Sixtiis in Prouinciae comitatu 1624 erectis*, ibidem, eodem anno in folio. *Triumphalis Ludouici Rupellam ingreſſus*, Pariſiis 1629 in folio. *Henrici Bourbonii principis Condaei Diuionem ingreſſus*, 1632 in folio. *Funus Mariae Medicaeae Florentiae, celebratum in aede Laurentiana*, auctore IOHANNE BETTO, ibidem ſermone italico, 1643 in 4. *Exequiae Ludouici XIII Florentiae itidem celebrati*, quas deſcripſit CAROLVS DATI, vir doctiſſimus, Florentiae ſermone hetruſco 1644 in 4. *Inſcriptio porticuum triumphalium in ingreſſu Ludouici Borbonii Condaei Diuionem*, Diuione 1650. *Inauguratio Ludouici XIV Augusti Rhemorum*, cum figuris aeneis, 1655 Pariſiis in folio. Et huc quoque referendum eſt MARLOTI *Theatrum honoris*, in 4. *Hiſtoria aduentus regii Lutetiam*, Pariſiis 1661; & *Laetus ſponſae regiae ingreſſus*,

Pariſiis

Pariſiis 1662 in folio. *Honoris & Virtutis connubium*, ſeu pompa ſolennis in matrimonio Delphini & principis bauaricae, Pariſiis 1680 in 4. *Pompa funebris Franciſci Hannibalis Eſtraei ducis*, Galliarum regis extra ordinem ad Innocentium XI Legatum, a CRAMALLIO repraeſentata Pariſiis 1693 in 4. *Narratio, quid actum fuerit Cadomi* 1685 die 5 ſeptembris in die regis natali. *Statua in honorem principis erecta.*

§. XI.

Pomparum ſcriptoribus *oratores* iungimus & *poëtas*, quorum quidem tot ac tanti ſunt, ſi praeſertim, qui vernaculo Gallorum idiomate ſcripſere, producantur, vt vel ſoli bibliothecam oratoriam & poëticam conſtituant. Verum nos memores arcti, quo circumſcribimur, temporis, praeſtantiſſimos modo, eosque magna ex parte latinos recenſebimus, gallicis pauciſſimis in transcurſu quaſi indicatis. Neque hic, praeſertim quod ad poëtas attinet, accurate temporis ordinem obſeruabimus, ſed potius ad ſeriem auctorum nosmet adſtringemus. Initium ergo facimus a PETRI ROVERII *panegyrico Henrico IV dicto*, qui Pariſiis 1604 lucem adſpexit. Hunc ſequitur GEORGII CRITTONII *panegyricus in Mariae Francorum reginae inaugurationem* Pariſiis 1610 in 4. IACOBI LECTII *pro Henrico M. ſermo epitaphius*, Geneuae 4 anno

1611. DIONYSII PETAVII *panegyricus Henrici IV*, qui tum in eius orationibus legitur, tum etiam in ſelectis orationibus panegyricis patrum ſocietatis, Auguſtae Vindelicorum 1696 in 12, verum non ſine innumeris mendis, recuſis, tomo priore principe loco comparet. *Eiusdem panegyricus Ludouici XIII*; CELLOTII *panegyricus Ludouici XIII*, quos in operibus, Pariſiis 1631 excuſis, p. 1-115 leges. Et miraberis certe, cur inter orationes panegyricas reliquorum locum non inuenerit IOH. BAPTIST. DONII *Epinicion*, *Ludouic. XIII ob receptam Rupellam*, Romae 1629 in 4. VAVASSORIS *oratio*, qua huic ipſi regi 1629 vnius anni quatuor victorias gratulatur. Eſt inter orationes eius Pariſiis 1662 editas voluminis prioris prima. PETIOTI *panegyricus Ludouico poſt victoriam Rupellanam* dictus inuenitur inter ſelectas. IACOBI LAMBERTI *panegyricus poſt expugnationem Nazeii.* VAVASSORIS *Horoſcopus Delphini*, in orationum volumine, tomo 1 orat. 5. PETIOTI *genethliacus Ludouici XIV.* ZOCCOLI *Geneſis Delphini. Eiusdem primus Delphini annus.* Eiusdem *panegyricus Henrico Bourbonio principi Condaeo* dictus. Anonymi *panegyricus Ludouici Bourbonii*, & COSSARTII *poſterior panegyricus Ludouici XIV* ibidem inueniuntur. Dixit autem eundem anno 1653, cum antea 1645 eiusdem argumenti orationem elaboraſſet.

Vtramque

Vtramque habebis in eius operibus, Pariſiis 1666 ni fallor iunctim in 12 editis. CAVSSINI *angelus pacis ad principes chriſtianos* magnifice ac eleganter ſcriptus & poſt editionem gallicam 1650 Coloniae recuſus: Huc quoque pertinent, atque eloquentiae hiſtoricae candidatis prae aliis commendari debent, HADRIANI IORDANI, PETRI DE VALLONGES, PETRI DOSENNI *panegyrici duo Ludouici XIV*, alter pro gemino pacis & coniugii foedere; alter pro ſuſcepta per ſe regni adminiſtratione. NICOLAI DE HAROVIIS *oratio panegyrica Mariae Theodoſiae* Galliarum reginae. PETRI BOVCHER *panegyricus Delphino Ludouico XV.* FRANCISCI POMEY *genethliacon eius Delphini*, vt & BACII *laudatio Rogerii Bellegardii*, Franciae Paris, leguntur inter ſelectas. Seorſim prodiit OCTAVII FERRARII, profeſſoris eloquentiae & humaniorum litterarum apud Patauinos celeberrimi, *panegyricus Ludouici M.* dictus Patauii, ſecundum 1674 recuſus. Qui tamen Boeclero in Muſaeo non vſque adeo placuiſſe videtur, neque mihi ob ſtylum ſaepe nimis tumidum arriſit, quamuis non ignorem, ipſum auctorem ea de cauſſa aureo imbre a rege perfuſum fuiſſe. Ego certe prae eo elegerim grauem non magis quam puram & nitidam VLRICI OBRECHTI, profeſſoris tunc temporis, nunc praetoris regii apud Argentinenſes, *gratulationem*

in natalem ducis Burgundiae, Argentorati 1682 in folio excuſam, cum qua iungi poteſt IOH. CASPARIS KVHNII *panegyricus Ludouico XIV ob reſtitutam Europae pacem* dictus, qui Argentinae 1698 itidem prodiit. Et hos quidem latini ſermonis nouimus auctores. Inter Gallos commendo FLECHIERII, viri eloquentiſſimi, praeter ſupra in hiſtoriis regum indicatos *ſermones funebres* Turennii, Lamoignonii, ſenatus Pariſienſis principis, & Tellierii Galliarum cancellarii, quos vna cum reliquis orationum, Bruxellis 1696 in 12 recuſarum, tomo ſecundo inuenies. Prodiit quoque ibidem 1682 *collectio praeſtantiſſimarum orationum gallicarum* partibus quatuor in 12, ex cuius parte prima huc pertinent *oratio funebris Henrici Aureliani ducis*: ex tomo ſecundo PAVLI PELISSONIS celebris ille *panegyricus Ludouici XIV*, qui in varias linguas traductus fuit, & in calce quoque hiſtoriae, quam conſcripſit, academiae gallicae editionis nouiſſimae legitur: ex tomo tertio FAVREI epiſcopi Ambianenſis, *Ludouicus Magnus* magnitudine ſua reuera modum orationis excedens; & MASCARONII *ſermonis funebris ducis Belfortii*, ex parte tandem quarta *ſermo funebris anonymi Carolo Aurelianenſi, duci Longauillaeo dictus*. Prodierunt quoque Pariſiis 1681 in folio SALSEDONIS cuiusdam *elogia Ludouici XIV*, cum quibus linguae & venuſtatis

venuſtatis gallicae ſtudioſi omnino coniungere debent *Venerem gallicam in compendio exhibitam*, ſiue diſſertationes academicorum Gallorum duobus tomis in 12 anno 1697 editas. Vnde quomodo reges multa cum arte & tamen preſſe & caſtigate laudari debeant, magno ſuo cum emolumento diſcent. Nos vero ab oratoribus ad *poëtas* transimus, elogiorum ſcriptores in vltima acie collocaturi. Hic primo nobis occurrit NICOLAVS BOVRBONIVS iunior, cuius poëmata, his in oris admodum rara, Pariſiis 1654 in 8 edita ſunt: ibi inuenies *parallela Caeſaris & Henrici M.* ex gallico Sullii p. 98-114, ipſum vero carmen galiicum legitur p. 169 ſeq. p. 140 *epigramma in lapſum regis & reginae ad Traiectum Nulliacum*; p. 62 *fides regia*, ſiue laudes Henrici IV; *dirae in parricidam Henrici IV* p. 23 vſque 28, vbi etiam p. 183 epitaphium regis a Duuallio exaratum inuenies; p. 51-58 commendatur *expeditio Iuliacenſis anno 1610*; p. 59 occurrit *Gazophilax* ſ. Suillii dux exauctoratus, carmen gallicum, (nam Bourbonius tantum latine vertit,) compoſuiſſe creditur ipſe Suillius, legiturque in memoriis ipſius ſupra memoratis; p. 60 *Phoenix exauctoratus*, (eſt is apud poëtas praeceptor Achillis, ſiue Breueſius educator ducis Aurelianenſis Iohannis Baptiſtae Ganſonis, ab aula relegatus. *Eleonora* ſiue *Ancraea coniux*, in appendice p. 26-28. Eiusdem *Incendium palatii*

Pariſienſis inuenies parte prima p. 118. *Trieterica* ſ. res, Richelii conſiliis, regis auſpiciis geſtas, habes in appendice p. 11-18. *Panegyricum Richelianum* elegantiſſimum p. 75-80. *Caroli vltimi Burgundiae ducis manes*, ſiue poſtulationem vindiciarum ſecundum libertatem Belgii p. 87 ſeq. *Hoſtifugium* p. 105-109. *Landreſii cum caſtello & capella comparationem* p. 116, 117. *Epigrammata denique in Locatam* p. 117 & 118. Poſt hunc procedat DIONYSIVS PETAVIVS, magni nominis inter Ignatianos ſcriptor, in cuius operibus poëticis latinis invenies *panegyricum Ludouici XIII* p. 114-193. *Genethliacum votum Delphini* eiusdem nempe Ludouici p. 194-202. *Laudes Ludouici XIII & Henrici M.* p. 203-228. *Oden ad Ludouicum XIII de ſuſcepta regni adminiſtratione* p. 464. *Proſopopoeiam Franciae ad eundem* p. 467-469. Ode ſexta vſque ad nonam p. 470-480. *Querelam de obitu Henrici IV* habes p. 483. Coronam regiam, ſiue votum elegiacum in Ludouici XIII inauguratione p. 486 ſeq. Inter poëmata graeca legatur *panegyricus graecus Ludouici XIII* p. 161-193. Alter *panegyricus graecus ob expugnatam Rupellam* p. 201-233. Conf. *elegiam eiusdem argumenti graecam* p. 233-251 & *epigrammata graeca* p. 253-261, vbi etiam p. 262 *epigramma in mortem Henrici M.* inuenies, & p. 274-278 *cantica tria hebraica pro ſalute regis*. PAVLVS THOMAS ſcripſit

Rupelliados

Rupelliados, ſiue *de rebus geſtis Ludouici XIII ad Rupellam*, libros quatuor editos Pariſiis 1630 in 4. Et huc quoque pertinet HVGONIS GROTII rarum admodum *carmen in Rupellam*, quod ſeorſim excuſum inter reliqua eius carmina non comparet. IOHAN. LVDOVICI BALZACII habemus *epigrammata in Ludouicum XIII* carminum lib. 1 p. 13; *elegiam* ad eundem p.14-17; *elegiam ad Auſtraſiam*, in quà multa, quae nnper demum euenerunt, praedixit, p. 18 19; *laudem Mazarini* p. 21-25; *epigrammata ad Ludouicum Bourbonium ducem Anguiani*, p. 32-33; aliud *ad eundem poſt expugnatam Dunckerkam* p. 35-37. Cum quibus iungi debet *defenſio Gazetae*, ſiue, vt vulgo audit, nouellarum Pariſ. *contra Nympham loquacem Belgae anonymi*. In CASPARIS BARLAEI heroicorum libro 1 occurrit *panegyricus in laudem Richelii* p. 127-153, & *Gallia plorans* ſiue *funus Richelii* p. 157-171. IOHAN. VALDORIVS *Monumenta triumphalia Ludouici XIII* cum figuris aeneis nitidiſſimis & *poëmatibus latinis* CAROLI BEYSII, Pariſiis 1649 in folio edidit. IOHAN. BVSSIERIVS *Rheam liberatam* tribus cecinit libris, cum ſeorſim in 12 excuſis, tum operibus poëticis, 1675 in 8 editis, p. 453-525. Eius eſt *panegyricus Ludouici XIV* 1663 ſcriptus, quem inuenies parte poſteriori p. 3-21; & *eclogae hortenſes*, ob pacem & coniugium Ludouici cum Maria Thereſia, Hiſpaniarum principe;

& *Aranjueſium* ſiue in easdem nuptias ecloga celebratas, p. 53-64. RENATVS RAPINVS in carminibus ſuis heroicorum p. 60-70 exhibet *templum famae Mazarino dedicatum*; p. 78-83 *pacis monumentum triumphale*; p. 83-90; *Delphinum paciferum.* Inter elegiaca exſtat p. 113-116 *Sequana pacis nuncius*; p. 117-122 *publica deſideria Mazarino pro conſtituta proſperitate publica*; p. 128 *Ludouici XV Galliarum Delphini epiſtola ad ſponſam*, quibus inter lyrica p. 151, 152 adde *oden ad regem chriſtianiſſimum aegrotantem.* CASP. KINSCHOTIVS, cuius carmina diu poſt eius obitum Hagae Comitum 1688 curante Iacobo Gronouio in 8 prodierunt, poëmatum lib. 2 p. 69 celebrat *natalem Ludouici XIV*; lib. 1 p. 85-94 *pugnam Rocroianam*; p. 97 inuenies *epigramma in ſtatuam equeſtrem Pariſienſem Henrici IV*; p. 98 *in Rupellam*; p. 108 *in Rigiacum Atrebatum* (Arras) *a Ludouico XIII occupatum*; p. 109 *in Roſas Cataloniae oppidum, Hiſpano a Gallis ereptum*; p. 127 *ad Mazarinum ſuper orto Pariſienſi tumultu*; p. 187 *de morte Gaſſionis*, & in effigiem eius. Inprimis autem toti in Gallorum victoriis celebrandis & laudibus regum fuerunt quatuor ex ſocietate Ieſu poëtae magni nominis, LEONHARDVS FRIZONIVS, ALBERTVS DAVGIERIVS, CAROLVS RVAEVS, & IOHAN. COMMIRIVS. FRIZONIVS, cuius opera libris 24 Pariſiis 1675 in 8 impreſſa ſunt,

cecinit

cecinit heroicorum lib. 2 p. 62-73 in *exequias Henrici ducis Longauillei*; p. 85-98 *currum gloriae cardinali Mazarino in triumphalem e Belgio anno 1658 reditum*; libro 3 p. 102-120 *inſulam pacis*; p. 120-135 *hymenaeum regium*; p. 135-138 *pacem praeficam in funere Mazarini*; lib. 4 p. 149-148 *Galliam ad cunas Delphini*; & p. 161-169 iuſta Annae Auſtriacae: Lyricorum libri primi ode prima p. 1-3 ſcripta eſt *ad Delphinum*; p. 4-5 celebratur *Ludouici M. noua belli diſciplina*; p. 5-7 *Ludouicus Bourbonius princeps Condaeus*; p. 7-11 *Henricus Ludouici iſtius pater*; p. 31-34 *Ludouici XIII triumphalis memoria*; p. 35 *Annae Auguſtae matris regiae praeclara pueritiae regnique adminiſtratio*; p. 37-41 *regia ſolertia*; p. 42-44 *reginae matri ob reſtitutum filium gratulatur*; p. 44-47 idem officium praeſtat, Ludouico reualeſcente; tandemque p. 58-67 *Ludouici Delphini palaeſtram*, ſiue regiae pueritiae exercitationes commendat: Sylvarum lib. 1 p. 344-349 legitur *epinicion, cum ſigna militaria anno 1674 poſt Seneuenſem pugnam Pariſiis baſilicae appenderent*; ibidem p. 355-357 *natalitia* canit; p. 360-366 *inundationem batavicam regiis armis obiectam* deſcribit; & lib. 2 p. 371-373 *Dunckerkae ex Britannis receptae gratulatur.* DAVGIERIVS, cuius carmina Lugduni Gallorum 1678 in 12 lucem adſpexerunt, exhibet lib. 1 p. 1-14 *genethliacon Delphini*; p. 15-20 *epinicion Ludouico poſt expugnatas intra*

menſem tres Batauorum prouincias; p. 21-30 eiusdem generis *carmen poſtexpugnatam Traiectum ad Moſam*; p. 31-38 *poſt expeditionem germanicam Turennii* ſub finem anni 1674 & initium anni 1657; p. 39-48 *veſperas Siculas vindicatas*, ſiue Meſſanam in fidem receptam; p. 69-77 *Obeliſcum Arelatenſem regi conſecratum*; p. 78-81 *turrim Corduanam ad Garumnae fauces iuſſu regis exaedificatam*; p. 81-83 *Dolae captae proſopopoeia*; p. 84-85 *Carloregii proſopopoeia*; & p. 87 *interpretationem Sonuli gallici a Brianvillaeo compoſiti in Batauos*: Libro 3 inuenies p. 129-131 *epigrammata in mortem Turennii*; p. 139 in *Traiectum obſeſſam*; p. 140 in *Hiſpanos poſt praelium Seneſenſe*; p. 142 in *hiberna Hiſpanis infauſta*: Ex libro 4 inter lyrica p. 161 *oden in expeditionem batauicam* 1672; *horoſcopum Delphini* p. 165; & *odam in pugnam Caſſelienſem* p. 180. CAROLVS RVAEVS adhuc ſuperſtes, poëta vere ſublimis & magni ſpiritus, cuius carmina editione nitidiſſima Pariſienſi 1680 in 4 prodiere, p. 105 *panegyricum regi poſt expeditionem belgicam* 1667 ſcripſit, cui gallica verſio CORNELII adiuncta eſt. Eius *epinition poſt expeditionem batauicam* legitur p. 128 cum verſione CORNELII gallica. *Annae Auſtriacae epicedium* exſtat p. 153-166. Praeterea inuenies ibidem *ſymbola heroica in regem* p. 185; in *Colbertum* p. 188; in *Delphinum baptizatum* p. 197; *in regem Sequanis iterum captis* p. 211;

conſ.

conf. p. 212-226, qua etiam p. 226-231 exhibet *inſcriptiones* ſiue *elogia in honorem regis*, & p. 232 *inſcriptiones in celebriores Galliae duces.* Vltimus horum quatuor-virorum eſt IOHAN. BAPTISTA COMMIRIVS, qui poëmata ſua ſecundum Lutetiae 1689 in 8 praelo ſubiecit. Ex huius *ſiluis* ſupra modum nitidis & vernantibus huc pertinent p. 129-132 *ſomnus Delphini*; p. 132-134 *epinicion de Batauis triumphatis*; p. 210-213 *imago Ludouici M. ad Delphinum*; & p. 213-214 *fragmentum carminis de Seneſenſi victoria:* Ex odis p. 217 ode *ad Condaeum poſt praelium Seneſenſe* & *ſolutam Aldenardae obſidionem*; p. 219-222 ode *ad eundem ſolo lacte vectitantem*, quam Morhofius in Polyhiſtore dignam cenſuit, vt eloquentiae poëticae ſtudioſis in exemplum proponeret; p. 245 *oden ad victoriam*, cum Turennius foederatos exercitus multis cladibus attritos ex Alſatia expuliſſet; p. 267-269 *carmen lyricum in regem victorem pacificum*; & p. 290-292 ode *regi pro recuperata valetudine:* Sed imprimis admirabilem ſe praeſtitit in fabulis, vbi ſub ſchematibus Aeſopicis ſtilo Phaedri lepide conceptis grauiſſima regnorum Europae momenta adumbrauit, adeo vt operae pretium me facturum credam, ſi potiſſimorum aenigmatum clauem hic propoſuero. Nempe fab. 1 per *ſolem* deſignatur rex Galliae, per *ranas* Batauí, per *aquilam* Caeſar, per *accipitrem* Montecuculius, per *columbum*

praeſules Colonienſis & Monaſterienſis, per *luſcinium* Fürſtenbergius epiſcopus Paderbornenſis, litterarum & poëtices praeſertim laude celeberrimus; fab. 9 *coniuratio ſtellarum in ſolem*, quid aliud quaeſo eſt, quam foedus chriſtianorum principum aduerſus Gallum, anno 1689 percuſſum, vbi ſub *piſcium* nomine ſatis aperte Bataui perſtringuntur; fab. 17 *aquila & trochilus* ſunt Caeſar & Auriacus; & fab. 19 *foedus canum cum lupis* deſignat foedus Anglorum cum Batauis. Vellem tamen, vt ſtudio partium, cui nimis indulget auctor venuſtiſſimus, abſtinuiſſet. In miſcellaneis eius p. 349 legitur *Rheni libellus ſupplex ad Condaeum*; p. 372-374 *epigrammata* quatuor ad regem ſcripta *de Traiecto ad Moſam capta*; p. 374-376 eidem gratulatur *extemporales victorias*, ſimulque inter eas naſcentem filium; p. 381 dolet *obitum Turennii*; p. 382 celebrat *victoriam Casſellanam*; p. 303 duobus epigrammatibus *in pacem cum Batauis factam* ludit; p. 384 *certamen ad Montes Hannoniae* commiſſum attingit; p. 415 binis epigrammatibus *Traiectum Rheni* ſub *oculis regis ab equitibus captam* canit; p. 416 *rex Hiſpaniarum Ludouico primas cedens* perſtringitur; p. 417 *Veſontio capta* & *pax Neomagenſis* celebrantur; p. 422-423 habes epigrammata duo *in ſtatuam Ludouici dimidiatam*; quibus addes, quae p. 427 & 430 occurrunt. His quatuor viris ſuccedat ex eadem ſocietate

iam

iam ſupra nobis dictus celebris non magis poëta quam orator, FRANC. VAVASSOR, qui tum in *poëſi multiplici ac varia* Pariſiis 1683, tum in *epigrammatum quatuor libris*, multa ad hiſtoriam ſeculi huius gallicam ornandam & illuſtrandam habet. In *poëſi* elegia prima legatur *Ludouicus XIII Rupellae victor*; elegia ſecunda gratulatur *victoriam ad Rupem regiam*. In *heroïcis* p. 75 *Delphini marinus & coeleſtis Delphino gallico xenia offerunt*, & p. 84 ſeq. prolixum habetur *poëma epicum de nuptiis Theodori & Irenis* ſiue Ludouici XIII & Mariae Thereſiae Hiſpanae. *Epigrammatum* libri, qui Pariſiis ferme circa tempus idem prodierunt, ſequentia exhibent: p. 9 *caedem Montmorencii*; p. 10-11 *Noyerii*, bellicarum rerum ſub Richelio adminiſtratoris, *diſceſſum ex regia*; p. 14 *libros Mazarini publicatos* *; p. 17 *Ludouicum XIV ſponſum*, qua fini p. 18 *in reginam*, & pag. eadem ac 20 *ad reginam matrem* epigrammata exſtant. Eadem pagina ac ſequenti laudat auctor *Mazarinum* vna *cum Ludouico de Haro*, ob pacem confectam; p. 22, 23, 24 & 25 *in pacis inſula pacis conditiones & terrae motus ſub pace* epigrammata inuenies; p. 31 celebratur *effigies Ludouici XIV*; p. 32 *Delphinus ſiue Ludouicus XV*; & p. 34 *ob filium iſtum pater*; p. 36 regi gratulatur *ob Dunckerkam receptam*; p. 38 *filium & filiam*,

* Hoc eſt publica auctione diſtractos & diuenditos.

quo etiam ſpectant, quae p. 39, 40, 41, 44 leguntur. Et haec quidem libro primo: ſecundo continentur *epigrammata de donis a rege in viros eruditos collatis* p. 60, 61; *de valetudine eius recepta* p. 62; *ad reginam* p. 63; *ad Philippum ducem Aurelianenſem*, regis fratrem, p. 64; *ad Mompanſerium ducem* p. 65; *ad eius ſororem Alenconiam ducem* p. 66; *ad Condaeum* p. 67, 68, 69; *ad eius vxorem* p. 69, 70; *de nuptiis Henrici Bourbonii ducis Anguiani* p. 70; *ad principem Contium eiusque vxorem & filios* p. 71 & 72; *ad Ludouicum XIV, cum globos coeleſtem & terreſtrem intueretur* p. 83; *in effigiem Tellerii* p. 84; *in verba Ludouici ad caluinianos*, ibidem; *in regiae matris morbum* p. 89; *ad regis matrem lugentem* p. 93-94; *ad Colbertum* p. 99-103: Libro tertio inſunt *epigrammata de tumulo Henrici principis Condaei* p. 104; *ad Colbertum ob multiplicatas Lutetiae penſiles laternas* p. 111; *ad Ludouicum XIV, Inſulas in Flandria obſidentem*, p. 111 & 112; in eiusdem *expeditionem burgundicam* p. 113; *in pacem* ibidem; *in Delphini baptiſmum* p. 114; *in Turennium* p. 120; *de incendio Sorbonnae* p. 130. Adde quae *in Luparam*, ſiue aedes regias p. 132-136, & p. 149 habet: Denique libro quarto p. 116 leges quid in *vulnus principis Condaei* p. 122-123 *in varias Gallorum victorias*; p. 125 *in Condaeum ad Rhenum prouide cunctantem*; p. 131 *in nuptias Delphini & principis Bauarae*; & p. 132 *in ducis Bourbonii*

nomen

nomen & baptiſmum cecinerit. His ex ſocietate poëtis ſocios damus AEGIDIVM MENAGIVM, & IOHAN. BAPT. SANTOLIVM. Et Menagius quidem (cuius poëmatum vltima & octaua editio Amſtelodami 1687 apud Wetſtenium in 12 publicata fuit) in libro elegiarum *Irenicum ad Annam Auſtriacam, matrem reginam* p. 44-47, elegiam *ad Mazarinum* p. 59-61, & aliam *ad Delphinum* p. 63-65 exhibet. Inter epigrammata leges, quae p. 118 *in Mazarinum*, p. 119 *in nuptias regias*, p. 125 *de comparatione Richelii & Mazarini*, p. 125 *in imaginem regis*, p. 149-150 *de Foulqueto*, p. 156 *in ſtatuam regis*, p. 157 *in eundem proteſtantes Gallos euertentem* argute luſit. Verum maioribus adhuc viribus idem argumentum exſecutus eſt *Santolius*, & tuba fere heroica regis ſui victoris laudes publicauit. Prodiere eius carmina latina, cuiuis veterum comparanda, tum Pariſiis, tum in Belgio 1695. Inter ea huc pertinent p. 4-7 *regis encomium pro ſua erga vrbis mercatores munificentia*, quod Cornelius gallice vertit; p. 133 *Sorbona incenſa*; p. 153 *rex iter meditans*, ex gallico Cornelii; p. 155 *idem ad Sequanas victor*; p. 159 *eiusdem expugnatio Montium Hannoniae*; p. 225 inuenies *oden ad regem auitae religionis vindicem*; p. 235 *deprecationem pro rege*; p. 274 carmen geminum *ad Vrbanum praetorem & aediles*, quod hoſtes de gallica rei frumentariae penuria nimium ſibi

gratulabantur; p. 294 leguntur *inſcriptiones ſtatuae regis in area victoriae a Feuilladeo poſitae incidendae*, quas ille, haud dubie, quod earum vim ac venuſtatem non intellexit, repudiauit; p. 300 ſeq. inuenies varia alia *epigrammata in effigiem regis*; p. 327 *votum pro expeditione batauica*; & p. 354 *Lutetiam monumentis Ludouici exornatam*. Reuocamus huc etiam quosdam ſupra omiſſos, nempe ANDREAE SEVELEMBERGII, Lignicenſis Sileſii, *Bironum* tragoediam, Buchnero talium cenſori maxime idoneo valde probatam, quae anno 1653 Lignitii cum notis luculentis in 8 prodiit. GILBERTI IONINI Ieſuitae *ſtatuam equeſtrem*, *Ludouico XIII Toloſae poſitam*, quae inter miſcella eius in Parnaſſo patrum ſocietatis Ieſu, 1654 Francofurti ad Moenum excuſo, p. 87 comparet; & IOHAN. HENRICI AVBERII *Leucatam triumphantem*, quae ibidem p. 410-423 comparet. Poëtis merito ſuccenturiamus *elogiorum confectores & ſatyricos*. Inter elogiorum confectores apud Gallos regnat PETRVS LABBEVS, cuius *elogia* tum ſoluta, tum ligata oratione conſcripta, primum 1663 Gratianopoli in folio lucem adſpexerunt, ſed deinde forma minori tum Pataujii apud Italos in 12, tum etiam Lipſiae in 8 recuſa fuerunt. Quia igitur in omnium ſunt manibus, taediosum foret, accuratam elogiorum hiſtoricorum, quae ibi continentur, recenſionem inſtituere. Sufficiat

libro

libro ſecundo pleraſque *Ludouici XIII & XIV victorias* celebrari; librum quartum *Richelio & Mazarino* deſtinari; libro quinto pleraque *procerum & imperatorum gallicorum elogia* exhibere; & libro ſeptimo, quae carmine ante ſparſim concepta fuerant, iunctim repraeſentari. Quid vero alias eruditi in hoc ſcriptore deſiderent, notum iam eſt, ſcilicet quod dum nimis argutus videri cupit, frigidior interdum ſuis, id eſt, gallicis niuibus fiat. Ceterum nondum a poëtis diſcedere poſſum, cum vel inuitum ad ſe trahant aut rapiant magis quaedam Gallorum dramata, quae neſcias, vtrum ſatyris an poëmatibus tribuere debeas. Talis eſt *Europaea*, fabula heroica, iubente Richelio, talium auido ſpectatore & perito iudice, Lutetiae Pariſiorum repraeſentata, & poſt eius obitum 1643 excuſa. In qua vaſtus ille & ingens animus, ſpes, vicinos ſub ditionem gallicam redigendi, immenſas, quas animo complexus fuerat, manifeſte retexit. Scilicet dum Francion, Iberus, Germanicus, Auſonia, Parthenope de imperio orbis contendunt, Francion ſuperueniens, quicquid illi adfectant, id ſibi vindicat. Ingenioſiſſimum certe eſt drama, & cum in paucorum ſit manibus, nihil, credo, prohibet, quo minus clauem calci poëmatis ſubiectam hic etiam proponamus. Scilicet *Francion* Francos ſiue Gallos; *Iberus* Hiſpaniam; *Auſonia* Italiam, *Parthenope* Neapolin, *Melania*

Mediolanum, *Auſtraſia* Lotharingiam deſignat. *Lilianus*, a Liliis dictus, famulus eſt Francionis; famulus & *Hiſpalis* Iberi. In ipſa fabula *Alpina* eſt dux Sabaudiae; *Chriſtana* Ludouici XIII ſoror; *Ruper rebellis* Rupella; *princeps quidam apud Auſoniam mortuus*, dux Mantuae Carolus; *rex captiuus* Franciſcus I; *princeps Auguſtus Auſtraſiae vicinus*, antiſtes Treuirenſis; *princeps Germanus ex ſanguine Albionis deſcendens* Fridericus elector Palatinus, principi Britannae, quae veteribus erat Albion, matrimonio iunctus; *tres nodi*, quibus Auſtraſiae capilli ſubſtringuntur, Clermontium, Aſtenaium & Iamecium, munitiſſimae in finibus Lotharingiae, quae Galliam ſpectat, arces; *puppis gemmaria Auſtraſiae*, Nanceium Lotharingiae caput; *euerſores ararum*, proteſtantes, ſive lutherani ſiue calviniani; *magnus rex* & potentiſſimus victor, Guſtauus M. *Saxo*, Bernhardus dux, Vimarienſis princeps; *exercitibus gentis liberae praefectus*, princeps Auriacus; *populi libertatis auidi*, qui Francionis auxilium implorant, Catulani; *rex potentatus regii*, rex Hiſpaniae, Hungarorum & Angliae; *tria diademata ducum*, Sabaudia, Mantua & Lotharingia; *ortus maris Liguſtici*, Monacum; *clauis prouinciarum Iberi*, Perpiniani. Fuerunt poſtea alii, qui ſub ſimili ſchemate negotia maximi momenti in orbe chriſtiano in ſcenam dederunt, vt POISSONIVS in *Batauia aegra*; ſed non placue-

placuerunt eruditis, praeter ſcommata enim & aculeos, vtplurimum obtuſos, nihil venuſtatis, nihil leporis deprehenditur. Melius certe rem geſſit nouus ſeculi XVII Plautus atque Terentius apud Gallos, IOHANNES BAPTISTA MOLLIERIVS, ob ingenii praeſtantiam a viris maximis, Vauaſſore & Huetio, ingentibus poſt mortem laudibus condecoratus, qui in plerisque, quas regi & populo ſpectandas exhibuit, comoediis aulam & proceres gallicos multo ſale perfricuit. In prologo ſane Amphitrionis per *Iouem* ipſum regem, per *Noctem* ducem Montauſeriam, & per *Mercurium* Aignonium ducem, regios tunc temporis lenones, ipſo rege ſpectante & multum ridente exercuit; monetque *Bernardus* auctor grauiſſimus hiſtoriae edicti Nannetenſis, de quo alibi nobis dicendum erit, in *Tartuffo* ſ. Sanctulo epiſcopum Auguſtodunenſem in Burgundia, hominem admodum quidem conſceleratum, ſed vultu & geſtibus tertium quendam Catonem praeferentem, viuis coloribus delineatum fuiſſe. Ceterum tempus eſt, vt ad ſatyricos accedamus, quos inter familiam ducit IOH. BARCLAIVS in *Euphormione*, regnum Henrici M. & Sullii imprimis ducem ac amicos regis fictis nominibus traducens. Inſpiciatur clauis libro praefixa, & ipſe liber. Idem poſtea, quamuis propemodum diſpari ſucceſſu, egit GABR. BARTHOL. MORISOTTVS in

Lacrymis veritatis, ſiue Euphormionis parte quinta, inſpice paginam editionis meae (quae eſt venuſtiſſima Hackiana 1679 in 8,) 592, vbi Gallia ſub ſimulacro anus longo morbo & aetate confectae, in cuius ſalutem aliquot medici pharmaca miſcent, producitur; p. 595 *Moneſon* idem eſt, qui Bironius; *Protagon*, qui Henricus IV p. 600; *Taſſicius*, qui Suilli ſucceſſor. Occurrunt ibi alia plura, quae curioſo lectori enucleanda remittimus, hoc tantum monentes, partem, quae addita eſt a Buguotio, ni fallor, illam plane videri inuito genio & Minerua ſcriptam. Anno 1679 in 8 ſub ficto *Polieni Rhodienſis* nomine Pariſiis in 12 *virtus vindicata*, ſatyra in deprauatos orbis incolas, quae, quantum ex ſtilo coniicere licet, vix alium quam *Rigaltium* habet auctorem. In hac mores Gallorum & imprimis aulae Pariſienſis acerbe carpuntur. Succeſſit alius, qui ſine die & conſule edidit ſatyram *Diaeteten*, ſiue arbitrum rerum: in hac p. 49 ſeq. multus eſt ſcriptor in laudibus Henrici IV; p. 108, 109 initia Ludouici XIII adumbrantur; p. 155 de eodem multa dicuntur. Latent tamen ibidem aenigmata quaedam, a nobis minime eruenda. ZACHARIAS LISIEVX Capucinus ſub nomine *Petri Firmiani* (monente inter alios Placcio in Pſeudonymis p. 95 & vel ipſo in editione Pariſienſi priuilegio regis) tres dedit ſatyras, ſtilo Petroniano elaboratas, quae profecto

profecto omne tulerunt punctum. Sunt enim illius *Genius ſeculi*, *Somnia ſapientis*, & *Giges Gallus* Pariſiis, Genius quidem in 8 anno 1653, Giges in 12, Somniaque eadem forma 1659 nitidiſſime edita. Egit id ibi potiſſimum doctiſſimus ſcriptor, vt mores & furores Gallorum ſui temporis verbis certe non blandis, ſed ſatis atrocibus, vel ſanaret vel corrigeret. Euoluantur imprimis in *Genio ſeculi* p. 35 diſſertatio ſecunda de conſueti regiminis impatientia, Gallorum motus ciuiles reprehendens, & ſexta de virorum fortium ſpecie, quibus pro virtute impietas, atheiſmi fautores acriter lacerant. In *Gige Gallo* inſp. Hirudines p. 21, ſub quo nomine latent publicani & portitores; p. 142 naturae Apotheoſis impietatem accuſans, &, quae mihi ſemper mirum in modum arriſit ac p. 186 legitur, plangenda Felicitas, vbi Cardinalis Richelii faſtus & ambitio, ſed ſimul tortor internus ac vita inſidiis obnoxia graphice deſcribuntur. His adde p. 205 iudicum lapidem lydium; p. 234 regulos ſiue nobiles Gallos intemperanter in miſeros agricolas ſaeuientes; p. 405 oceanum aulicum; & p. 496 (vt alia omittam) funus virtutis ſiue tripudiorum gallicorum iuſtiſſimam obiurgationem. In *Somniis ſapientis* huc pertinet Cadmaea nobilitas p. 147; ſiue nouorum hominum feſtinata proſperitas, & p. 186 amphitheatrum gallicum

ſ. acris in certamina Gallorum inuectiua. Inter illos, qui idiomate vernaculo ſcripſerunt, prae ceteris & ſcriptis & carcere ob ea exantlato famoſus eſt BVSSIVS RABVTINIVS, genere non magis quam ſtilo nobilis, ſed cum illo in tabula geographica regiae cum variis eius generis 1668 edita & hiſtoria armorum abuſus nimium eſt, inſtar Ovidii iram principis meruit, vixque poſt multorum annorum cuſtodiam in priſtinam libertatem reſtitutus fuit. De BOILAVII (*Boileau*) elegantiſſimis ſatyris nihil dicam, cum ille potius mores priuatorum, quam quae in republica geſta fuere, carpat. Interim non omittendus mihi eſt eximius *Characterum* BRVYERI liber, qui Theophraſti characteres non tantum ex graecis gallicos reddidit, ſed huius quoque ſeculi addidit characteres, tertia, (neſcio a quo,) parte auctos, & ni fallor ſeptimum & octauum Pariſiis poſt auctoris obitum 1697 editos; Cui editioni acceſſit clauis ſecundum ſeriem litterarum, quae tamen non omnium aenigmatum ſolutionem exhibet: e. gr. cum nempe p. 172 part. 2 Guilielmum III, Angliae regem, ſub Arcontis nomine verbis admodum virulentis lacerat.

§. XII.

Poëtis & oratoribus recenſitis, *epiſtolarum* reſtant ſcriptores, ex quibus primo loco nominamus CLAVDIVM BARTHOL. MORISOTVM, ſenatorem

ſenatorem Diuionenſem, cuius 2 centuriae epiſtolarum 1656 Diuione in 4 editae, multa continent, hiſtoriam huius ſeculi gallicam clara luce perfundentia. Equidem Morhofio in Polyhiſt. lib. 1 c. 24 p. 292 & 93 diſplicet ille ſcriptor, nec ignoro, quod Biſſelius illi, quod in carminibus contra legem Pedicam peccarit, obiiciat: interim tamen non omnino ſpernendum eſſe ſtatuo. Inſpiciatur tantum centuriae 1 epiſt. 3, epiſt. 10, 47, vbi auctorem myſteriorum politicorum detegit, epiſt. 48, 49, epiſt. 52, 53, epiſt. 56, 57, epiſt. 69, & panegyricus Ludouico iuſto ſcriptus; Cent. 2 epiſt. 9, vbi notabilem Richerii exitum commemorat, epiſt. 42, 47, & plures aliae, adeo vt Morhofii hic iudicium mirer, qui ſaepe alios minoris momenti viros magnis laudibus celebrauit. CLAVDII SARRAVII rariſſimae antea epiſtolae latinae, quae Arauſione 1654 in 8 prodierunt, & nuper curante Petro Burmanno cum ingenti auctario apud Gallos recuſae ſunt, licet alias totae ſint in rebus litterariis, ſubinde aliquid adſpergunt, quod hiſtoriam iuuet: inſpiciantur p. 79, p. 159, 162 & 163. Et hi quidem latine ſcripſerunt. Inter Gallos eminent BALZACIVS & VINCENS VICTVRVS (VOITVRE). Et ille quidem tum in epiſtolis diuerſis, libris octo Pariſiis 1665 in 12 excuſis, tum in ſelectis, quas Elzeuirii 1656 & ad Conrartum 1664 atque Capellanum 1661 ab

iisdem publicatis multa habet, quibus hiſtoriae gallicáe ſtudioſus non magis delectetur, quam iuuetur. Inter alias vero mihi ſemper placuit eximia illa de Marillaci equitum tribuni tragico exitu, quae prima eſt lib. 5 illarum, quas ad Conrartum dedit, & p. 309 legitur. *Victurus* autem p. edit. meae (quae anno 1657 Amſtelodami prodiit) 124, 299, imprimis autem 304, oſtendit, etiam in rebus grauiſſimis locum eſſe luſibus ingenii. ARNALDVS POMPONIVS, cuius epiſtolae Montpeliardi vltimum 1676 prodierunt, epiſt. 274 & 279 Gramondum non vno loco culpat, adeoque ab hiſtoricarum epiſtolarum cenſu non eſt excludendus. MONTREILIVS, cuius epiſtolae 1668 ni fallor Pariſiis carcerem ruperunt, quasque iuuenis olim tractaui, multa, quae alibi non legas, de ſolenni pompa nuptiarum regiarum, cum principe Hiſpana celebratarum, habet, vnde etiam auctor ſylloges operum elegantium, duobus tomis 1667 formis typographicis in Belgio impreſſae, tom. 1 p. 77 vnam illarum inſeruit, qua iter regis vsque ad limitem hiſpanicum deſcribitur; ſed multo plures ſuperſunt, quae magna voluptate lectorem perfundunt. De PATINI epiſtolis gallicis, tribus voluminibus 1691 ſecundum editis, cum prima editio vno tantum volumine conſtaret, hoc tantum dicam, multa illic contineri, quae nimis libere ſcripta ſunt, quibusque non ſemper

tuto

tuto fidem habeas, cum ille aulicis, imprimis Mazarino, quo iure qua iniuria, paſſim inſultet. Optandum vero eſſet, vt latine etiam quarum nobis Meibomius in elegantiſſima ad Vogleri introductionem in hiſtoriam litterariam commentatione ſpem facit, aliquando prodirent. Scripſit enim vir ille & ſua & latina lingua, ſtilo non magis facili quam iucundo.

§. XIII.

Tandem ex Gallia excedemus, ſi varios adhuc quosdam ſcriptores, qui in ordinem ſe cogi non patiebantur, adiecerimus. Tales ſunt IOH. CHIFFLETIVS in diſquiſitione *de ampulla Rhemenſi*, noua & accurata, cui acceſſit *parergon de unctione regum*, contra Tenneurium 1651 in fol. Antuerpiae; quique ei ſe oppoſuit, is ipſe TENNEVRIVS in tractatu apologetico *de S. ampulla*, Pariſiis 1652 in 4. Idem CHIFFLETIVS in *lilio francico*, 1658 in fol. & in diſſertatione *de vexillo militari in Caſteletenſi pugna Francis erepto*, Antuerpiae 1652. IOHAN. FERRANDVS in *epinicio pro aureis Franciae liliis*, contra Chiffletium, Lugduni 1663 in 4. IOHAN. LVDOV. VIVALDVS in elogio *de laudibus & praerogatiuis ſacrorum liliorum, in ſtemmate regis Gallorum exiſtentium*, Pariſiis 1608 in 8. IOHAN. COLVMBVS in *opuſculis variis hiſtoricis ſacris & profanis*, 1668 in fol. IOHAN. BAPTISTA BEAV in *Polyaeno*

gallico de veterum ac recentiorum Gallorum ſtratagematibus, Pariſiis 1658 in 8. IOHAN. NICOLAI in *Dignitate Galliae*, aduerſus praepoſterum Cataloniae aſſertorem, Pariſiis 1644 in 4. & qui ſupra inter hiſtoricos neglectus, hic quaſi poſtliminii locum reperit IOHAN. GEORG. LAYRIZ, hiſtoriae ſacrae & profanae Baruthi in Norico Profeſſor, in libro ſatis eleganti *de bello inter Auſtriacos & Gallos*, Baruthi 1689 in 4. Et hi omnes latino ſermone ſcripſerunt. Gallico *praelia memorabilia Gallorum* ſtilo ſignauit GIRARDVS 1682 in 12 Pariſiis. *Sepulchra perſonarum illuſtrium* repraeſentauit IOHAN. LABOVRERIVS Pariſiis, anno 1642 in fol. *Rem monetariam* illuſtrauit BLANCKIVS (LE BLANC) in libro *de monetis Francorum* 1690 in 4 Pariſiis. *Elogia* denique virorum in Gallia, qua marte qua arte illuſtrium, elaborauit PERRALTVS, 1698 Pariſiis in folio cum imaginibus editus, & mox in 12 in Belgio, abſque tamen figuris, recuſus: qui cum centum modo elogia nobis dederit, aſt plura promittat, merito ab orbe erudito orandus eſt, ne exſpectationem, quam de ſe concitauit, eximiam deſtituat. Commodum, dum haec ago, incidit in manus meas *hiſtoria Ludouici XIV* a BVSSIO RABVTINO, illo ipſo, cuius iamiam mentionem fecimus, elegantiſſime in compendium miſſa, & hoc ipſo anno ſeculari Lutetiae

Pari-

Pariſiorum publicata. Deſinit illa in anno 93 & in elogio regis, breui quidem, ſed magno cum iudicio elaborato. Ego quidem iis, qui hiſtoriam gallicam huius ſeculi paucis comprehenſam intueri cupiunt, hunc librum prae ceteris commendauerim, imprimis autem illis, qui Venerum gallicarum, quarum haec aetas nimis cupida eſt, ſtudioſi ſunt.

§. XIV.

Gallia iamiam exceſſuro aurem vellicat *Lotharingia*, neque eius immemores ſimus, hortatur. Erat illa quidem olim pars imperii germanici, & adhuc, quantum quidem attinet ad ipſam Lotharingiam, aquilas Caeſaris veneratur, nunc praeſertim, cum principi ſuo reſtituta & iniuſtae Gallorum dominationi per pacem erepta eſt. Sed cum hucusque ſub captiuitate gallica integros ferme 30 annos gemuerit, & in Barrenſi ducatu clientelam gallicam profiteatur, Galliae potius, cui nimis etiam vicina, eam ſubiungere placuit. Lotharingiae hiſtoriam cogniturum iuuant CHANTERELLI FABRI *conſiderationes* ſiue *obſeruationes hiſtoricae ad genealogiam domus Lotharingicae*, 1642 in folio Pariſiis. THEODORI GOTHOFREDI *Genealogia domus Lotharingicae* ex hiſtoria & monumentis genuinis adornata, Pariſiis 1624 in 4. Eiusdem *Genealogia comitum & ducum Barrenſium*, Pariſiis 1627 in 4. IOHAN. IACOB. CHIFFLETII

Lotharingia maſculina & *commentarius Lotharienſis*, in quo praeſertim Barrenſis ducatus imperio aſſeritur, & iura eius regalia duci Lotharingo vindicantur, Antuerpiae vna cum reliquis operibus hiſtorico-politicis 1649 in fol. *Hiſtoriam Philippi Emanuelis Lotharingi ducis Mercuriani*, ſuperiore ſeculo turbis Galliae, ſub initium vero illius, quod nunc ad finem decurrit, expeditionibus contra Turcas in Hungaria proſperis celebrati, deſcripſit quidam, nomen ſuum litteris initialibus G. G. D. M. deſignans: impreſſus liber Coloniae anno 1669 in 12. BEAVVALLIVS marchio, vir illuſtris & in aula Lotharingica probe ſubactus, *vitam Caroli IV Lotharingiae ducis*, (*Memoires du Marquis de* BEAVVAV *pour ſervir a l'hiſtoire de Charles IV &c.*) tot fortunae caſibus agitati, egregie in commentariis 1687 in 12 emisſis deſcripſit, quem librum inter hiſtoriam ſeculi arcanam merito referes. BOISIVS quidam *carcerem in Hiſpania Toletanum huius ipſius Caroli* pagellis non admodum multis deſcripſit; 1688 in Belgio prodiit. *Vitam Caroli V Lotharingiae ducis* (*La Vie de Charles V Duc de Lorraine*) quem tot contra Turcas in Hungaria victoriae, tot munitiſſimarum in Hungaria arcium expugnationes, ac demum Moguntia & Bonna recuperata aeternitati commendarunt, *anonymus* quidam, ſed ſi verum fateri licet, non vſque adeo bene, ſtilo complexus

eſt; prodiit Amſtelodami 1691 in 12. Tandem huius ipſius *Caroli teſtamentum politicum* ſine die & conſule editum circumfertur, in quo auctor, quisquis ille tandem ſit, ſub ducis Lotharingi nomine de illis, quae nunc Europam exercent, quaeque eandem adhuc manent, discriminibus, & imprimis de ſucceſſione hiſpanica multis agit, conſiliaque ſuppeditat, quae, an ſucceſſum habitura ſint, tempus docebit.

CAPVT V.

MAGNA BRITANNIA ET HIBERNIA.

§. I.

SVb *Magnae Britanniae*, vt notum eſt, titulo *Angliam* & *Scotiam*, alioqui hoc ſeculo ab eodem rege regnata, comprehendimus, iisque *Hiberniam* adiungimus. Vbi quidem, quod ad Angliam attinet, ſatis credo inſtructi in medium prodibimus, cum ab eo tempore, quo aliqua anglicani ſermonis peritia nobis acceſſit, in libris ad eorum hiſtoriam ſpectantibus indagandis & euoluendis ſedulo elaborauerimus; aſt in ſcoticis & hibernicis parcioribus eſſe continget, quia libri de his regnis agentes non admodum multi inueniuntur, paucique, qui ſuperſunt, raro ad nos deferuntur. Conabimur tamen hic etiam auditoribus noſtris indicare, qua via incedere, quibusque ducibus vti debeant, ſi poſtea, cum iis beatioribus eſſe licebit, cumque in plures & meliores incident ſcriptores, illos marte ſuo addere poterunt. Ab Anglia autem initium facientes nos prae ceteris libenter fatemur, aliquantulum adiutos fuiſſe egregio libro GVIL. NICOLSONI, cui titulus: *Anglorum bibliotheca hiſtorica*, (*The English hiſtorical library*) 1696 Londini prodiit, vt & 97 duabus partibus in

in 8. In prima de hiſtoricis agitur, qui prouincias, regnum & geſta regum memoriae mandarunt; ſecunda vero complectitur, quae ad ſacra & rem litterariam pertinent. Cui rerum anglicarum ſtudioſus loco introductionis merito addet, cum in publicum aliquando prodierit, IOHAN. MIDCHELII, Doctoris medici, *lexicon anglicum*, in quo, vt ex ichnographia tomo I Nicolſoniano ſubiecta diſcimus, non ea tantum continentur, quae in vulgaribus lexicis reperies, ſed etiam voces ad leges & ius anglicanum, ad rem monetariam, & alia id genus faciunt. Equidem non poterunt carere anglicarum rerum ſtudioſi hoc opere, cum lexica, hactenus a variis edita, paſſim manca ſint atque mutila. Ceterum quod ad totius Angliae deſcriptionem geographicam attinet, in ea diligentiſſime elaborarunt GVILIELMVS CAMBDENVS, cuius *Britannia* latine ſeculo XVI non ſemel, aſt tandem huius ſeculi XVII anno 7 locupletiſſime in folio Londini prodiit. Certe tanta huius operis apud Anglos & exteros fuit auctoritas, vt viri in Anglia doctiſſimi operae pretium duxerint, hanc ipſam olim iam 1616 a Philemone Hollando in vernaculam traductam denuo recenſere, inſignibus augmentis locupletare, quam luculentiſſimam editionem Londini 1695 in folio emiſit EMVNDVS GIBSONVS, tabulis vero ſingularum prouinciarum ROBERTVS

MORDENVS exornauit, cuius & SELLERI in eiusmodi chorographiis concinnandis induſtriam eximie laudat c. I partis I p. 16 Nicolſonus. Miſit vero hunc ipſum Cambdenum labore non admodum laudabili in compendium, compilatis paſſim eruditorum ſcriniis, notus magis quam celebris RVTGERVS HERMANNIDES, cuius *Britannia Magna* in 12 Amſtelodami 1661 prodiit. Cambdeno ſucceſſit IOHANNES SPEED in *Theatro Magnae Britanniae*, Londini 1606 & alias quoque in folio excuſo, qui quamuis a SCHERINGHAMO in eruditiſſimo *de Anglorum origine* libro ſummus vocetur & eruditus antiquarius; iudice tamen Nicolſono p. 13 nihil aliud egit, quam vt Cambdeni veſtigia legeret, & quae ille multis dixerat verbis, paucioribus exprimeret, niſi quod in comitatus Norfolciae deſcriptione fuſior fuerit. IOHANNIS OGILBY *deſcriptio geographica & hiſtorica regni Angliae & principatus Walliae*, cum tabulis geographicis & vrbium diuerſarum ichnographiis exornata, Londini 1698 in folio prodiit, opus ſplendidiſſimum & fere regium, RICHARDI BLOME *Britannia*, Londini 1673 in fol. anglice edita: ſpicilegium eſt ex Cambdeno & Speedo collectum, vt Nicolſonus p. 15 monet. EDVARDVS LEIGH, criticis alioqui ſacris notior, *breuem* nobis *Angliae deſcriptionem (England deſcrib'd* &c.) Londini 1659 in 8 exhibuit, de

qua

qua tamen p. 14 idem iudicium fert Nicolſonus, quod de Blomio tulerat. FVLLERI *Memorabilia Angliae* (ſermone patrio *Woorthies* audiunt) Londini 1662 in folio impreſſa de ſingularum in Anglia prouinciarum fructibus arte factis, aedificiis, prouerbiis, vt & de viris tum ſacra tum ciuili dignitate claris agunt, quamuis his ipſis maxima pars operis tribuatur, & Nicolſonus p. 14 & 15 multa in iis deſiderari affirmat. Vidimus tamen nos ipſi compendium huius operis Londini 1684 in 8 & tractauimus, vnde facile patet, in aliquo apud Anglos pretio eſſe. *Hiſtoriam Angliae, Cambriae Scotiaeque naturalem*, ad methodum ſolertiſſimi Anglorum Baconis Verulamii adornatam, elaborauit CHILDREYVS, cuius nos gallicam tantum verſionem Pariſiis 1667 in 12 editam conſpeximus. Inter exteros SORBIERIVS Gallus *Iter Anglicum* ſcripſit, in Belgio 1660 editum, quod tamen Anglis ſupra modum diſplicuit, cum parum benigne paſſim de iis ſentiat; adeoque THOMAS SPRAT ſingulari libello calumnias Sorberianas repulit. *Itinerum hiſtoricorum* tomus quartus totus impenditur Magnae Britanniae: prodiit Lutetiae 1694 in 12. Nec indignae ſunt, quae legantur, obſeruationes circa Angliam, Scotiam, & Hiberniam, ſecundum ſeriem in modum lexici adornatae, & Amſtelodami 1699 ſermone gallico publicatae. Ex noſtris ZEILERI

itinerarium Magnae Britanniae, Argentorati 1634 in 8 excuſum, lectu dignum eſt. Cui adiungi poteſt *deſcriptio Angliae, Scotiae & Hiberniae*, Noribergae 1690 edita. Ex ipſis Anglis addimus PETTVSIVM in *Fodinis regalibus*, ſiue hiſtoria & legibus metallorum Angliae, Scotiae & Hiberniae. Topographias ſingularum Angliae prouinciarum ſiue comitatuum, ſi non omnium, potiſſimarum tamen, habemus. Procedemus hic cum Nicolſono ordine alphabetico, illasque tantum enarrabimus, quae cum orbe erudito communicatae fuerunt, mſctis, quas ille paſſim laudat, cum hic locorum haberi non poſint, haud aegre omiſſis. In Batenſi igitur comitatu *arcem & caſtellum Windeſoriae*, vbi equites ordinis Georgiani conueniunt, in eleganti ordinis illius hiſtoria, infra a nobis commemoranda, deſcripſit ELIAS ASHMOLIVS. In Buckingamenſi WITHVS (WHITE) KENNETT *Origines Ambrosdenſes, Worceſtrenſes & finitimarum regionum* (*Hiſtory of Ambrosden, Burſeſtes and othes adiacent Towns and Villages*) elaborauit, & Oxoniae 1695 in 4 edidit, in quibus tamen, multa licet cum eruditione ſcriptis, antiquioribus tantum intentus eſt, & recentiora vt plurimum negligit. Cantabrigiam quod attinet, praeter *delineationes collegiorum*, vt vocant, huius academiae a LOGGANO affabre factas, IOH. CAIVS, D. medicus, libros

libros duos ſcripſit de *antiquitate Cantabrigienſis academiae*, ſuperiori ſeculo editos. Hoc autem ſeculo THOMAS FVLLERVS *Hiſtoriae Britannorum eccleſiaſticae*, 1655 in folio typis excuſae, *hiſtoriam academiae Cantabrigienſis*, vſque ad annum 1643 adiecit. *Ceſtrenſem comitatum* ſub tit. *The vale royal of England* deſcriptione hiſtorica & geographica illuſtrauit DANIEL KING, qui liber in folio Londini 1656 prodiit. Nec ſpernendus PETRVS LEICESTRIVS in *Originibus hiſtoricis*, (*Hiſtorical antiquities*) Londini 1673 in fol. excuſis, qui quamuis libr. 1 Britanniae generatim impendat, in 2 tamen ad Ceſtrenſem comitatum propius reſpexit. IOHANNES DODERIDGIVS etiam veterem & nuperum huius comitatus ſtatum (*The ancient and modern eſtate of Cheshire*) Londini 1630 in 4 expoſuit. Cui adiunxit *principatus Walliae* ſ. Cambriae & *ducatus Cornualliae* ſ. Cornubiae *hiſtoriam*. De hac ipſa *Cornubia* ROBERTVS CAREW laudabiliter ſcripſit; prodiit Londini 1620 in 4, ſpemque facit nobis Nicolſonus c. 2 p. 29 nouae editionis. RICHARDVS ISAACIVS *hiſtoriam vel origines ciuitatis Exceſtriae*, (*Antiquities of the city of Exeter*) quae Deuoniae caput eſt, Londini 1681 in 8 publicauit, ſed monente p. 32 Nicolſono, non magni pretii iſte liber. In comitatu Eſſexienſi *Harwicum* (*Deſcription of Harwich*) nobilem

portum deſcripſit SILAS TAYLOR, libro tamen adhuc inedito. *Gloceſtriae* vrbis regimen militare deſcripſit IOHAN. CORBETVS, Londini 1651 in 8. *Hartfordiae* comitatum *(Chorographical deſcription of Hartfordshire)* illuſtravit, IOH. NORDENVS, ſed is iam ſeculi XVI anno 93 prodiit, adeoque parum aut nihil ad hoc ſeculum facit. *Comitatum Cantuarienſem* deſcripſit ſuperiori ſeculo anno 1570 WILHELM. LAMBARDVS ſub titulo *Perambulation of Kent*; prodiit deinde Londini 1659 & 1664 in folio PHILPOTI VILLARE *Cantianum*. Inſpici etiam debent IOHAN. WEEVERI *monumenta funebria*, *(Funeral monuments)* licet non adeo curate deſcripta; lucem adſpexerunt 1631 in folio. Huc refer W. SOMNERI egregium librum, qui *hiſtoria Gavelkindi* (*Treatiſe of Gauelkind*) vocatur, ſ. conſuetudinis antiquae Cantuarienſium; & SILAE TEYLORI hiſtoriam eiusdem argumenti, Londini 1663 in 4. Prae omnibus autem laudem merentur SOMNERI *Origines Cantuarienſes*, (*Antiquities of Canterbury*) Londini 1640 in 4. Laudatur quoque in prolegomenis Cambdeni, anglice verſis, eiusdem SOMNERI *portus Cantuarienſis*, a Nicolſono, quod miror, praetermiſſus, ſed Oxoniae 1693 publicatus. *Leuceſtrienſis* comitatus anglice egregie deſcriptus eſt a GVIL. BVRTONO, prodiit Londini 1621 in folio, qui tamen liber ab

ab auctore ipſo valde adhuc locupletatus, adhuc cum blattis & tineis luctatur, noua editione non indignus. *Paludes Linckolnienſes* deſcripſit WILHELMVS DVGDALIVS in *hiſtoria inundationum* (*Hiſtory of imbanking*) in folio Londini 1622. *Stamfordiam* vero non ignobile prouinciae municipium ſub titulo *Survey of Stamford* illuſtravit ROBERTVS BVTCHERVS, Londini 1646. *Midleſexiam* & imprimis comitatus & integrae Angliae caput *Londinum* varii illuſtrarunt. Anno 1593 ſeculi ſuperioris id egit IOH. NORDENVS, cuius operam ſuperauit IOHAN. STOW, ſub titulo *Survey of London*, ibidem 1598 in 4 impreſſus, quem totum pene exſcripſit IACOB. HOWELLIVS in *Londinopoli*, Lond. 1657 in folio edita. *Anonymus* quidam *obſeruationes hiſtoricas de veteri & noua Londino* dedit, qui an idem ſit cum *Launio*, quem Nicolſonus p. 47 laudat, me quidem nunc praeterit. MORDENI habemus *tabulam geographicam Londini* emendatiſſimam, vbi magna cum cura oppida, vici, pagi & flumina ambitu viginti milliarium anglicorum circa Londinum repraeſentantur. GVIL. PETT in libellis de arithmetica polita (*Eſſais in political arithmetik*) tum & in phyſicis & politicis obſeruationibus de ſchedulis emortualibus, quae Londini ſingulis hebdomadibus publicantur, (*Natural and political obſeruations on the Bills of*

Mortality in London) quae IOHANNI GRAVNT vulgo adſcripta, germanice quoque Lipſiae apud Th. Fritſchium prodiere, de numero ciuium Londinenſium ingenioſe egit. *Incendium ferale 1666* enarrarunt tum EDVARDVS WATERHOVSE, tum *anonymus*, qui ſua actis conuentus ordinum Angliae debet, vtraque prodiit 1667. *Epitaphia Weſtmonaſterienſia*, vbi reges, regum filii, & alii proceres ſepulti ſunt, accurate exhibuit HENRICVS KEEPE in Monumentis Londin. 1682 in 8 anglice editis. *Aedem* vero *D. Paulo ſacram*, opus ſuperbum deſcripſit GVIL. DVGDALIVS in hiſtoria huius aedis, Londini 1658 in folio editus. *Northamtonia incendium* & miſerabilem oppidi faciem deſcripſit *anonymus* epiſtola Londini 1674 edita. *Nouocaſtrum* in Nortumbria GREIVS (GREY) 1649 ita deſcripſit, vt exiguam inde laudem reportauerit. *Nottingamiae* comitatum magno, ſed non poenitendo labore R. THOROTON, D. medicus, dedit; prodiit Londini folio 1677. *Oxonienſis* comitatus hiſtoriam naturalem dedit ROBERTVS PLOT, praefixa ſimul accuratiſſima, & qualem adhuc non vidi, prouinciae tabula. Ceterum *academiam* ibi celeberrimam illuſtrauit ANTONIVS WOODVS latine, cui titulus: *Hiſtoria & antiquitas academiae Oxonienſis*, ibidem prodiit 1674 in folio, quo opere BRIANVM TWINVM, hoc ipſo ſeculo

1608

1608 *antiquitatis Oxonienſis academiae apologiam* ſcribentem, longe ſuperauit, cum ante ipſum NICOL. FIZHERBERT Romae 1602 huius academiae deſcriptionem repraeſentasſet. Eidem WOODO debemus *Athenas Oxonienſes*, ſ. volumina duo de ſcriptoribus, qui ex hac academia prodierunt anglice, de quibus alias dicendi locus erit. *Notitia* vero *academiae Oxonienſis* lat. quae Oxoniae 1665, Londini 1675 in 4 prodiit, non alius auctor eſt, quam FVLMANNVS, monente Nicolſono parte 2 c. 8 p. 214. IOHANNI WRIGHT debemus *Antiquitates Rutlandiae*, Londini 1684 in folio excuſas. *Staffordienſis* comitatus *hiſtoriam naturalem* anglice deſcripſit idem, qui Oxonienſem, PLOTVS, & id quidem accuratiſſime, vt Nicolſonus p. partis primae 99 ſimilem vniuerſae Angliae optet hiſtoricum. *Principatum Cambriae ſiue Walliae* deſcripſit, quem ſupra nominauimus, DODERIDGE & in Cambdeni Britannia anglica EDVARDVS LHWYD, qui etiam meditatur lexicon Cambricum, archaeologiam britannicam, & hiſtoriam Cambriae naturalem. *Origenes Warwicenſes* illuſtrauit GVIL. DVGDALIVS Londini in fol. 1656, & *anonymus* ſub nomine W. R. edidit *Wallographiam ridiculam* Londini 1682 in 8. Alii quoque laudant auctoris incogniti, cui nomen eſt R. B. *hiſtoriam principatus Walliae*, tribus partibus diſtinctam.

§. II.

Poſt choro- & topographias accedimus ad notitiam Angliae ciuilem ſiue politicam, vbi prae reliquis iam olim commendabatur THOMAE SMITHI *Respublica Angliae*, temporibus quidem Eliſabethae, ſed ita tamen ſcripta, vt hic quoque noſtris vſui eſſe poſſit. Recuſa illa fuit Lugduni Batauorum inter Respublicas Elzeuirianas 1630, anglice Londini 1640. Porro Statum Angliae (*The preſent State of England*) ſaepius, & nuperrime credo, inſtar Status Galliae ſingulis ferme annis prodeuntis dedit nobis IOHAN. EDVARDVS CHAMBERLAINIVS. GVIDO quoque MIEGIVS, lexici anglo-gallici & gallo-anglici famoſiſſimus auctor, Notitiam Angliae ſub regibus Guilielmo III & Maria 1691 exhibuit. Laudant item BACONIS narrationem hiſtoricam *de legibus & regimine Angliae*, & CORNARII, Venetorum legati, eiusdem argumenti ſcriptum, quod ſermone gallico Montpelgardii 1668 in 12 prodiit. Oxoniae 1686 in 12 lucem adſpexit THOMAE WOOD *Notitia Angliae* latina, ex qua tamen non multum proficias. *Speculum Britanniae* Londini 1683 in 12 editum fuit. Operam quoque haud illaudabilem poſuit in Anglia, qua geographice qua politice & hiſtorice, deſcribenda GREGORIVS LETI, cuius *Theatrum britannicum* (*Il teatro bretanico*) ſermone italo tomis quinque in 12 Amſtelodami 1684

1684 excuſum: diſplicuit tamen ob quaedam liberius dicta Iacobo, tunc temporis Eboracenſium duci, poſtea regi, nunc autem ex-regi; auctorque Anglia, vbi tunc commorabatur, excedere iuſſus fuit. Ceterum huc pertinent *Plato rediuiuus* vel dialogus, tum de regimine generatim, tum ſpeciatim de anglico agens, Londini 1681. Vetus ſiue antiquum curiae inferioris ius a *Guil. Petito* vindicatum, Londini 1681 in 8. *Leges* item *anglicanae*, quas inter magna charta temporibus Iacobi toties celebrata, quae vna cum totius regni conſuetudinibus iuribusque Londini 1602 latine prodiit. Cum quibus conferri debent *Statuta*, quae vocant, a nono anno Henrici III vſque ad quadrageſimum tertium Eliſabethae annum, Londini 1603. *Statuta* ab anno 1 Iacobi I vſque ad 7, Londini 1610, & quae hoc anno prodierunt, *Leges* ſub Guilielmo III latae. Nec non antiquariorum Anglorum ſententia *de ſuprema ordinum regni curia*, Londini 1658.

§. III.

Peruentum iam eſt ad genealogiarum ſcriptores, inter quos principe loco cum laude pono FRANCISCI SANDFORDII *hiſtoriam regum Angliae genealogicam* (*A Genealogical hiſtory of the Kings of England*) Lond. 1683 in fol. iconibus elegantiſſimis exornatam, cui multa debet celeberrimus *Imhofius* in *regum pariumque M. Brittanniae hiſtoria genealogica*, cum

appendicibus Noribergae 1691 in fol. ſermone latino publicata. GVILIELMI item DVGDALII *Apographa* omnium citationum nobilitatis anglicae ad conuentus ordinum ab anno 49 Henrici III ad haec vsque tempora (*A perfect copy of all ſummons of the Nobility &c.*) Londini 1685 in fol. Eiusdem *catalogus nobilitatis anglicanae & hibernicae*, qui cum diſſertat. *de teſſeris gentilitiis*, Oxoniae 1682 in 8 impreſſus eſt. Itemque A. P. *Proceres legales*, ſiue exacta collectio omnium nobilium, qui ad honores & opes per legum ſtudia peruenere, (*The Grandeur of the Law or are exact collection of the Nobility &c.*) Londini 1684 in 8. Item ſcriptum latinum, cui titulus: *Anglicana nobilitas, politica vel ciuilis*, qui ſint apud Anglos nobilium gradus, & quae ratio ad nobilitatis veſtigia euehendi, 1608.

§. IV.

His praemiſſis ad ipſam Angliae hiſtoriam accedimus. Et primo quidem more noſtro commendamus hiſtoricos, vti vocant, vniuerſales, qui res ſimul huius ſeculi attigerunt. Nominamus hic *Diuos britannicos* WINSTONII CHVRCHILII, Londini 1685 in folio. *Annales regum Angliae* (*A Chronicle of the Kings of England*) auctore RICH. BAKERO, cuius libri octauam editionem, Londini 1684 in folio curatam, poſſidemus; nouum vero prodiit ib. 1696 f. Cui adiungi debent BLOVNTII cuiusdam

cuiusdam animaduerſiones ad Bakerum in 8 anno 1672 excuſae. HOWELI *Medullam hiſtoriae anglicae* in 8 Londini 1679. *Hiſtoriam Angliae vuiuerſalem*, quam IOH. MARSCHAMVS promiſit, nondum prodiiſſe conſtat. At IACOBVS TYRELL hiſtoriam Angliae generalem (*The general hiſtory of England both eccleſiaſtical and ciuil)* ab ipſis regni initiis condere coepit, cuius tamen operis, tomus tantum primus Londini 1697, ſecundus ib. 1700, & tertius, qui ad mortem Richardi II pertingit, 1704 in fol. prodiit, vnde reliqua volumina, quae recentiora continebunt, adhuc exſpectantur. Latino ſermone LAMBERTVS SYLVIVS Lugduni Batauorum 1651 in 12 *Florum anglicum* dedit: gallico vero id egerunt ANDREAS QVERCETANVS ſ. CHESNEVS in *hiſtoria vniuerſali Angliae, Scotiae & Hiberniae*, quae primum Pariſiis 1614, aſt dein longe auctior ibidem 1666 duobus voluminibus prodiit. LARREYVS, electori Brandenburgico a conſiliis, *hiſtoriam Angliae (Hiſtoire d'Angleterre, d'Ecoſſe & d'Irlande)* Roter. 1697 & 1698 duobus voluminibus in folio edere coepit, quibus hiſtoria a tempore Henrici VII vſque ad obitum Iacobi I deduxit; (nuper vero anno 1707 nouum volumen addidit, quo hiſtoriam inde a primordiis ad Henrici VII tempora complexus eſt.) Nec ſpernendam eſſe iudico PETRI IOSEPHI AVRELIANENSIS

ſiue D'ORLEANS *hiſtoriam motuum anglicorum (Hiſtoire des revolutions d'Angleterre)* Pariſiis 1695 in 4 & 12 editam, cuius tertia pars huic ſeculo deſtinatur; modo a partium ſtudio ſibi temperaſſet. Habemus quoque *epitomen gallicam hiſtoriae anglicae (Abregé de l'hiſtoire de Angleterre)* Hagae Com. 1695 in 8 publicatam; & M. D. *Introductionem ad hiſtoriam anglicam*, interrogationibus & reſponſionibus conſtantem 1697. Tandem germanica lingua proſtant *vitae regum Anglorum* Sultzbachi 1671 in 12, GEORGIIque GREFLINGERI notarii caeſarei *XII regum ex familia Stuarda ſucceſſus infauſti*, 1652, cuius argumenti quoque libellus belgicus IACOBI VAN OORTS Dordraci 1649 in 8 excuſus eſt.

§. V.

Propius ad rem acceſſuris conſiderandi ſunt, qui ſingulorum regum hoc ſeculo regnantium res geſtas ſtilo ſignarunt. Complexi ſcilicet vltimum Eliſabethae trienium, Iacobi I, Caroli I, Cronwellii interregis aut tyranni, Caroli II, & Iacobi II tempora: de quibus nunc ordine nobis agendum. Si prius monuerimus, hiſtoricis vniuerſalibus ſuo quodam iure, licet aliorſum pertinere videatur, adiungi poſſe THOMAE FVLLERI *hiſtoriam Anglorum eccleſiaſticam*, (*Church-Hiſtory*) Londini anno 1656 in folio, quae quidem multa continet ſelecta, nec tamen adeo ab Anglis

Anglis laudatur. Vide Nicolſonum parte 2 c. 4 p. 91, 92, 93. Eliſabethae vltima enarrarunt GVIL. CAMBDENVS in *Annalibus Eliſabethae*, opere praeſtantiſſimo, cuius, vt anglicanas omittam, nitidiſſima editio Lugduni Batauorum 1632 in 8 prodiit, & nuper etiam in Germania typis ſubiecta fuit. Anglico ſermone *Characterem Eliſabethae* (*The Character of Q. Elizabeth*) repraeſentauit EMVNDVS BOHVNVS, Londini 1693 in 8, qui gallicae poſtea quoque conſuetudini traditus fuit. *Memorias regni Eliſabethae* anonymus Londini 1658 in 8 edidit. Sermone autem italico *vitam Eliſabethae* deſcripſit GREGORIVS LETI, Amſtelodami 1693 publicatam & poſtea quoque gallice verſam. Vltima verba Eliſabethae ad curiam ſuperiorem Londini 1630 in 4 euulgarunt. *Iacobi I & matris Mariae hiſtoriam* exhibuit GVILIELMVS SANDERSONVS Londini 1656 in folio, qui etiam *hiſtoriam Caroli I* an. 1658 publicauit. Non tamen admodum magnifice Angli de his operibus ſenſerunt, adeoque PETRVS HEYLINVS *animaduerſiones in Sanderſonum* eodem anno Londini in 8 emiſit, videatur de ipſo Sanderſono ſelecta afferens Woodus in Athenis Oxonienſibus part. 2 c. 197 col. 189, vbi Cantabrigiae in gratiam Buckingamii ducis laurea Doctoris honeſtatum fuiſſe tradit, quamuis linguae latinae parum aut nihil peritus eſſet. ROGERVS

COKE *aulam & ſtatum Angliae*, (*A Detection of the Court and State of England*) qualis ſub quatuor regibus, duobus nempe Iacobis & Carolis fuit, anno 1697 Londini in 8 emiſit, adeoque etiam Iacobi tempora digeſſit, regibus tamen ſupra modum infeſtus. ARTVRI WILSONI *annales Iacobi I*, Londini 1653 in fol. anglice publicatos, ipſe poſſideo, fateorque multa ineſſe, quae incautum lectorem abripiant, narrationes nempe non vbiuis obuiás, dicta ſelecta, argutias ceu gemmas orationem diſtinguentes, & alia id genus; Woodo tamen parte 2 c. 88 col. 86, 87 magis pro ſcriptore ſatyrico quam hiſtorico habetur, multumque Roberto Eſſexio comiti, in cuius aula vixit, tribuiſſe, vtque eum extolleret, Iacobi miniſtros, nimium depreſſiſſe, arguitur. Laudat ibidem EDVARDI PEYTONI, equitis & baronetti, *diuinam cataſtrophen regiae Stuardorum familiae*, vbi regna Iacobi & Caroli I mire perſtringuntur; prodiit anglice Londini 1652 in 8. Huc etiam referas *aulam Iacobi*, (*The Court and Character of King James*) Londini 1650, ſcriptum virulentiſſimum, cuius auctor, Woodo in hiſtoria epiſcoporum Oxonienſium ſcriptis celebrium Athenarum parti primae annexa n. 182 p. 624 referente, eſt ANTONIVS WELDONVS, Cantuarienſis, cuius cognatus, a quo ipſe hereditate opima locupletatus fuerat, culinariis in iuuen-

iuuentute Eliſabethae miniſteriis occupatus, opes deinde luculentas acquiſiuit; vnde anonymus apologiam Iacobi *Aulicum coquinariae (or a Vindication* &c.) inſcripſit. Exſtant eius geminae editiones: prior Londini 1650 lucem adſpexit; poſterior, quae auctior eſt, 1651 prodiit, continetque praeter Aulam Iacobi, Aulam Caroli, *(the Court of King Charles)* obſeruationes in vitam Caroli ſiue eius characterem, *(Obſeruations [instead of a Character] upon this King)* & tandem obſeruationes quasdam de iis, quae ante Eliſabethae obitum euenerunt, *(Certain obſervations before Q. Elizabeths Death)* cuius editionis notitiam Woodo debemus. Eiusdem commatis eſt *veritas retecta* ſiue hiſtoria priorum 14 Iacobi annorum in quatuor partes diuiſa, & anglice 1693 Londini excuſa, in qua ſane multa afferuntur, quae Iacobi famam laedunt. CAMBDENI *annales Iacobi I* ab anno 1603 vſque ad annum 1623, ſunt tantum ſciagraphia operis imperfecti, eiusque epiſtolis latinis Londini 1691 a Thoma Shmitho in 4 publicatis, inſtar appendicis acceſſerunt. *Annales Iacobi I & Caroli I*, ab anno 1612-1642 anonymi opera confecti, in folio prodiere. Sicut etiam *Theatrum Iacobi I & Caroli I* belgice 1696 in 12 prodiit. Proditionem anno 1606, immani ſcelere contra Iacobum & ordines regni agitatam, miraque Numinis prouidentia detectam

illuſtrarunt CAMBDENVS *Actione in Henricum Garnetum*, Londini 1607 in 4 anglice ſcripta. Exſtat item alia narratio de proditione in Magnae Britanniae regem intentata, latine Lugduni Batauorum 1607 publicata; & alia rurſus, quae Euphormioni Barclaiano adiungi ſolet, cui titulus: *Series patefacti diuinitus parricidii*; prodiit primo 1608. Multum quoque hiſtoriam Iacobi illuminabunt ipſius doctiſſimi principis *opera*, Londini primo anglice 1616, & deinde ibidem 1619 latine curante Iacobo Montacutio edita. Laudatur quoque in Bibliotheca Bodleiana, a Thoma Hyde in catalogum digeſta, *Hiſtoria de Iacobo rege* per anonymum, 1626 & commentarii de regno eius (*Memoires on the Reign of K. Iames*) auctore anonymo, Londini 1648 in 8.

§. VI.

Poſt Iacobum infelix Caroli I regnum aggredimur, cui illuſtrando hic locum ſuo merito inuenient, quamuis alias inter acta & commentarios referri deberent *collectiones hiſtoricae* (*Hiſtorical collections*) RVSHWORTHI & IOHANNIS NALSONI. Et Rushworthus quidem anno 16 Iacobi, anno Chriſti 1618 incepit, tomumque I vſque ad annum quintum Caroli ſiue 1629 deduxit; lucem ille adſpexit 1659, & recuſus fuit Londini 1682 in folio. Huic tamen tomo priori praemittas merito anonymi, vt vocat, *connexionem ſiue ſuplementum hiatus*,

hiatus, qui inter Townſendii & Rushworthi collectiones intercedit, varia ad regnum Iacobi pertinentia complectentem, Londini in 8; vnde colligas TOWNSENDIVM iſtum ſimilem ante Rushworthum inſtituiſſe collectionem, quae tamen in manus noſtras nec dum incidit. Apud Woodum tamen parte I Oxonienſium Athenarum inuenio, Londini eodem, quo Rushvvorthi tomum primum anno, prodiiſſe accuratam narrationem eorum, quae vltimis ſeptendecim annis Eliſabethae geſta fuere, cuius priorem collectionem GVILIELMVS MONSONIVS, alteram HEIVVODVS TOVVNSENDIVS. Nos ad Roshvvorthum reuertimur, eius tomus ſecundus, ab anno 1629 vſque 1640 digeſtus & in duas partes diuiſus, Londini 1683 prodiit: tomus 3, iterum duobus voluminibus conſtans, res geſtas 1640, 41, 42, 43 & 44 complexus, ibidem 1692 publicatus fuit: iamque quartum exſpectamus in morte tragica Caroli deſiturum. Magni certe facienda eſt haec collectio lucemque eximiam hiſtoriae anglicanae affert, interim tamen multis diſplicuit, adeoque NALSONVS, legum Doctor, huic Rushvvortianae collectioni aliam oppoſuit, quam ſinceram vocat; incipit autem ab anno 1639, & deſinit in anno 1641: quamuis ipſi in animo fuerit, vſque ad obitum Caroli I telam coeptam pertexere; prodiit collectio illa in folio duobus vaſtis voluminibus 1682 &

1683. Paſſim ſuggillatur in illa Rushvvorthus; ſed viciſſim non deſunt, qui Nalſonum nimis aulae fauiſſe contendunt. Quod ad Rushworthum attinet, narrat Woodus tomo 2 c. 538 col. 645, in priore eius tomo, qui primum Londini 1659 excuſus fuerit, multa iuſſu Cronwellii a Bulſtrodo Whitloco immutata fuiſſe. Addit, Nalſono Rogerum Cocum, iamiam nominatum, notas ſiue obſeruationes Londini 1685 in folio, cum libro eius de officio hominis impreſſas, oppoſuiſſe. Rushworthus praeterea edidit *Iudicium capitale in Thomam Wentworthum* Straffordiae comitem 1641 inſtitutum, 1680. Nalſonus vero ferale in Carolum I a regicidis inſtitutum iudicium, vt in curia inferiori praelectum, teſtimonioque Philippi curiae ſcribae firmatum fuit, cum introductione ſatis ampla Londini 1684 in folio. Tropica autem illorum temporum ab initio regni Caroli I vſque ad reditum Caroli II digeſſit teſtis oculatus magnisque rebus gerendis adhibitus, BVLSTRODVS WHITLOCVS, in *Commentariis* (*Memorials of the English Affairs*) Londini 1682 in folio editis, multa de eo habet Woodus tomo 2 fol. 399, 401 c. 362, vbi commemorat, Arthurum Angleſeyae comitem Memorias iſtas publicaſſe, dolet autem ſimul, indicem additum eſſe omnino non accuratum, quod pretium libri multum imminuit. Non defuere, qui eum Machiauello (eodem

(eodem narrante) compararunt. ROGERII MANLII *rebellionis anglicanae hiſtoria* ab anno 1640-1648 prodiit Londini 1688 latine & anglice in 8. Neſcio vero, an hic liber idem ſit, qui alias Hagae Comitum 1683 impreſſus, cuius titulus eſt: *R. M. Rerum in Anglia geſtarum commentariolus*, ab initio Caroli I vſque reſtaurationem regni ſub Carolo II, Hagae Comitum 1663, *Vita Caroli I* gallice Pariſiis 1664 edita. Bella vero ciuilia latino ſermone deſcripſit GEORG. HORNIVS rerum britannicarum libris 7, Lugduni Batauorum 1647 in 8, quos ſeptem libros neſcio quis ſub nomine *Ereturi Griephiri a Warendorff* germanice vertit, titulo *Maccabaei britannici* inſignitos, in traductione ſatis longa multis annotatis locupletauit, ſeque rerum britannicarum ſatis peritum, ſed ſimul ſeuerum Caroli hoſtem oſtendit, vnde etiam iudicia cruda ſaepe de viris eruditis, Voſſio praeſertim, Laudo, & aliis inſeruntur: vnde cum grano ſalis legendus eſt, & bona a malis ſecernenda ſunt; prodiit 1668 ſine die & conſule. Addatur GEORGII BATEI *Elenchus motuum in Anglia*, duabus partibus latine ſcriptus, & primo Pariſiis 1649 & Francofurti 1650-51 in 4 editus. Addidit poſtea tomum tertium 1669, ſed ſucceſſu admodum impari THOMAS SKYNNERVS, Londini 1676. Licet autem regi ſe addictum ſe oſtendat, non tamen omnibus, qui ab illis

partibus ſteterant, placuit, vnde etiam Robertus Pugh Pariſiis 1664 in 4 *Elenchum elenchi* publicauit. THOMAS MAIVS factioſis velificans ſcripſit *hiſtoriae parlamenti Angliae breuiarium* latine tribus partibus Londini 1649, ab ipſo poſtea anglice verſum, & ibidem ab eodem ſecundum editum anno 1655. Miſerabile eius fatum deſcripſit Woodus vbertim part. 2 c. 2 p. 289 col. 296. *Guilielmi Laudi* archi-epiſcopi Cantuarienſis vitam & cauſſas mortis ipſe ſua manu in arce Londinenſi deſcripſit: Acceſſit iudicium de eo inſtitutum, diarium vitae, & alia varia, quae diu poſt eius obitum *Henricus Whartonus* iuſſu ſucceſſoris Guil. Sanckroftii ſub titulo: *The hiſtory of the troubles and tryal of William Laud* Londini 1695 in folio publicauit. Hicque liber omnino debet opponi GVIL. PRYNNII, hominis doctiſſimi ſed maledicentiſſimi & Laudo infenſiſſimi, *Breuiario vitae Laudi*, Londini 1646 publicato in folio; *iudicii* tamen *capitalis* pars tantum prima prodiit. Coniungi autem debent cum Laudi vita *Scrinia reſerata*, ſeu commentarii de vita Iohannis Williams, epiſcopi primo Lincolnienſis, cuſtodis ſigilli, & demum archiepiſcopi Eboracenſis, qui inter Laudi aduerſarios non poſtremus fuit, malam vero gratiam apud factioſos iniit; edita illa fuit a *Iohan. Hacketo* epiſcopo Lichtfeldenſi & Conuentrienſi fol. 1696. Maio vero opponere

poſſumus

poſſumus CLEMENTIS WALKERI, qui fictum *Theodori Veracis* nomen aſſumſit, *Relationes & obſeruationes hiſtorico-politicas in res geſtas parlamenti, 1640.* vid. Woodus part. 2 c. 88 col. 77, 78, 79. Vocatur autem alias hic quoque liber *Hiſtoria independentiſſimi, (Hiſtory of independency)* Londini 1648 in 4 prodiit, cuius altera pars audit *Anarchia anglicana.* IACOBI HEATHS *hiſtoria bellorum ciuilium, (A brief Chronicle of the late inteſtiue War)* Londini 1663 in 8 prodiit; de qua tamen Woodus part. 2 c. 27 col. 226 hanc fert ſententiam: cum ex libellis famoſis nullo iudicio conſarcinata ſit, innumeris erroribus praeſertim, quod ad loca & tempora attinet, ſcatet. Addit, eandem hiſtoriam cum commentario Iohan. Philippi Londini 1676 folio, & nuper tertiam editionem 1691 prodiiſſe. Melior haud dubie erit, mihi quidem nondum viſa, THOMAE HOBBESII, tot ſcriptis & paradoxis opinionibus celeberrimi, *Hiſtoria motuum anglicorum,* quam ſub portentoſo *Bohemothi* titulo anglice 1679, 80 & 82 Londini in 8 emiſit. GVILIEL. DVGDALII *Hiſtoriae motuum ciuilium Angliae (A short View of the late troubles in England)* Londini ſiue Oxoniae 1687 folio prodiit; Acceſſit narratio de pace Vxbridgiae prope Oxoniam inter Carolum & factioſos tractata, vbi regiis per omnia fauet. *Hiſtoria belli ciuilis M. Britanniae (Hiſtoire des troubles*

de la Grande Bretagne) auctore ROBERTO MENTET DE SALMONET gallice ſcripta, & Pariſiis 1661 in folio edita, magno in pretio a prudentibus habetur, eamque nobis illuſtris Portnerus, dum hic eſſet, vnice commendabat. *Theatrum tragicum* germanica, anglica, belgica & aliis linguis 1649 in 12 editum & praeter ipſius regis ſupplicium aliorumque quoque procerum exitus tragicos continens, paſſim innotuit. *Motuum britannicorum verax Cushi*, ex ipſis Ioabi & oculati teſtis prototypis totus translatus & Roterodami latine 1647 vulgatus, factioſis fauens, & ex variorum commentariis congeſtus eſt. Addatur *Martyr regius*, ſiue vita & mors Caroli I, quae huc quoque pertinet. Ante omnia vero multum iuvabit ipſius regis *Caroli imago*, a prudentiſſimo principe in cuſtodia ſcripta, latine vero 1649 a GEORGIO EARLES, regis theologo, conuerſa & Hagae Comitum eodem anno edita. Quae dein quoque cum ipſius reliquis operibus, tum Londini 1659 in 8 in Bibliotheca regia, tum ſplendidiſſima editione Londini 1661 in folio prodiit. Ego autem editionem minorem anglicam Londini 1685 editam poſſideo. Oppoſuit ſtatim huic libro IOHANNES MILTONVS Londini 1650 *Iconoclaſten*, ſiue imaginis euerſorem; verum hunc excepit anno ſequente *Icon aclaſtos*, ſiue imago illaeſa. Varia autem de hoc libro iudicia

iudicia ferunt dicti viri, quibusdam eo venientibus, vt palam aſſeuerare haud dubitent, librum non a rege, ſed ab alio confectum fuiſſe; vid. acerbiſſima *epiſtola Edmundi Ludlouii*, quam ad Eduardum Seimerum, curiae inferioris ſub Guilielmo III oratorem, ſcripſit, quaeque infra a nobis iterum commemorabitur, vbi p. 29 & quidem ex vero oſtendit, preces Caroli, tempore captiuitatis in libro tranſſcriptas, eſſe ex fabula Mileſia, SIDNEYI *Arcadia*. Adde duas eiusdem epiſtolas ad Holingsuortum 1690, 1692 in 4 expreſſas & *Walkeri narrationem de hoc libro*, quae Londini 1692 in 8 prodiit. Conferatur etiam WINSTANLEII *martyrologium*, vel catalogus eorum, qui ſub Carolo I pro rege & patria mortem, exilium & bonorum omnium iacturam perpeſſi fuerunt, vna cum *facibus proditorum*, ſiue catalogo parricidarum; prodiit Londini 1664 in 8. Cum quo coniungi debet IACOBI HEATH eiusdem argumenti liber, Londini 1663 in 12. Addatur THOMAE HERBERT *Threnodia Carolina* 1678 in 4, qua variae epiſtolae de dictis & factis memorabilibus Caroli I exhibentur. Ceterum dum in hunc Herbertum incido, omnino mentio facienda eſt memorabilis *narrationis de vltimis Caroli*, quam ab eo acceptam Athenis ſuis anglice inſeruit Woodus part. 2 c. 447 col. 514-517, quia ibi quaedam continentur, quae

alibi non legas. Scilicet, vt guſtum modo quendam exhibeamus, I) quod rex Windeſoria ad aulam albam, vbi ſecuri percuſſus fuit, traductus, nihil aliud dixerit, quam: *DEVS Sapientia, Potentia & Clementia vbique ſui ſimilis eſt*; II) quod cum illuc perueniſſet, antequam cibum caperet, precibus & ſacri codicis lectione operam dederit; III) quod crediderit, ſe tantum abdicatum, & in arce Londinenſi cuſtoditum iri, filium vero ſucceſſurum; nunquam enim in animum ſuum introduxerat, rebelles eo dementiae peruenturos, vt patriae patrem in conſpectu omnium trucidarent; IV) quod nunquam in maledicta & diras aduerſus hoſtes eruperit, ſed ſemper DEVM obteſtatus fuerit, vt tantae impietati veniam indulgeret; V) quod cum antea omnia decenter regie peracta fuiſſent, poſtea a tribunis militum indigne habitus fuerit, vnde: *anne*, inquit, *quidquam poteſt eſſe vilius principe ſpreto?* vnde etiam cibum non publice, ſed priuatim cepit; VI) quod cum rex ſecundo a tribunali parricidarum ferali iudicio rediret, miles quidam ad ipſum conuerſus ſolenni Anglorum formula: *DEVS te ſeruet, o Rex!* compellarit, verum mox a tribuno vel centurione plagis egregie mulctatus fuerit; vnde rex: *Poena*, inquit, *culpam excedit*; VII) quod profeſſus fuerit, ſe de iudicibus ſuis octo tantum cognouiſſe; VIII) quod cum ſententia

aduerſus

aduerſus eum ferretur, ſubridens oculos in coelum ſuſtulerit; IX) quod Henricus Herbertus, Carolo ſumme addictus, per Thomam eum monuerit, vt ſecundum caput Eccleſiaſtici, vtpote tunc temporis maxime congruum, perlegeret; X) quod nocte illa, quae obitum eius praeceſſit, per integras quatuor horas tranquille dormiuerit; XI) quod ferali die rex ad ipſum: *Haec eſt ſecunda mea dies nuptialis, in qua ea de cauſſa cultior, quam alias incedam, quod ſperem me ante veſperam cum IESV Servatore meo ſponſalia celebraturum*; XII) quod popoſcerit tunicam craſſiorem, ne, ſi forte ab frigoris intemperiem leui aliquo tremore concuteretur, ſpectatores id aeſtimarent ex metu fieri: "mortem enim, inquit, non ti-„ meo, nec illa mihi terribilis, laus ſit DEO!„ praeparatus ſum. Mors enim homines a mi-„ ſeria huius mundi liberat & vincula carce-„ ris noſtri diffringit„; XIII) quod Herberto S. Codicis exemplar, quo in cuſtodia vſus fuerat, cuique ſua manu varia inſcripſerat, tradiderit, vt filio maiori Carolo II afferret; XIV) quod Hackerus militum tribunus regem ad ſupplicium deducturus, tremula voce allocutus fuerit; XV) quod cum rex ad ſupplicium duceretur, in militum vultu nil niſi moeror & triſtitia conſpecta fuerit; XVI) quod Fairfaxius, cum ipſi Herbertus nunciaret, regem occubuiſſe, ingenti ſtupore perculſus fuerit;

tandem XVII) quod, cum regis corpus ad ſepulcrum deduceretur coelo maxime ſereno, ſubito nix alta & denſa conciderit, adeo vt linteum ſepulctale totum candidum fieret, quod pro ſigno innocentiae habitum. Et haec quidem ex Woodo praeter morem noſtrum excerpſimus, plura in libro ipſo inuenienda ſunt. Denique Carolina tempora quoque illuſtrauit IOSVAE SPRIGGE *Anglia rediuiua; (Englands Recovery)* ſiue hiſtoria rerum a Fairfaxio geſtarum, quae Londini 1647 impreſſa eſt, cuius libri verus auctor eſſe creditur vir illuſtris *Nathan. Fiennes*, teſte Woodo parte 2 c. 481 col. 576, vbi etiam ipſum contra cenſuram Hornii tuetur.

§. VII.

Cromwellii res & tempora illuſtrabunt, qui vitam eius ſtilo ſignarunt, anonymus nempe ſermone latino, Londini 1656 in folio. Alius, qui anglice Londini 1659 id egit. Anonymus item alter, cuius *Politicus ſine exemplo*, ſiue vita Cromwellii primo anglice 1660 prodiit, in germanicum ſermonem conuerſa Noribergae 1663 lucem adſpexit, liber ſane lectu dignus. CARRINGTHONIVS quoque *vitam Cromwellii* anglice edidit, & IACOBVS HEATHVS eiusdem vitam ſub titulo *Flagelli*, Londini 1665 tertio anglice recuſam conſcripſit. Belgico ſermone idem egit anonymus Dordraci 1659 in 12, & iniuſtam pſeudo-ſenatus

anglicani

anglicani & Cromwelli dominationem breviter quidem, aſt ſatis accurate illuſtrauit, cuius ſine nomine diſſertatio Londini 1683 in 12 prodiit. Gallico ſermone RAGVENETVS abbas vitam eius (*Hiſtoire d' Olivier Cromwell*) ſcripſit; prodiit Pariſiis 1691 in 12. italica vero lingua, duobus ſpiſſis voluminibus in 8 hoc argumentum pertractauit GREGORIVS LETI, Amſtelodami 1692, de quo tamen libro ipſi Angli hoc iudicium ferunt; variis fabellis repletum, adeoque eum Voluſianis annalibus comparandum eſſe. *Meditationes politicas* de tyrannide Cromvvellii proſpera, ſcripſit GALLARDVS, Lugduni Batauorum 1671 in 12 editas. Quibus adiunge *Comparationem inter Cl. Tiberium & Oliuierium Cromwellium*, quem primo Groeningae edidit ſub *Petri Negeſeſſii* ficto nomine PETRVS SCHVLTZIVS, celeberrimus in alma Viadrina anteceſſor, ſub vero tandem, ni fallor, nomine emiſſam. Itemque notas hiſtorico-politicas in vitam Cromwellii, Londini 1658.

§. VIII.

Carolum II illuſtrarunt auctor anonymus *Boscouelli*, ſiue hiſtoria fugae Carolinae poſt praelium ad Worceſtriam amiſſum; prodiit anglice in 8 Londini, & Rotomagi gallice 1676 in 12. COOCKIVS *in Tito britannico*, ſiue vita Caroli II, Londini in 8. IACOBVS

HEATHVS *in Reſtituto Carolo II (The Glories and Triumphs of the bleſſed Reſtitution of K. Charles II)* Londini 1662 in 8. THOMAS GVMBLE in *vita Georgii Monckii* Albemarliae ducis, cuius prudentiae Carolus reditum & regnum debuit: gallica tantum huius libri verſio in manus meas peruenit, Rotomagi 1668 edita. Inprimis huc faciunt EDMVNDI LVDLOW *Commentarii* ſiue memoriae, quarum duae partes 1697 in 8 Londini prodierunt, gallicae vero conſuetudini traditae Amſtelodami 1699 in 8: tertia vero, cui acta varia & index acceſſere, anno 1699 Veuaiae in Heluetia anglice 8 lucem adſpexere. Fuit auctor ille regni & tyrannorum, ſi quis alius, infenſiſſimus hoſtis, vnde non Carolo tantum, ſed ipſi Cromwellio paſſim aculeum genuinum infigit, eaque de cauſſa cum poſt abdicationem Iacobi II Berna Heluetiorum, quam ſedem exilii elegerat, in patriam rediret, mox iuſſu ſenatus Angliae ſupremi, tanquam proditor, parricida & perduellis regno excedere coactus fuit. Neſcio vero, an operae pretium fuerit adiungere auctorem anonymi libelli futilis, cui titulus *Iudices iudicati*, Geneuae 1663 gallice excuſum, vbi ex parricidis, quorum vltima ibi verba pathetice recitantur, tantum non martyres efficiuntur. Melius certe ſe geſſit PHILIPPVS ZESIVS in *Carolo II deiecto atque reſtituto*, quem lingua nobis verna-

vernacula Amſtelodami 1662 in 12 repraeſentauit. *Iudicia capitalia Colemanni & Staffordi* gallice 1679 in 8 edita fuere, Staffordianum vero Londini folio anglice prodiit. Huc quoque referatur *Synopſis omnium iudiciorum capitalium hiſtorica* ab anno 1679 vſque ad abdicationem Iacobi, anglice 1690 Londini in 8. THOMAE TANGERFELDII *narratio de conſpiratione Romanenſium*, ab ipſo ſcripta Londini 1679 in 8 in folio partibus 2. Militis BRANCEI eiusdem argumenti narratio Londini 1679 in folio. Supplementa ad hanc narrationem, ibidem eodem anno in fol. RODERICI MAVSELLI de eadem conſpiratione liber Londini 1680 in folio. IOHANNIS SMITHI *Coniuratio pontificia* Londini 1679 in folio. ROBERTI IENISONI eadem narratio Londini 1679 in folio. Cum quibus conferantur LEBRANGII *Hiſtoria coniurationis* 1680 in folio, qui aulae addictior, quae priores tradiderant, omnino eleuare atque infirmare, & tela in Romanenſes detorta in pontificios retorquere conatur.

§. IX.

Iacobi II breue & improſperum regimen ſequens fortaſſis aeuum veris coloribus delineabit. Interim tamen paucos, quos vidimus, in medium producemus, multo plures infra, cum ad acta deuentum erit, eosque larga manu exhibituri. Euoluantur auctores anonymi:

Hiſtoriae arcanae Caroli II & Iacobi II gallice 1690 Coloniae, vt titulus prae ſe fert, & anglice ſub tit. *The ſecret Hiſtory of Whitehall* Londini 1697 in 8 duabus partibus editae, quod tamen opus cum maximam partem ex ſchedis hebdomadariis excerptum ſit, non admodum placet; auctor eſt IONESIVS, prodiit Londini in 8 anno 1667. *Conſtitutionum anglicarum ſeries ab anno 1600-1679* gallice Coloniae 1680 prodiit. Cui affinis eſt *Tragoedia britannica*, ſiue conſpirationes contra Carolum II & Iacobum II vna cum *narratione de exitu Montmorencii*, Coloniae 1686. Sermone latino habemus EZECHIELIS BVRRIDGE *hiſtoriam nuperae mutationis rerum in Anglia*, Londini 1697 in 8 impreſſam, & falſis Aurelianenſis (D'ORLEANS) ſupra commemorati narrationibus oppoſitam. Addatur *hiſtoria motuum anglicanorum* gallica ſub Iacobo II ad inaugurationem Guilielmi III (*Hiſtoire des revolutions d'Angleterre ſous le regne de Iaques II*) Amſtelodami 1689 in 12. TITI OATES notiſſimi coniurationum ſiue indicis ſiue architecti εἰκὼν βασιλικὴ, ſiue character Iacobi II partibus quatuor Londini 1696 & 97 publ. cuius tantum partes tres belgico ſermone, vt & germanico proſtant, quartae vero interpretatio adhuc deſideratur, qui liber cum iudicio vtique eſt legendus, cum nec maiori acerbitate, licet vberiore forſan eloquentiae

Demoſthe-

Demoſthenes in Philippum, Cicero in Antonium ſit inuectus, quam iſte Titus in Iacobum, a quo ſane peſſime fuerat tractatus: nec tamen odio tantopere litare, ſibique omnem debuerat abrogare fidem; nouique, ipſis regibus Guilielmo & Mariae hanc verborum acerbitatem, hasque in ſocerum & patrem inuectiuas, admodum diſplicuiſſe. De GVILIELMI FVLLERI *principe Walliae ſuppoſito*, qui Londini partibus 1696 prodiit, idem pene dixerim: magna certe in titulo promittit hic auctor, ſed ſi liber penitus inſpiciatur, pro theſauris carbones ſuccurrunt. Neſcio, an huc referam *Iacobi* ducis Eboracenſis Londini in folio impreſſas *actiones memorabiles*; *memoriae* certe *comitis Shaffburii* huc pertinent, in folio. Inter Germanos Noribergae 1690 emiſerunt *Britanniam recens armatam*, in 4, cum quo conferatur HAPPELII *Fortuna britannica*, Hamburgi in 4 anno 1689.

§. X.

Agmen tandem claudat Guilielmus III, cuius *hiſtoriam metallicam* (*Hiſtoire du Guillaume III par medailles*) Amſtelodami 1693 in folio publicauit CHEVALIERIVS. *Iter* vero *hollandicum* 1691 ſuſceptum anonymus Hagae Comitum 1692 eadem forma cum imaginibus elegantiſſimis euulgauit. Habemus etiam *hiſtoriam Guilielmi III* gallicam, duobus tomis in 12 Amſtelodami 1687 editam: BVRNETTI

Meditationes ſuper vitam Mariae Stuartae, Hagae Comitum 1695 in 12: Aliam eiusdem reginae vitam Amſtelodami 1698 in 12: *Praeſtoni atque Aſtoni iudicium capitale* 1696 ibidem: & tandem Charnoki & Kingii proditorum cauſſam ex ſermone anglico germanice verſam & Lipſiae 1696 in 8 editam.

§. XI.

Hiſtoricis, quos videre licuit, expoſitis, accedendum eſt ad vitas illuſtrium Angliae miniſtrorum, qui ſub Henrico VIII, Eduardo VI, Eliſabetha, Maria, Iacobo I, Carolo I & II floruerunt, notis politicis *a Dauide Lodio* illuſtratas, & Londini 1679 in 8 editas. *Parallela Eſſexii & Buckingamii* vna cum huius vita & morte, ab HENRICO WOTHONO confecta, quae inter opera eius ſub Wottonianorum elogio 1685 in 8 publicata inuenies. *Vitam Gualteri Rauleigi (The Life of Walter Raleigh)* Londini 8. *Vitam Iacobi Vſſerii*, viri doctiſſimi archiepiſcopi in Hibernia Armacenſis, a Richardo Parturio ſcriptam & cum eius epiſtolis Londini 1680 in folio editam. *Vitam Guil. Bedellii*, epiſcopi Colmorienſis apud Hibernos, Londini 1685 in 8. *Vitam principis Ruperti Palatini*, qui ſtrenue ſed improſpere pro Carolo I aliquoties pugnauit, Londini in 8. *Vitam ducis Nouocaſtrenſis (The Life of the Duk of Newcaſtle)* in folio. *Vitam Matthaei Halei*, inter iudices regios principis,

principis, a Burnetto anglice ſcriptam & gallice quoque verſam. *Vitam Iohannis Comitis Ruffenſis (The Life of the Carl of Rocheſter)* ab eodem Bournetto ſcriptam Londini in 8, & denique *vitam comitis Shaffsburii* ſub titulo: *Rauleigi rediuiui* in lucem 8 editam.

§. XII.

Acta & libellos ad Angliae hiſtoriam pertinentes enarraturi monemus, nos a temporibus vltimis Caroli I telam noſtram inchoaturos eſſe: nam, quae illa tempora anteceſſere, partim a nobis viſa non ſunt, partim in collectionibus iam citatis Rushvvorthi ac Nalſoni magno numero exſtant. Initium igitur facimus a *ſylloge variorum opuſculorum*, anglico quidem idiomate & ab auctoribus Anglis conſcriptorum, ſed in latinam linguam translatorum, quibus Caroli regis innocentia illuſtratur. Sunt autem numero ſex ſupra decem: I) Reſponſum regis ad declarationem ordinum Londini in conuentu ſolenni ſiue parlamento die 28 maii 1642. II) Regis declaratio ad omnes ſibi ſubditos, populos atque regiones 16 iunii 1642. III) Regis oratio ad vtramque curiam 5 iulii 1641. IV) Dauidis Ienkinds iudicis in Wallia ſiue Cambria, lex terrae, in qua ex intimis penetralibus iuris anglicani explicat regimen ab omnibus ſeculis in Anglia vſitatum. V) Hiſtoria independentiae, in qua deſcribitur ortus, incrementum & fraudes

potentiſſimae & inquietiſſimae factiones, quae regem obtruncauit; prodiit antea Londini 1688. VI) Seria ac fidelis repraeſentatio iudiciorum cleri in prouincia Londinenſi menſe ianuario 1649. VII) Excerpta quaedam ex Wilhelmi Svvick remonſtrantia, vt vocat, ad ducem exercitus & concilium bellicum, in qua deteſtatur malignum ſpiritum, qui illos ducit in omnibus conſiliis & actionibus. VIII) Examen diuerſorum votorum, ordinum in parlamento congregatorum auctore anonymo Anglo. IX) Iohann Gauden proteſtatio adverſus propoſitum & proceſſum exercitus & aliorum ad iudicandum & deſtruendum regem. X) Breue memento ad praeſens non parlamentarium conuenticulum tangens Anglorum intentiones & proceſſus ad deponendum & ſupplicio afficiendum Carolum Stuardum legitimum ſuum regem per Guilielmum Prynnium ſupra dictum & mox iterum memorandum. XI) Iudicum academiae Oxonienſis de ſolenni liga & foedere (Anglis *Covenant*) iuramanto negatiuo & conſtitutionibus parlamenti circa diſciplinam & cultum in plena conuocatione 1 iunii 1647 communibus ſuffragiis, nemine contradicente promulgauit. XII) Reſponſum ad famoſum libellum, in quo factioſi explicant rationes, propter quas nuper ſtatuerint. XIV) Regis rationes aduerſus iuriſdictionem ſupremi tribunalis, a quo ad

ad mortem damnatus fuit. XV) Regis oratio in ferali pegmate ante ſupplicium habita. Et tandem XVI) Reſponſum perneceſſarium ad declamationem ſiue prouocationem Iohan. Coockii, qui accuſatorem regis egerat, auctore I. V. A. R. Ceterum in ſylloge illa hoc tantum deſidero, quod interpretes, qui pleraque ex anglico ſermone transtulerunt in latinum, non maiorem ſtili & dictionis curam habuerint. Occiſo Carolo CLAVDIVS SALMASIVS a rege, vt creditur, filio & vidua, largo praemio inuitatus, *defenſionem* pro Carolo I ſcripſit, Lutetiae Pariſiorum 1649 in folio & dein ſaepius in 12 excuſam. Cui IOHAN. MILTONVS, qui vnus omnium optime hoc ſeculo inter Anglos latine ſcripſit, *defenſionem pro populo anglicano* Londini 1650 in folio repoſuit, alioqui etiam in 12 recuſum. Quid de his colluctatoribus Boeclerus in Muſaeo ſentiat, videri poteſt p. 31, 32 ſeq. p. 46, vbi inter alia pag. 42: *Ipſe*, ait, *ſibi documento eſſe poteſt Salmaſius, non idem eſſe vetuſtatis memoriam illuſtrare litteris, & reipublicae atque ſeculi ſui cauſſam tueri ſapientia; Solebat ille Grotii inſigne de iure belli & pacis opus ſatis arroganter aſpernare, & ad omnem ciuilis diſciplinae mentionem tantum non nauſeare. Quis hoc ferat in eo? qui in vniuerſa de iure regum disputatione pleraque rationum momenta tam diligenter a Grotio mutuatur, vt fruſtra nomen*

diſſimulauerit; niſi quod diuerſus a ſuo auctore ſaepius eſt, dum transferendo, quae accepit, deteriora facit, & inuitis Muſis & Apolline immutat. Surrexit interim alius regis defenſor, qui Antuerpiae 1652 in 12 pro rege & populo anglicano *apologiam* contra *Iohannis Polypragmatici* (alias Miltoni) defenſionem deſtructiuam regni & populi anglicani emiſit. Cui oppoſuit ſeſe *Iohan. Philippus*, Miltoni cognatus, reſponſione ad apologiam, cuiusdam tenebrionis pro rege & populo anglice in 12 anno 1652 edita. Nec tacuit ipſe anonymus, ſed ſub *Iohan. Rowelandii* nomine *Polemica* ſiue ſupplementum apologiae pro rege & populo anglicano aduerſus Miltonum, quem ſub cognati perſona pugnaſſe iudicabat 1653 emiſit. Interim PETRVS MOLINAEVS *Iunior* (nam is teſte Woodo tomo 2 col. 791 verſus eſt auctor iſtius libelli) Hagae Comitum 1653 in 4 & 12 publicarat *regii ſanguinis clamorem ad coelum*, in quo Miltonum acerrime lacerauerat. Is vero neſcio a quo perſuaſus (ab Alexandro Moro, celebri tunc temporis apud Batauos, ad quos Geneua ſe contulerat, theologo hoc ſcriptum profectum eſſe) *defenſionem ſecundam contra Morum* edidit, Londini 1655. Cui MORVS Hagae Comitum 1658 *Fidem publicam contra calumnias Miltoni* in 8 repoſuit. *Salmaſii* vero *vltima reſponſio ad Miltonum* Londini demum aliquot poſt eius mortem annis

1660

1660 in 12 prodiit. Ceterum de hoc Miltono, quem peſſimam cauſſam bene egiſſe cordati iudicant, multa Woodus in faſtis Oxonienſibus tomo I col. 880-884, vbi obſeruat, diuinitus quaſi punitum fuiſſe. Cum enim defenſionem primam vix abſoluiſſet, vno fuit captus oculo, cum vero ſecundam publicaſſet, alterum quoque amiſit ac ad mortem vſque coecus permanſit. Adde quod praeter ingentem bis mille librorum anglicorum ſub Caroli II reſtauratione iacturam in ferali incendio Londinenſi 1666 aedes, quas ſolas ex hoc naufragio intactas ſeruauerat, flammis perierint. Ex Germanis noſtris anteceſſor Wittebergenſium celeberrimus CASP. ZIEGLERVS *exercitationes de regicidio anglicano* Lipſiae 1652 in 12 edidit, quae mox anno ſequenti Lugduni Batauorum *cum Iacobi Schalleri*, profeſſoris Argentinatis, *diſſertatione* ad loca quaedam Miltoni in 12 recuſae fuerunt. Pertinent etiam huc *Adami Michaelis Freiſtines* de morte Caroli I Magnae Britanniae regis *orationes* III in 12 recuſae, itemque *Prognoſis politica*, de publico Angliae ſtatu 1654 in 4 excuſa. BOCHARTI *epiſtola* ad Morleyum regis Angliae ſacellanum, in qua tres magni momenti quaeſtiones ventilantur: (1) de presbyteratu & epiſcopatu, (2) de prouocatione a iudiciis eccleſiaſticis, (3) de iure ac poteſtate regum diſceptatio, primo Pariſiis 1651 in 12 excuſa,

& deinde nuper *geographiae ſacrae* nouiſſimae editionis 1692 in folio addita, quamuis etiam iam Francofurtenſi Clodianae appendicis loco acceſſerit. Vbi in transcurſu obſeruo, quod de epiſtola Iohan. Deodati Geneuenſis paſtoris commemorat, a Boeclero fuſius recenſeri in Muſaeo p. 36-37, vbi Deodatus quidem laudatur, ſed reliqui eius collegae mirum in modum perſtringuntur. Tandem his quidem libellis coronidem imponat *Nuncius a mortuis* h. e. colloquium inter manes Henrici VIII & Caroli I Anglia regis Londini 1659 in 8.

§. XIII.

Ad Caroli II tempora quod attinet, priores quidem anni ſatis ſteriles fuere, ſed poſteriores, praeſertim cum diſſidia ciuilia ſub coniurationum tum pontificiae, tum presbyterianae ſchematibus gliſcerent paſſim, tanto feliciores fuere. Collegit ſchedas illas magno ſtudio anonymus, ſub titulo *diſſertationum hiſtorico-politicarum* ad regnum Caroli pertinentium edidit Londini 1689 in folio duobus voluminibus: in priori tomo continentur (1) Anglorum appellatio a conciliabulo aulico Whithehalenſi ad ſupremum ordinum vniuerſorum concilium ſiue parlamentum, qui liber primum 1673 lucem adſpexerat, & aliis quoque linguis publicatus fuerat; (2) index eorum, quae in conventu ordinum menſe febr. 1673 vſque ad octobrem acta fuerant; (3) epiſtola viri illuſtris

ad

ad amicum ruri agentem; (4) Sententia, quas Shaffsburius comes & dux Buckingamius in conuentu ordinum 20 octobr. & 26 nouembr. 1675 (mos enim eſt Anglis, talia virorum illuſtrium ſuffragia calamo & arte typographica excipere, exceptaque typis mandare,) tulerunt; (5) Diſſertationes duae de parlamento 1675; (6) Andreae Maruelli incrementa papatus & dominatus in Anglia, quod ſcriptum etiam gallice 1677 prodiit; (7) Colemanni epiſtolae geminae ad Chaizium, qui a confeſſionibus regis Gallorum eſt, vna cum Chaizii reſponſis; (8) Character ſucceſſoris pontificii, quidque Anglia ab eo exſpectare debeat, prodiit 1681; (9) Apologia duorum vltimorum parlamentorum ſiue regni comitiorum ſub Carolo II habitorum; (10) Epiſtola viri illuſtris, qua reſpondetur Caroli II declarationi, qua ipſa haec comitia abruperat; (11) Scotia ſub miniſterio ducis Lauderdalii auare & ſuperbe regnata; (12) Nebula ſcotica ſiue narratio de iudicio contra Archibaldum Angliae comitem inſtituto; (13) Sententia a Buckingamio 15 febr. 1676 dicta; (14) Cronwellius orbem decipiens, ſiue diſſertatio, qua oſtenditur, omnem commerciorum anglicorum rationem, contra quam multi exiſtiment, a Cronwellio interuerſam fuiſſe; (15) Sententia, quam Buckingamius in concilio ſelecto (Angli *conferentiam* vocant) vtriusque curiae procerum

dixit; (16) Eduardi comitis Clarendonii libellus ſupplex ad ordines regni congregatos; (17) Succincta ſucceſſionis in regno Angliae hiſtoria, ab ipſis regni incunabulis deducta, ſcriptum ſane eruditum & magni pretii; (18) Prouocatio prouinciae ad vrbem de regis perſona, iuribus & religione ſimul proteſtantium conſeruanda; (19) Colloquium Chaizii & quatuor ex ieſuitis praecipuorum patrum de religione pontificia apud Anglos propaganda, ſcriptum ſatyricum; (20) Narratio ſincera de vltimis ad regem ſupplicibus libellis; (21) Eduardi comitis Clarendonii, regni Angliae ſupremi cancellarii, ad ducem Eboracenſem generum, eiusque vxorem, filiam ſuam, de ſacris non mutandis; (22) Diſſertatio de ratione ſuffragia per globulos ferendi Venetis vſitata, (ipſi *ballottare* vocant) vbi optat auctor, vt apud Anglos quoque recipiatur; (23) Catecheſis politica, ſiue quaeſtiones variae de regimine anglicano; (24) Lucae ſententia in curia ſuperiori 22 febr. 1662 dicta, vbi rex Carolus II acerbiſſime perſtringitur; (25) Hollii epiſtola ad Brüningium ſcripta 1676; (26) Shaffsburii comitis ſententia in curia ſuperiore dicta; (27) Excerpta diurnorum ſenatus regii 7 ianuarii 1679; & tandem (28) Cauſſae a quibusdam nobilibus & proceribus expoſitae, quare dux Eboracenſis ob ſacra mutata accuſandus ſit. Tomus ſecundus longe plura

continet

continet; prodiit 1692: ſcilicet exſtant ibi 1) Comitis Clarendonii oratio de exercitu abdicando, 10 ſeptembris 1660 habita; 2) Status Angliae, quod ad res domeſticas & externas attinet, imprimis quatenus ambitioni gallicae expoſitus eſt, conſideratio, ſcriptum egregium & cordatum; 3) Diſſertatio de legibus Angliae ſolennibus ſiue, vt vulgo loquuntur, fundamentalibus; 4) Incendium Londinenſe ex cineribus reſuſcitatum, ſiue denunciationes quaeſitoribus a parlamento delegatis exhibitae, ex quibus apparet, quinam veri huius incendii auctores fuerint (pontificii ſcilicet & dux Eboracenſis); 5) Libelli ſupplices parlamento 1673 oblati, de pontificii cultus incremento & aliis regni malis; 6) Epiſtola ſenatoris ſiue, vt ita loquar, *parlamentarii* ad amicum de iis, quae in curia inferiore menſe octobri 1675 acta fuere; 7) Guilielmi Scroggi ICti Angli oratio ad Angliae cancellarium habita, cum in numerum aduocatorum regiorum referretur, vbi quantum regi, quantum legibus debeatur, curate diſceptat; 8) Diſſertatio de conſiliis gallicanis; 9) Epiſtola ad nobilem, qui membrum parlamenti erat, ſcripta de praerogatione parlamenti 1679 dicta; 10) Exemplum foederis (Angli *aſſociationem* appellant) tempore Eliſabethae inter proteſtantes de conſeruanda regina initi, quod tanto magis obſeruandum venit, quia hoc ipſo tempore pro tuendo

Guilielmo III Angli iterum tale inter ſe foedus pepigerunt; 11) Decretum parlamenti anno 1627, Eliſabethae de hoc foedere latum; 12) Diſſertatio arcana de edicto ſucceſſionis; 13) Collectio ſententiarum in curia inferiore 1680 dicta; 14) *Ichnographia* (barbare *proiectum* vocant) edicti, quo Iacobus a ſucceſſione regni excludi debebat; 15) Diſſertatio de rebus ſcoticis, vt ſub Lauderdalii miniſterio ſe habuerunt, in qua ille foedum in modum laceratur; 16) Ciuitatis Edenburgenſis (caput illa eſt Scotiae) libellus ſupplex regi die 13 nouembris 1680 oblatus; 20) Eiusdem curiae libellus ſupplex, quo petunt, vt rex Georgium Ieffreyum, (qui poſtea ſub Iacobo II regni Angliae cancellarius fuit, & peſſime ſe geſſit) ab omnibus muneribus & honoribus excludat; 21) Regis ad curiam inferiorem, de Tingi, vulgo *Tanger* vocant, declaratio; 22) Libellus ſupplex curiae inferioris, regi propter hanc declarationem 29 nouembris 1680 oblatus; 23) Alius eiusdem curiae libellus regi 21 decembris eiusdem anni oblatus; 24) Narratio quaeſitorum a curia inferiore ad iudicum acta examinanda deſignatorum; 25) Narratio aliorum quaeſitorum, quos eadem curia deſignauerat, vt in Richardum Tipſonum inquirerent, & ſententia de eo in iudicium vocando; 26) Accuſatio Guilielmi Siroggii, iudicii praeſidis a curia inferiore inſtituta; 27)

Ciuium

Ciuium Londinenſium libellus ſupplex ad regem die 13 ianuarii 1680, quo petunt, vt parlamentum huc vſque prorogatum denuo conuocetur, vna cum ſententiis in concilio ciuium dictis; 28) Vox patriae, ſiue ciuium Angliae ingenuorum indignatio aduerſus pontificios, regimen deſpoticum, ducem Eboracenſem ſiue alium ex Romanenſibus ſucceſſorem ex libellis ſupplicibus diuerſarum prouinciarum, vrbium, municipiorum ad membra conuentus regni Oxoniae 21 martii 1680 celebrandi collecta; 29) Henrici Boethii oratio, quam Ceſtriae 2 martii 1681 habuit, cum inter oratores illius prouinciae ad conuentum Oxonienſem deſignatus foret; 30) Curiae Weſtmonaſterienſis iudicium aduerſus quoſdam inſtitutum, qui libellum ſupplicem de parlamento celebrando offerendum lacerauerant, vna cum ipſo libello & regis reſponſo; 31) Sententia academiae Oxonienſis, qua 21 iulii 83 libros quoſdam regibus eorumque regimini totique humano generi iniquos condemnant & proſcribunt, quae tamen non omnibus Anglis placuit; 32) Iudicium capitale comitis Archilii; 33) Epiſtola Caroli II, qua Antrinium marchionem purgat, & quicquid in Hibernia commiſerit, iuſſu parentis ſui perpetratum fuiſſe fatetur; 34) Vox populi, qua expoſcitur, vt comitia regia habeantur; 35) Securitas Anglorum ſiue diſſertatio de poteſtate

& officio Angliae iudicum, quos *iuratos magnos* vocant; 36) Oratio, quam Stephanus Coledgius 31 auguſti 1681 Oxoniae habuit, antequam ſupplicio capitis afficeretur; 37) Oratio Ruſſelii eiusdem argumenti 21 Iulii 1683; 38) Algernoni Sidnei (qui inter iudices Caroli I non poſtremus fuit) libellus ſupplex ad regem; 39) Eiusdem oratio ante ſupplicium 7 decembris 1683; 40) Sam. Iohnſonii (qui poſtea ſub Iacobo II publice virgis acerrime caeſus fuit) quatuor diſſertationes de magiſtratu, de iure regio ex codice ſacro demonſtrato, de obedientia, & de legibus; 41) Schediaſmata bina, manu Caroli II ſcripta, iuſſu vero Iacobi II publicata, vna cum annotationibus ad haec ſchediaſmata; 42) Iohan. Hutleſtonii narratio de obitu Caroli II, ex qua abunde patet ipſum Romanenſium ſacris addictum fuiſſe; 43) Obſeruationes in Iacobi II edictum 12 februarii 1686 in Scotia de tolerandis quibusuis a cultu anglicano diſſentientibus propoſitum, vna cum ipſo edicto; 44) Eiusdem regis edictum de libertate conſcientiarum; 45) Epiſtola continens obſeruationes in edictum; 46) Epiſtola eiusdem argumenti ad quendam cultui anglicano non addictum; 47) Anatomia ſiue conſideratio aequiualentis (ſic Angli tunc temporis vocabant commoda illa, quae rex ciuibus afferebat) ſi iusiurandum, in quod de pontificia religione ſuſpecta adigebantur, abrogare

abrogare vellent; 48) Epiſtola ciuis Londinatis ad amicum ruri agentem, cur edictum regis populo non debeat praelegi; 49) Reſponſio ad hanc epiſtolam; 50) Hiberni nobilis epiſtola ad amicum Londinenſem de ſchediaſmate, cui titulus: Apologia regiminis in Hibernia ſub Tyroconnellio pro rege; 51) Diſſertatio de vexationibus diſſentientium, (ſic vocantur omnes eccleſiae anglicanae haud addicti) quarum culpa in eccleſiam anglicanam reiicitur; 52) Demonſtratio, quod monaſteria & alia cleri bona, nondum in eo ſtatu ſint, vt a pontificiis ſecure poſſideantur nobilibus, qui illa ſacra colunt dedicata; 53) Regis in eccleſiaſticis rebus poteſtas ſolide explicata; 54) Epiſtola Fagelii ordinum Batauiae oratoris (ipſi *penſionarium* vocant) ad Iacobum Stuardum cauſſarum patronum, in qua principis Auriaci ac vxoris Iacobi II filiae maioris ſententia de abrogatione iurisiurandi antea dicti (Anglis audit *Teſt*,) & legum, queis poenae Romanenſibus infliguntur, explicatur; 55) Notae in hanc epiſtolam; 56) Animaduerſiones ad reſponſum huic epiſtolae datum; 57) Obſeruationes ad diſſertationem, cui titulus: Conſilium clero anglicano diſſentientibus & pontificiis ſuppeditatum; 58) Mala, quae ex odio inter eccleſiam anglicanam, & ab eo diſſentientes, puritanos ſcilicet ſiue presbyterianos, originem trahunt; 59) Periculorum

proteſtantibus in magna Britannia impedientium repraeſentatio; 60) Auriaci principis declaratio, quare Angliam armata manu aggreſſus fuerit; 61) Altera eiusdem declaratio; 62) Eiusdem declaratio tertia, ſed ſuppoſititia; 63) Ianſonii ſchediaſma, ob quod poſtea virgis caeſus & in ſaxo infami omnium ludibrio expoſitus fuit; 64) Eiusdem diſſertatio de perpetuo exercitu & dimiſſione militis ciuici & indigenae; 65) Archi-epiſcopi Cantuarienſis & aliorum epiſcoporum ac clericorum libellus ſupplex ad Iacobum II; 66) Procerum ſacrorum & profanorum ad eundem libellus de celebrandis liberis comitiis; 67) Auriaci epiſtola ad exercitum anglicanum; 68) Georgii Daniae principis epiſtola ad Iacobum; 69) Chirchillii epiſtola ad regem et Annae Danorum principis epiſtola ad reginam; 70) Anglorum proteſtantium libellus ſupplex ad principem Auriacum & vxorem; 71) Herberti thalaſſiarchae epiſtola ad centuriones & ſocios nauales claſſis anglicanae; 72) Delamerii oratio; 73) Foedus procerum & nobilium Ex-Ceſtrenſium, quo pollicentur, ſe principi Auriaco in defenſione ſacrorum & legum Angliae promte adfuturos; 74) Declaratio procerum & nobilium, qui Nottingamiae 22 nouembris 1688 conuenerunt; 75) Ducis Nortfolcienſis oratio ad conſilium illius vrbis habita; 76) Principis Auriaci oratio ad nobiles

comi-

comitatus Tommerſeltiae & Dorceſtriae, habita, cum 15 nouembris 1688 ipſum conuenirent; 77) Epiſtola comitis Deuoniae ad conſulem Darbienſem; 78) Epiſtola equitis Angli ad amicum Londinatem. Accedit libellus ſupplex ad ducem Nortfolcenſem; 79) Ducis reſponſio & ſecunda oratio habita 10 decembris 1688; 80) Procerum anglicorum in aula aurea congregatorum edictum 11 decembris 1688 propoſitum; 81) Scheda principi Auriaco a Iacobi II legatis exhibita, eiusque reſponſum; 82) Oratoris Priſtolienſium oratio ad Auriacum; 83 & 84) Londinenſium libelli ſupplices ad eundem; 85) Trebii oratoris Londinenſium oratio ad Auriacum; 86) Auriaci oratio ad proceres Scotos; 87) Imperatoris romani Leopoldi epiſtola ad Iacobum II; 88) Procerum & ordinum Angliae edictum, quo Iacobus II abdicatur; 89) Verba ſolennia, quibus Guilielmo & Mariae in vrbe regia regnum publice delatum fuit; 90) Scotica Iacobi II abdicatio; 91) Formula ſolennis, qua Scoti Auriacos pro regibus ſuis agnouerunt; 92) Modus, quomodo rex & regina diademate cingendi ſacramentum ſolenne dicatur; 93) Anglicum & ſcoticum iusiurandum, in quod reges adiguntur; 94) Diſſertatio proceribus ciuibus exhibita, quomodo adminiſtratio regni ſtabilienda ſit; 95 & 96) Diſſertationes duae, in quibus euincitur

concilium ab ordinibus poſt Iacobi fugam habitum iuſtum regni Angliae ordinum conuentum fuiſſe; 97) Priuati meditationes de auſo nobilium Eboracenſium menſe nouembri 1688, in quibus oſtenditur, aequum & verum eſſe, vnumquemlibet ſe contra oppreſſores iniuſtos defendere; 98) Diſceptatio, quatenus ſupremae regum auctoritati obediendum ſit, ſimulque cauſſa exponitur, cur ciuibus integrum ſit, ſacra, leges & priuilegia tueri; tandem 99) Diſſertatio, qua probatum it auctor, ſacramento nuper ab Anglis de officio ſeruitutis praeſtando non eſſe, quod Iacobi fautores volebant, teſſeras ſeruitutis.

§. XIV.

Antequam his voluminibus abſolutis ad alia accedam, omnino etiam aliquid dicendum eſſe arbitor de *commentariis ducis Angleſcii pro ſucceſſione Iacobi*, 1688 in folio publicatis, in quibus vir perilluſtris, ſed partium Iacobi ſtudioſiſſimus, multis oſtendere conatur, nullum Anglos damnum facturos, nulla incommoda ſenſuros, ſi Iacobus ſceptro potiatur, quem tamen falſum fuiſſe, triſtis experientia docuit, ſuntque eiusdem farinae commentarii ſiue memoriae eiusdem ducis a *Petro Petto*, Londini 1683 in 8 publicatae. Merito autem his opponimus GILBERTI BOVRNETTI, epiſcopi Sarisburienſis, (quem Iacobus aduerſarium acerrimum & doctiſſimum ſenſit) *ſchediaſmata*

de

de rebus ſacris & ciuilibus ſub Iacobo II, quorum 17 iam apud Batauos impreſſa fuerant, poſtea vero iunctim Londini 1689 prodierunt: Sunt autem I) Cauſſae, quare iusiurandum ſiue *Teſtum* antea commemoratum, abrogari non debeat, proceribus vtriusque curiae 1687 die 20 aprilis oblatum; II) Obſeruationes in regis edictum in Scotia propoſitum, ante iam laudatae; III) Epiſtola continens obſeruationes in regis edictum de libero ſacrorum cultu; IV) Reſponſum ad epiſtolam Henrici Payne, quo regis edictum, quod *indulgentias* vocabant, examinatur; V) Reſponſum ad ſchediaſma virulentum regis permiſſu impresſum, cui titulus: Nouum iusiurandam, ad cleri anglicani fidem demonſtrandam; VI) Melfortii comitis epiſtola ad theologos presbyterianos Scotos cum annotationibus; VII) Animaduerſiones in libellum infamem Samuelis Parkeri, epiſcopi Oxonienſis, qui audit Parlamentum pacificum; VIII) Apologia eccleſiae anglicanae; IX) Excerpta ex Iacobi Stewarti epiſtola ad Fagelium cum annotationibus; X) Excerptum ex legibus romanis, & quidem *l. 25 ff. de ventre inſpiciendo*; XI) Diſceptatio ſupra memorata de auctoritate regum; XII) Animaduerſiones ad principis Auriaci edictum caſtigatae; XIII) Regis Iacobi euocatio, qua Burnetus monetur, vt iudicio ſeſe ſiſtat, laeſae maieſtatis arguendus vna

cum eiusdem tribus epiſtolis ſuper hac re ad Middledonium comitem; XIV) Bourneti apologia contra calumnias ſibi in Parlamento pacifico adſperſas; XV) Epiſtola continens annotationes ad ſchediaſmata Caroli II ſupra commemorata; Demum XVI, XVII & XIIX) Parkeri de iureiurando ſolenni abrogando disceptatio, cum Bournetti reſponſis & annotationibus. Porro recenſendi ſunt eiusdem *Burnetti diſceptatio* de facie rerum apud Anglos admodum turbata, in quo ſchediaſmate inter alia diſceptatur: num regi Iacobo fides ſit ſeruanda? num conditiones pacis ab eo propoſitae accipiendae? denique num is ab exilio reuocandus? Londini 1689 in 4. Eiusdem *obſeruationes* ad ſchediaſma, in quo Iacobus cauſſas ſui diſceſſus a Roceſtria exponit, Londini 1689 in 4. Eiusdem *homilia*, quam in ſacello Iacobeo coram principe Auriaco 23 decembris 1688 habuit, Londini 1689 in 4 recuſa. Alia eiusdem *homilia* coram curia inferiore 31 ianuarii 1689 recitata, in qua orator diſertus Deo agit gratias ob liberatam exitio Angliam, Londini 1689 in 4. Eiusdem *ſermo*, cum reges Guilielmus & Maria diademate cingerentur, Londini 1689. Eiusdem *epiſtola encyclica* (*paſtoralem* barbare appellant) ad clerum Satisburienſem, in qua de ſacramento regibus Guilielmo & Mariae dicendo agit: Londini 1689 in 4. Quae epiſtola eo, quod

regi

regi nimium tribuere videtur, grauem auctori ſuo inuidiam peperit, parumque abfuit, quin iuſſu parlamenti manu carnificis exureretur. Porro prodiere 1689, cum Britannia ingenti adhuc tumultu arderet, ſequentia ſcripta, omnia Londini in 4 excuſa: I) Socratis Chriſtiani quaeſtiones de ſtatu, legibus, iure ſacro & profano Magnae Britanniae; II) Detectio caedis horrendae, qua Eſſexius comes in carcere periit, qui libellus gallice etiam verſus Ferguſonium quendam, qui a ſacris Monmuthi, mirusque turbarum artifex fuit, auctorem haberi creditur; III) Ingenua narratio, quid faciendum ſit, ſiue quid ex re omnium Chriſtiani orbis potentatuum ſit, poſtquam Guilielmus & Maria ſceptro britannico potiti ſunt; IV) Status Angliae praeſens vindicatus & adminiſtratio regni ſub Iacobo, ſiue reſponſio ad epiſtolam ſeditioſam membri eccleſiae anglicanae ſinceri, ad factioſum reipublicae turbatorem ſcripta ab equite Hiberno; V) Diſſertatio de natura, poteſtate, effectu illius, quod Auriacus princeps conuocauerat ordinum Angliae concilium; VI) Clerici epiſtola ad vicinum de ſtatu regni anglicani, & de fide, qua regibus ciues obſtricti ſunt; VII) Vtilitas eius, vt nunc ſe habet Angliae ſtatus, & periculum, ſi is immutetur, ingenue expoſitum; IIX) Hiſtoria abdicationis a menſe ſeptembri 1688 vſque ad 12 februarii 1689, a

viro nobili digeſta; IX) *Aut Guilielmus aut Ludouicus*, ſiue demonſtratio Anglis omnino alteri horum obtemperandum fore, neque iam diſceptari, vtrum regnent Iacobus an Guilielmus, ſed vtrum Anglia potiri debeat Guilielmus aut Ludouicus, ab equite Ceſtrienſi elaborata; X) Conſiderationes de ſucceſſione & obedientia principi praeſtanda; XI) Conſiderationes de vltima rerum conuerſione; XII) Diſceptatio de iureiurando regibus praeſtando nouis; XIII) Claſſicum ad ingenuos in Anglia proteſtantes aduerſus abdicationem regis legitimi Iacobi II, obſeruationibus illuſtratum; XIV) Occulta de Anglia in ſeruitutem redigenda conſilia detecta; XV) Expoſitio cauſſarum, quae Carolum II mouerant, vt cum Belgis bellum 1672 moueret, & de foedere, quod cum rege Galliarum iniuit de cultu latino apud Anglos, Scotos & Hibernos reſtituendo, quae cauſſae deſumtae ſunt ex libro gallico de bello belgico, cum priuilegio regis impreſſo Lutetiae, ſed mox cum orator anglicus intercederet, ſuppreſſo; XVI) Dialogus duorum amicorum de vltimis Angliae turbis & iureiurando regi praeſtando; XVII) Examen ſcrupulorum, quibus illi vexantur, qui in iusiurandum nuper propoſitum adigi nolunt, auctore theologo Anglo; XIIX) Diſſertatio, qua oſtenditur, male illos ſibi conſulere, quod ſacramentum regibus dicere nolint,

ſchiſma

ſchiſma meditantur; cum reſponſione ad hiſtoriam obedientiae, vt vocabant, paſſiuae, qui liber, vt ex annotatione mſta mihi innotuit, auctorem habuit Eduardum Stillingfletum, celeberrimum & eruditiſſimum eccleſiae anglicanae theologum/ruri agentem, de hoc ipſo argumento exarata; XX) Epiſtola theologi Eboracenſis ad amicum in caſtris Auriacis verſantem, qua oſtenditur, nequaquam poſſibile eſſe, vt pax firma & ſtabilis cum pontificiis, qui Iacobi partium erant, ineatur; XXI) Samuelis, epiſcopi Oxonienſis, cauſſae, quare iusiurandum pontificiis propoſitum, ſit abrogandum, refutatae a Sam. archidiacono Cantuarienſi. Prodierant etiam 1688 Iacobo adhuc regnante 1) obiectio validiſſima contra abrogationem legum, quibus Romanenſibus mulctae infliguntur; 2) Breuis diſſertatio Herberti epiſcopi Harefordenſis de regis edicto, quo ſacrorum libertas omnibus promiſcue indulgetur, publice in templis praelegendo; 3) Diſſertatio nobilis ruſticantis ad amicos Londinenſes, de legibus, quas poenales vocant; 4) Meditationss liberae viri illuſtris de his ipſis legibus; 5) Narratio de iis, quae circa expulſionem ſociorum collegii Magdalenaei, quod Oxoniae eſt, iuſſu regis Iacobi acta fuere; 6) Apologia iudicum & iudicii in cauſſa epiſcopi Londinenſis inſtituti; 7) Epiſtola ad auctorem huius apologiae auctore Philonomo

Anglico, Eleutheropoli, vt titulus prae ſe fert, ſiue Londini excuſa; 8) Philippi Nyaei regis auctoritas, in temperandis imo abrogandis legibus ſacris vindicata, quod ſcriptum pro Iacobo facere ipſe titulus indicat; 9) Demum diſſertatio de iudicio eccleſiaſtico in camera Hieroſolymitana 10 octobris inſtituta. Anno 1690 & ſequentibus annis publicatae fuere 1) Anatome Iacobitae, ſiue fautoris partium Iacobi; 2) Epiſtola equitis Angli ad virum perilluſtrem, de aeſtimatione praediorum & aedium Anglis vſitata, & comparatione vectigalium ac tributorum, ciuibus in aliis regnis ac prouinciis impoſitorum, vna cum incremento commerciorum tempore belli; 3) Diſſertatio de neceſſitate artium illiberalium, ſiue ſellulariarum, quas minus latine *mechanicas* vocant; 4) Paulus periſtromatum confector, ſiue diſſertatio, in qua euincitur, religionem omni tempore per artes iamiam dictas conſeruatam, imo propagatam fuiſſe; 5) Bournetti collectio diſſertationum poſt detectam conſpirationem pontificiam, ab anno 1675-1685 ſcriptarum; 6) Apologia diſſertationis de noua ſeparatione, in qua iniquitas illorum, qui eam meditantur, aperte detegitur, 1691 in 4; 7) Regis Guilielmi oratio, qua vtramque regni ordinum curiam die 4 nouembris 1692 allocutus eſt; 8) Annotationes ad formulam ſolennem precum, qua Iacobei in Anglia vſi

vſi fuerunt, in qua hominum iſtorum fraudes & verſutiae deteguntur, Londini 1690. Inter paralipomena actorum & commentariorum recenſemus ſcriptum Londini 1681 euulgatum, in quo auctor ſermone ad clerum anglicanum, pontificios & presbyterianos directo, perſuadere conatur, ex re ipſorum eſſe, vt leges poenales dictae abrogentur. Item H. V. P. *epiſtola latina de nuperis Angliae motibus*, nempe cum Mommutius in Angliae, Argilius in Scotiae littora exſcenſionem, quamuis infauſtam, facerent, & Iacobum II armis appeterent, in qua de illorum, qui diuerſum a publica religione circa diuina ſentiunt, tolerantia diſſeritur, Roterodami 1685 in 4. *Epiſtola de ſtatu Angliae*, vt in praeſentia ſe habet, & de regum ſuprema poteſtate. *Conſilia pontificiorum* de ſecta ſua apud Anglos propaganda, ex mſcto Iacobo II repraeſentato excerpta & cum orbe chriſtiano communicata ab *Eduardo Geo*, Londini 1690 in 8. *Epiſtola* ICti Galli ad nobilem Anglum, in qua agitur de motibus anglicis, Londini 1689 in 4. *Obſeruationes politicae* in motus anglicanos, Coloniae 1698 gallice. *Origo calamitatum Angliae*, Hagae Comitum 1690 in 12 gallice. *Apologia Britannorum* contra auctorem anonymum protreptici ad exules Gallos, Londini 1692 in 8. Tandemque *Hiſtoria ſuccincta presbyterorum & independentium*, Londini in 4.

§. XV.

Hiſtoriam pomparum anglicarum non parum illuſtrabunt ſequentes auctores: Nempe IOHAN. SELDENI *Tituli honoris*, primo anglice ſcripti, ſaepiusque ac omnium quidem, vt ego reor, optime Londini 1684 fol. editi; & nuper etiam ante biennium, aut quod excedit, latine recuſi: in quo libro, vt reliquarum gentium, ita imprimis Anglorum dignitates ſolide ſimul & erudite explicantur. GVILIELMVS SEGAR *Honores* militares & ciuiles, ſcriptos ſermone anglico, Londini 1602 in fol. impreſſit. GVIL. DVGDALII *Origines iuridiciales (Baronage of England)* edidit Londini 1666-1671 folio. THOMAS MILLES librum lat. *de nobilitate politica & ciuili*, Londini 1608 fol. FRANCISCVS MARSHAMVS *quinque decades epiſtolarum*, quas ipſe, quia de dignitatibus agunt, *honorarias* vocat, Londini 1625 fol. excuſas. Quia autem inter praecipuas Angliae pompas principem locum obtinet illa, qua viris illuſtribus tam indigenis, quam exteris ordo periſcelidis ſeu D. Georgii confertur, omnino inſpiciendus eſt praeſtantiſſimus liber, quem de hac equeſtri militia *(of the Garter)* eiusque origine, legibus & ceremoniis conſcripſit ELIAS ASHMOLIVS, & cum elegantiſſimis figuris aeneis ſermone anglico Londini 1672 in folio emiſit. Eo autem melius de pretio huius libri iudicare

poſſumus,

poſſumus, quia ipſum in his oris alioqui admodum rarum non indiligenter tractauimus. Cum Ashmolio coniungi poſſunt *Narratio* anonymi de creatione equitum Georgianorum 1661 d. 16 - 17 aprilis celebrata, quae Londini eodem anno in 4 prodiit. *Anonymi* alterius liber, in quo nomina, cognomina, tituli & teſſerae gentilitiae omnium principum, procerum, equitum huius ordinis ab ipſis eius incunabulis enarrantur, Pariſiis 1647 in folio. MONDONVS BELVALERIVS ſcripſit libellum, cui titulus *Speculum Anglorum*, vel catechiſmus ordinis periſcelidis equitum, quem Philippus Poſtquierus Coloniae Aprippinae 1634 in 8 publici iuris fecit. WENCESLAVS CLEMENS A LYBEO MONTE, poëta non vſque adeo excellens, Lugduni Batauorum 1634 luci expoſuit *Garteriados* ſiue aureae periſcelidis libros duos latine, quibus equitum Garteriorum origo, incrementa & progreſſus delineantur. Nec negligendi nobis veniunt *equites balnei*, ſolis Anglis vſitati, de quibus ſelecta nec vulgo obuia attulit EDVARDVS BISSAEVS in *notis ad Nicolai Vptoni tractatum de teſſeris gentilitiis*, quem vna cum *Iohanne de Bado aureo* & de *Henrici Spelmanni aſpilogia* Londini 1654 in folio emiſit. De fecialibus Angliae huc quoque pertinentibus egit EDMVNDVS BOLTONVS in *Inſtitutionibus artis heraldicae* Londini 1610 in 4. MATTHAEVS

CHARTERIVS in *Honore rediuiuo*, Londini 1673 tertium impreſſo. IOHAN. GVILINI in *Ichnographia artis heraldicae*, (*A Diſplay of Heralday*) Londini 1658 & 1666 fol. edita, & ſaepius recuſa; Et plures alii, quos multis e-narrare noſtrum non eſt. Quod ad regum attinet inaugurationes, conſuli debet *anonymi collectio* ex libro regali de coronatione regis & reginae, Londini 1661 in 4. ROBERTI DVGLASSII Scoti *hiſtoria coronationis Caroli II*, impreſſa Londini 1660 in 4. IOHAN. OGILBYI eiusdem argumenti liber, elegantiſſimis imaginibus exornatus, Londini 1662 in folio. Alius quoque *anonymus laetum Iacobi I aduentum ex Scotia in Angliam*, quibusque apparatibus exceptus fuerit, deſcripſit & Londini 1603 in 4 euulgauit. Quo de argumento etiam exſtat liber *Iohan. Sauilii* Londini 1603 in 8 editus. Henrici Cambriae principis exequias *anonymus* Londini 1613 in 8 publicauit. Alius autem 1646 eadem forma Roberti funus comitis Eſſexii, & Franciſcus Sandfordius pompam funebrem Georgii Moncuii Albemarliae ducis Londini 1670 fol. publicarunt.

§. XVI.

A pompis properamus ad epiſtolarum ſcriptores, ad oratores & poëtas. Inter epiſtolas familiam ducit *Cabala*, ſiue *Scrinia ſacra* aut *arcana dominationis*, (*Myſteries of State and Governement in Letters*) id eſt, epiſtolae

a

a ſummis regni proceribus & regiminis adminiſtris, regnantibus Henrico VIII, Eliſabetha, Iacobo & Carolo I ſcriptae, quarum prima editio Londini 1654 in 4, poſterior vero longe locupletior 1691 fol. prodiit: dignus certe lectu eſt hic liber, & prudentiae ciuilis cultoribus admodum fructuoſus, quique ſimul hiſtoriae anglicanae illorum temporum non exiguam affert lucem. Iuuabit quoque ad tempora Iacobi conferre *epiſtolam latinam Guil. Camdenii*, 1692 a Thoma Smitho Londini in 4 publicatam: nam licet pleraque ad rem litterariam pertinere videantur, inſunt tamen multa, quae ad res illius aeui faciunt. HENRICI WOTTONI epiſtolae ad varios, quae vna cum reliquis viri operibus ſupra indicatis prodierunt, imprimis illae ad Edmundum Baconem, nobis Germanis vel nomine aeſtimari debent, quod non Anglica tantum, ſed etiam pleraque belli bohemici geſta ibi fideliter enarrantur, cum Wottonus illo tempore oratorem Iacobi regis in aula Caeſaris Ferdinandi II egerit. Epiſtolae anglicae *(Familiar Letters)* IACOBI HOWELII libris quatuor editione ſexta Londini 1688 in 8 recuſae, & maximam partem ſub finem Iacobi I & regnante Carolo I ſcriptae, mirifice lectorem & oblectant & inſtruunt, omninoque ab hiſtoriae anglicanae ſtudioſis euoluendae ſunt. Cum Cromwellius rerum potiretur, Iohannes

Miltonus, magnum quidem, ſed non vſque adeo bonum nomen, quamuis coecus, epiſtolis tamen publica auctoritate exarandis ob elegantiam ſtili latini adhibitus fuit, vnde prodierunt eius litterae nomine pſeudo-ſenatus anglicani ad diuerſos in orbe chriſtiano principes & reſpublicas ſcriptae, quae tum 1658 Londini in 12 prodierunt, tum etiam non ita pridem in Germania recuſae fuerunt, quamuis praeter verba honoris & formulas ſolennes parum aut nihil contineat: vnde mihi magis arrident epiſtolae familiares, quamuis hiſtoriam parum iuuantes, ſed rem litterariam mirifice illuſtrantes, quas Londini 1674 in 8 publicauit. Exſtant etiam volumina duo epiſtolarum comitis Roffenſis (*Familiar Letters of the Earl of Rocheſter*) ingenio elegantiſſimo, ſed quo male vſus vel potius abuſus eſt; quibus aliorum quoque acceſſere, quas inter huc pertinent epiſtolae ALGERNONI SIDNEII, queis reges turpiter inſectatur, lucem adſpexere Londini 1697 in 8.

§. XVII.

Oratores & poëtae non magno admodum numero occurrunt, cum Angli hoc praeſertim ſeculo aliis potius litteris, quam elegantioribus, dederint operam. Iuuabit tamen commemorare *iuſta parentalia Mariae Stuardae* 1695 defunctae, quae ſummi in Belgio viri, Fridericus Spanhemius, Iohannes Georgius Graeuius,

Graeuius, Iacobus Perizonius, Petrus Franzius, celebrarunt, quorum orationes ſeparatim in Batauia editae, vno volumine eo, quem dixi, anno recuſae & Lipſiae paullo poſt, opera illuſtris Carpzouii, denuo publicatae fuerunt. Inter poëtas commendanda mihi videntur opera Iohannis Cleuelandii, poëtae Angli regiis partibus deditiſſimi, Londini 1687 impreſſae: multa enim ibi continentur poëmata ad hiſtoriam illius temporis ſpectantia, vt & epiſtolae, e. g. epitaphium Straffordii, elegia in Laudum, anarchia ruralis aduerſus ſeditioſos ſcripta, apologia pro Digbei oratione in cauſſa Straffordiae comitis, geminum in Caroli I necem carmen, chronoſtichon in regis necem, ſatyra in Hoilium regis parricidam ſibi ipſi laqueo fauces praecludentem, ſatyra in Thomam Martinum, epigramma in Nortantonium, & quae alia huius generis. MICH. DRYDENII poëtae Angli *Polyolbion*, libris, ſiue, vt ipſe Italorum more ſolet loqui, cantibus 30 conſtans, anglicoque ſermone exaratum, maximi eſt pretii, adeo vt etiam Iohan. Seldenus, hiſtoriae anglicanae feliciſſimus & erudit iſſimus vindex, dignum cenſuerit, huius 18 libros priores notis doctiſſimis non magis illuſtrare quam exornare, Londini 1612 & 1622 fol. BARLAEVS in heroicis ſuis l. 1 p. 153 gratulationem habet in aduentum Henricae Mariae Britanniae &

Hiberniae reginae, idemque l. 2 ſpectacula in aduentum reginae Britanniarum exhibita, oratione metris vincta deſcripſit. NICOL. HEINSIVS eleg. 10 l. 3 Georgium Monckium a nobis ſaepius laudatum celebrat; l. 4 eleg. 9 in Anglos Batauis bellum inique molientes inuehitur; Siluarum l. 3 p. 192 Carolum nefarie a ſuis trucidatum deflet, p. 204 in effigiem Caroli II ludit. In KINSCHOTI poëmatum libro 3 p. 127 legimus epigram. ad principes Europae occiſo Angliae rege; & p. 125 votum pro Carolo II Anglorum rege ad Scotiam; ac tandem l. 4 p. 192 diras in Britannos regicidas. In Muſarum anglicarum analectis 1692 in 8 editis funera regum Britann. huius ſeculi p. 27, 54, 61, 182, 189, 206 & 211 deflentur: pag. autem 22, 24, 33, 57, 172 & 194 plectra in laudes eorum mouentur *. Imprimis vero laudabile eſt *opus poëmatum ſatyricorum in Carolum II & Iacobum II* anglice a variis ſcriptorum, quorum ſylloge Londini 1697 in 8 prodiit, vix ab vllo rite legenda, niſi qui ſermonis anglicani & hiſtoriae ſimul illius temporis interiore notitia imbutus fuerit. Si fabulas Mileſias ſub ludicris ſeria adumbrantes, vt paſſim fecimus, huc referre placet; meminiſſe omnino par eſt *Quercus* ſiue viridarii Dodonei ab

* Audio, quod horum analectorum tomus iam ſecundus prodierit; ſed cum ille mihi nondum viſus ſit, nihil de eo dicere, quam incerta proferre malo.

ab Hoeſio 2 part. 12 1649 & 50 Londini, itemque gallico ſermone 1652 euulgati, in quo libro auctor ſub imagine arborum praecipuarum pleraque orbis terrarum regna & eorum ſtatum ſatis ingenioſe delineat. Accedant *Hattigia* ſiue amores Tamarani, vbi ſub fictis nominibus pudendum Caroli II cum ducissa Cleuelandiae commercium enarratur; prodiit Coloniae 1676 in 12; & AVNOIAE (D'AVNOY) *Memoriae de aula anglicana*, (*Memoires de la Cour d' Angleterre*) Hagae Comitum 1693.

§. XVIII.

Tandem his anglicarum rerum ſcriptoribus coronidem imponant varii, quos inter referenda ſunt: GVILIELMI TEMPLAEI *Miſcellanea (Eſſais)* Londini 1691 excuſa, ex quorum parte 1 huc pertinent I) Notitia Germaniae, Sueciae, Daniae, Hiſpaniae, Batauiae, Galliae & Belgii; vna cum parallelis anglicis, vt ſcilicet imperia illa 1671 ſe habuerunt; II) Diſſertatio, quomodo omnis commerciorum ratio apud Hibernos excoli poſſit; & III) Schediaſmata de tropicis Angliae 1673 menſe octobri. *Britannia triumphans* cum variis ad eam pertinentiibus, Londini 1651 in 12. *Imperium maris britannici*, ex monumentis hiſtoricis legibusque Angliae demonſtratum per Iohan. Bouroughum equitem, chartalarii ſiue archiui in arce Londinenſi cuſtodem, Londini

1686 fol. Cum quo coniungi debet IOHAN. SELDENI *mare clauſum* 1638 in 8 & alias quoque excuſum. Victoriae anglicanae ſiue commemoratio omnium, quas Angli de Gallis terra marique retulerunt, victoriarum, Londini in 8. Seldeniana (*Table-Talk: being the diſcourſes of I. Selden*) exemplo Perronianorum, Thuanorum, Scaligeranorum, Londini 1689 in 4, & 1696 in 8 emiſſa, vbi p. 4-9 ſingularia de epiſcopis & eorum in concilio regni ſupremo auctoritate, p. 13 de hoc concilio ipſo ſupremo, p. 14 de conſeſſu ordinum inferiore, p. 16 de conuentu cleri, qui conuentui ordinum ſemper praemittitur, p. 24 de independentibus, p. 27-29 de rege, p. 32 de curia ordinum ſuperiore, p. 48 de presbyterianis, & alibi paſſim alia occurrunt. SAMVEL PEPY *Memorias de ſtatu claſſis anglicanae* anglice ſcripſit, Britanniae Cambdenianae in anglicum ſermonem conuerſae inſertas. Huc quoque facit BVRNETTI *Apologia* contra anonymum, qua tuetur, quae in oratione funebri Iohannis Tillotſoni archiepiſcopi Cantuarienſis dixerat, Lugduni Batauorum 1696 in 8. Nec non hiſtoriam Angliae illuſtrabit inſignis Cambdeni liber, cui titulus *obſeruationes* de Britannorum lingua, nominibus, cognominibus, teſſeris gentilitiis, monetis & id genus aliis, quae vlt. 1674 cum inſigni augmento Iohan. Philipſoti 8 prodierunt. Denique quod

quod dudum cum de chorographis Angliae quid moneremus, notandum fuerat, hic facimus, inſulae Ierſeyae deſcriptionem a PETRO FALLE elaboratam Londini 8 prodiiſſe.

§. XIX.

Poſt Angliam abſolutam *SCOTIA* conſideranda eſt, in qua rari, praeſertim, quod ad hoc ſeculum attinet, deprehenduntur ſcriptores. Geographiam & topographiam regni, vt & hiſtoriam naturalem conſummato opere nobis dediſſet ROBERTVS SIBBALDVS in *Scotia illuſtrata*, cuius prodromus ſiue delineatio Edeburgi 1684 folio prodiit, niſi mutationes temporum & patronorum defectus viro diligentiſſimo obſtitiſſet. Interim quod ad topographias attinet, hiatum aliqua ratione ſupplebit IOHAN. SLEZERI *Theatrum Scotiae* Londini 1693 editum, in quo non vrbes tantum praecipuae, ſed vici quoque & caſtella minoris momenti elegantiſſimis imaginibus aeri inciſae repraeſentantur. Optandum tamen foret, vt deſcriptio accuratior acceſſiſſet, nam quae imaginibus praemittitur topographia Scotiae, anglico ſermone exarata, non reſpondet voto lectorum. *Notitia Scotiae* Londini 1689 folio prodiit. Leges exhibuit IOHAN. SKENAEVS in *Regia Scotiae maieſtate*, Londini 1613 fol. *Defenſio antiquitatis regalis Scotorum proſapiae*, (*A Defence of the Antiquity of the Royal Line of Scotland*) qua-

oſtenditur, a quo primum tempore Scotia a regibus gubernata ſit, libris epiſcopi Aſaphenſis & Stillingfleti oppoſita, auctore GEORGIO MACKENZIE; primum anglice Londini 1684 & 85, & dein latine Traiecti ad Rhenum 1689 prodiit. *Medullam hiſtoriae ſcoticae* ſiue vitas regum Scotiae Londini in 8 neſcio quis edidit. IOHAN. SPOTSWOODVS, archiepiſcopus Fani Andreae, iuſto volumine *hiſtoriam eccleſiaſticam Scotorum (Church Hiſtory of Scotland)* complexus eſt; Londini 1695 fol. edito. *Hiſtoria motuum regni Scotiae*, quae, vt titulus prae ſe fert, Dantiſci, ſed reuera apud Batavos 1641 a ficti nominis *Irenaeo Philalethe Eleuterio* edita eſt: fauet presbyterianis, & regi Carolo I iniquior eſt. *De rebus a Iacobo Montis Roſarum* marchione in Scotia pro rege praeclare geſtis commentarius incerti auctoris I. G. Pariſiis 1647 in 8, & 1655 in 12 excuſus eſt. *Hiſtoria rerum ſcoticarum* a reſtaurato Carolo II prodiit Londini 8. *Relatio hiſtorica* de conuentu presbyterianorum, Edenburgi a die 16 octobris vſque ad 13 nouembris 1690 celebrato, prodiit ibidem in 8. Et huc quoque pertinent *Varia ſcotica*, ſingulis pagellis curantibus turbis, aut, vt ita loquar, Iacobaeis Londini impreſſa. Inter acta commendamus DRVMMONDI *varios libellos*, regnante Iacobo I & Carolo I compoſitos, quos ipſe hiſtoriae ſcoticae Londini 1655 fol. editae adiunxit, ſimulque Mackentei ſupra dicti

dicti apologiam pro regimine Caroli II Londini 1691 in 4 editam; inter poëtas vero ARTVRI IONSTHONI, inſignis poëtae, reges & nobiles Scotos, qui in deliciis poëtarum Scotorum tomo I exſtant.

§. XX.

HIBERNIAM deſcriptione geographica illuſtrauit NICOL. DV FEVR Pariſiis 1690, GVIL. PETTIVS & LAVRENTIVS EVCHARDVS Angli. *Hiſtoriam naturalem Hiberniae* multis miraculis refertae dedit GERHARDVS BOATE, cuius libri gallicam verſionem, Pariſiis 1666 in 12 editam, ipſi tractauimus. PETRVS LOMBARDVS, qui titulum ſibi archiepiſcopi Armachani ſumſit, ſimulque Louanii docuit, de regno Hiberniae librum ſcripſit, Louanii 1632 in 4 editum, in quo tamen pauca habet recentiora. *Origines hibernicas* anglico ſermone 1673 Londini fol. edidit PETRVS LEYCESTER. Habemus quoque *ichnographias vrbium Hiberniae* praecipuarum Londinoperrii, Limorici, Gallowagi, Carlomontii, Londini non ſine cura confecta. In hiſtoria ipſa proderit legiſſe GRATIANI LVCII *hiſtoriam hibernicarum rerum* 1662 fol. THOMAE CARVE *Lyram hibernicam*, ſiue annales, Francofurti 1666 in 4 latine emiſſam, ſed barbare ſcriptam, multis nihil ad Hiberniam facientibus inſertis. RICHARDI KNOX *Hiberniam anglicanam (or, the Hiſtory of Ireland)* ſermone vernaculo Londini 1689

fol. publicatam. *Analecta de rebus Catholicorum in Hibernia*, Coloniae 1617 in 8. PHILIPPVM OSVLERANVM in *compendio hiſtoriae catholicae Hiberniae*, Vlyſipone 1621 in 4: qui duo ſcriptores Anglis proteſtantibus parum fauent. Hos excipiunt hiſtoriae ſeditionis & lanienae hibernicae, quae ſine titulo & nomine auctoris Londini 1687 in folio prodiit, a BORLASIO ſcripta, quem paſſim corrigit Nalſonus in opere ſupra indicato. TEMPLII *hiſtoria rebellionis in Hibernia*. *Status Hiberniae* ab anno 1576-1652. *Vindiciae catholicorum Hiberniae* de rebus in inſula illa geſtis anno 1641-1649, Pariſiis 1650 in 12. Tandemque *Memoriae* IACOBI *Caſtelhaueniae comitis*, ab ipſomet ſcriptae, & Londini in 8 publicatae. Ad Iacobi II & Guilielmi tempora pertinent GEORGI STORII *Hiſtoria biennalis belli hibernici* Londini 1691 & 1693 cum delineationibus arcium praecipuarum edita. *Hiſtoria gallica motuum hibernicorum ſub Guilielmo III*, 1691 Amſtelodami 12. *Expeditio hibernica* gallice ſcripta Amſtelodami 1693 in 12. *Ephemeris gallica obſidii Londinoderrienſis* 1689 in 12, & alia Londini gallice 4. *Hiſtoria eorum, quae in partibus Hiberniae aquilonaribus ſub Iacobo geſta fuere*, Londini 1690 in 4. *Narratio* ANDREAE HAMILTHONI & GVIL. CARMICKII *Hiſtoria de rebus quas quondam Inniskielinienſes patrarunt*, duabus partibus conſtans Londini

Londini 1690 & 91 in 4. *Status Hiberniae ſub Iacobo*, a viro nobili ſcriptus 1688 in 4. *Status proteſtantium in Hibernia ſub rege Iacobo*, cuius auctor creditur eſſe epiſcopus Meathenſis, vir magni nominis teſtisque oculatus, Londini 1692 in 8. Ad acta & commentarios pertinens *Apologia proteſtantium Hibernorum* Londini 1689 in 4. *Intereſſe Angliae vt Hibernia conſeruetur*, 1689 in 4. *Clancu-lariae* ſiue occultae pontificiorum in Hibernia machinae ab anno 1660 vſque ad 1689, ibidem 4. *Anatomia Hibernorum epiſtolica*, Londini 1689 in 4. *Libellus ad regem & populum anglicanum*, in quo oſtenditur, qua arte quibusue conſiliis Iacobus II proteſtantes in Hibernia oppreſſerit 1689 in 4. *Mephiboſeth & Ziba*, ſiue prouocatio proteſtantium in Hibernia ad Guilielmum regem in 4 anno 1689. *Ephemeris* ſupremi Hiberniae ſenatus ſiue parlamenti 1689 in 4. *Triſtis Hiberniae facies*, in 4. Londini 1689. *Curata narratio* denique, quid ſiue quomodo proteſtantes Hilmorienſes in Hibernia vexati & oppreſſi fuerint, Londini 1689 in 4. Ex oratoribus vnum reperio *Anshelmum* abbatem Gallum, qui ſermone gallico Richardo Thalboto Tirconellio duci, quem Iacobus Hiberniae pro-regem conſtituerat, Guilielmus vero inſula eiecerat, iuſta fecerat Pariſiis 1682 in 4.

CAPVT VI.

BELGIVM.

§. I.

EX Anglia in florentiſſimas Belgii prouincias traiecturi, ita expediemus, vt primo quae ad *vniuerſum* pertinent *Belgium*, & deinde quae ad ſingulas ſiue *regias* ſiue *foederatas* prouincias faciunt, ordine nobis conſueto ſimus explicaturi.

§. II.

Enimuero vniuerſum Belgium ſeculo ſuperiore deſcripſit LVDOVICVS GVICCIARDINVS, qui liber variis formis recuſus, multisque acceſſionibus locupletatus in omnium ferme eſt manibus, adeo vt multa de eo dicere ſuperfluum ſit. Ex recentioribus autem, Belgis praeſertim, nemo, quod mirere, operi tam praeclaro manus admouit, integrumque, vt nunc ſe habet, Belgium repraeſentare nobis voluit, ſed labores credo immenſos fugientes, ſingulis ſingulas prouincias illuſtrare magis volupe fuit. Qui enim paſſim germanico ſermone circumferuntur huius commatis libelli, praeterea, quae ex Guicciardino transſcripta ſunt, parum aut nihil, quod lectorem cordatum iuuet, afferunt, vixque hic nominari merentur. Excipienda tamen eſt omnino ex vulgarium ſcriptorum cenſu *Delineatio*

vrbium

vrbium regii & foederati Belgii, quam immenſis ſumtibus chartaque auguſta ſub *Theatri noui & magni* nomine typographorum huius aeui apud Batauos facile princeps BLAVIVS Amſtelodami 1642 duobus voluminibus edidit. Cum quo conferri poteſt *Theatrum belgicum comitis Galeatii Gualdi Priorati* Francofurti 1673 duobus voluminibus in folio. Quid vero GREGORIVS LETI in *Theatro belgico*, Amſtelodami 1690 in 4 lingua hetruſca edito, praeſtiterit, ex iis, quae alibi iam de eo diximus, facile quis coniicere poteſt. Poteſt tamen *Itinerum* quoque *hiſtoricorum (Voyages hiſtoriques) tomus quintus* Lutetiae 1695 in 12 publicatus euolui, in quo foederatae minimum prouinciae illuminantur.

§. III.

Itaque inter ſingulas prouincias *Brabantiam* primo loco conſideramus & enixe commendamus, IOHAN. BAPT. GRAMAII *Antiquitates Brabantiae ducatus*, ſeparatim antea diverſis annis, ſed iunctim deinde Bruxellis 1610 in 4 editis. Vt & eiusdem *Hiſtoriae Mechlinienſis* libros quatuor ibidem 1607 in 4 euulgatos. ANTONIVS SANDERVS, quem mox iterum laudabimus, dedit opus venuſtiſſimum, cui titulus *chorographiae Brabantiae ſacrae*, Bruxellis 1659 in folio, in quo non tantum omnia Brabantiae monaſteria, ſed etiam ſub finem operis praetoria quaedam regia, non

tantum deſcribit, ſed etiam aere affabre inciſa repraeſentat. *Antuerpiam* & origines eiusdem ſermone latino deſcripſit typisque Plantinianis ibidem edidit CAROLVS SCRIBANIVS, ſocietatis Ieſu collega, Antuerpiae Rector. *Bruxellam ſeptenariam* exhibuit elegantiſſimi ingenii vir ERYCIVS PVTEANVS; prodiit Bruxellis 1646 in folio. *Notitiam marchionatus S. romani imperii*, adeoque ipſius Antuerpii, quae huius marchionatus caput eſt, opere venuſtiſſimo multisque imaginibus exornato elucubrauit IACOBVS LE ROY vir illuſtris, Amſtelodami 1678 fol. Eidem debemus *topographiam hiſtoricam Gallo-Brabantiae* Amſtelodami 1692 folio editam. FRANCISCI IOHAN. MENTELII *Haſſeletum*, Louanii 1663. *Louanium* depinxit aeternum eius ornamentum IVSTVS LIPSIVS, quod cum ſeparatim ſaepe prodiit, tum etiam operum in folio excuſorum tomo 3 inuenies. IOHAN. BAPT. GRAMAYI *Taxandria* huc quoque pertinet, 1610 Bruxellis 4. Vltimum locum occupet inter brabantica *Brabantia ſacra & profana*, a multis ſculptoribus ſcenographice illuſtrata, Amſtelodami 1694 fol. vbi tamen, quod mirere, vici tantum & obſcuriora caſtella apparent, vrbium vero nobiliorum nulla inuenitur. *Flandriam* tabula geographica curate repraeſentauit ex Auguſtinianorum excalceatorum familia monachus PLACIDVS, Pariſiis

1690

1690 publicatam. Ipſam vero *Flandriam* accurata deſcriptione ſub *Flandriae illuſtratae* titulo exhibuit ANTONIVS SANDERVS; prodiit duobus voluminibus fol. Coloniae Agrippinae 1641 & 1646: idemque *Gandauo*, praecipuae ex flandricis vrbibus, ſex libris Bruxellis 1624 in 4 excuſis, operam dedit egregiam. IOHAN. BVCELINVS, ex familia Ignatii religioſus, *Gallo-Flandriam* Duaci 1625 duobus tomis in folio repraeſentauit, quorum prior continet chorographiam; alter vero annales. ANDREAS ÇATVLLVS *Tornacum* illuſtrauit; prodiit Bruxellis 1652 in 4, & gallice idem egit IOHANNES COVSINVS, Duaci 1619 in 4, qui tamen in recentioribus ieiunus eſt. IOHAN. VAN WAASBERGE habemus *Gerhardi-Montium*, Bruxellis 1627 in 4. PETRVS LE BOVCQ *Hiſtoriam terrae & vice-comitatus Sebourquenſis* gallice ſcripſit; edita eſt Bruxellis 1645 in 4. DAVID LINDANVS *Teneramundam*, Anuerpiae 1612 in 4 publicauit. Et IACOBVS vom Landsberg *Hulſtum*, Flandriae validiſſimum oppidum, quod nunc ſub ditione Belgarum foederatorum eſt, ſermone belgico deſcripſit & Roterodami 1694 in 8 edidit. *Hiſtoriam Cameracenſis archi-epiſcopatus (Hiſtoire genealogique des Pais bas, ou hiſtoire de Cambray & du Cambreſis)* ſpiſſam & non ineruditam eodem ſermone elucubrauit IOHAN. CARPENTARIVS; prodiit

Lugduni Batauorum 1664 in 4. *Annales prouinciae & comitatus Hannoniae* gallice ſcripſit ANTON. RVTEAV, excuſos Montibus Hannoniae fol. 1648. *Montes* autem *Hannoniae*, quae vrbs caput eſt prouinciae, latino ſermone deſcripſit NICOLAVS DE GVISE; prodiit Cameraci in 4 anno 1621. *Ruremundam* vero Geldriae oppidum, quod hiſpanici iuris eſt, *rhetores Ieſuitarum* Louanii anno 1615 in 8 delinearunt. *Hiſtoriam itidem Namurcenſem* ſcripſit GRAMAYVS 1606 in 4 Antuerpiae.

§. IV.

Ex Belgio regio in foederatum progredimur; hoc tamen prius monentes, neceſſario a nobis chorographias ſingularum prouinciarum cum annalibus coniungi, quia alioqui poſtea magno cum taedio, quando hiſtoricis recenſendis operam dabimus, repetendi forent. Praemittemus autem ſcriptores, qui *notitias foederati Belgii* elaborarunt: quarum vna inter Respublicas inuenitur quidem Elzevirianas, aſt non vſque adeo curata eſt. Itaque potius commendamus commentariolum *de ſtatu prouinciarum foederatarum*, qui anno 1653 gallice prodiit. MART. SCHOOCKII *Belgium foederatum*, Amſtelodami 1652 in 12, qui liber nimis propemodum accuratus eſt, vnde etiam putida ipſi a Gallis diligentia exprobratur, qua varios in Belgio hominum ordines recenſens nec ipſius carnificis oblitus eſt. Alius

anonymi

anonymi commentariolus *de ſtatu foederati Belgii* latine Hagae Comitis 1659 publicatus eſt. Anglico ſermone incerti nominis ſcriptor *notitiam foederati Belgii* 1665 edidit, in qua facile hoſtilem & accuſatorium ſcriptoris animum agnoſces. Itaque magis laudamus Angli itidem, ſed magna non magis eruditione, quam prudentia celeberrimi GVILIELMI TEMPLEI equitis *de ſtatu foedaratarum Belgii prouinciarum obſeruationes*, quas vir ille perilluſtris eo tempore compoſuit, cum de rebus maximi momenti, a rege ſuo ad Belgas ablegatus, quae ſcribebat, oculis arbitraretur. Ipſe quidem anglico ſermone illas elucubrauit, verum nobis tantum gallica obtigit verſio, Hagae 1680 in 12. *Geldriae*, quae inter foederatas prouincias familiam ducit, *hiſtoriam & annales* latino ſermone ac victuro quidem opere compoſuit IOHAN. ISAACIVS PONTANVS; prodiit Harderuici 1631 folio, aſt recentiora non attigit; inſpicienda tamen eſt vel ob tabulas chorographicas admodum curatas, & deſcriptiones praecipuarum vrbium: coniungique cum ipſo debet, qui belgico ſermone eius veſtigia legit ARNOLDVS SCHLICHTENHOORSTIVS, cuius *Hiſtoria Geldrica* Arnhemii 1651 folio prodiit. *Hollandia* ſiue Batauia vix vlli plus debet, quam SIMONI VAN LEEVWEN, qui in aeterno *Batauiae illuſtratae (ofte Verhandeling van Oud-Batavien &c.)*

volumine oſtendit, ſe non magis legum quam hiſtoriae patriae notitia excellere; dolendum tamen eſt, illum batauo potius idiomate, quam latino ſcribere maluiſſe; prodiit Hagae Comitis 1685 fol. Integrum opus in tredecim capita diuiditur: Primum I) de Bataviae veteris veteribus incolis & eorum origine agit; II) oſtendit, quam late olim patuerit Batauia, plures ſub ſe prouincias, quam hodie complexa, quas inter & Zeelandia; III) de ipſa hac inſula, Zeelandia nimirum, differit; IV) veterem prouinciae formam repraeſentat; V) vrbes, arces & vicos deſcribit; VI) in Seelandicis ſimili ratione verſatur; VII) veterum Batauorum habitum, mores, victum examinat; IIX) de variis hominum generibus, qui olim in Batauia fuere, diſceptat; IX) mores Geldrorum & Seelandorum ſpeciatim deſcribit; X) ſacra tum pagana, tum chriſtiana, apud Batauos vſitata ex tenebris in lucem protrahit; XI) incrementa dominatus pontificii ab ipſis Bonifacii archiepiſcopi Moguntini temporibus repetit; XII) nobilibus familiis recenſendis mirifice occupatur, ſimulque arces nobilium commemorat; XIII) tandem vltima veteris & noui regiminis formam exponit. Quamuis autem priſca tantum tractauit, adeoque limites noſtros excedere videatur, multa tamen ſubinde ad recentiorem hiſtoriam pertinentia immiſcet, huicque ſeculo

non

non ſemel lucem affert. Aliud autem eum volumen edere in animo habuiſſe docet, quod omnibus ferme paginis tomi prioris elogium inſcriptum ſit, ſed morte praeuentus in ipſo pulcherrimae rei conatu concidit, ſpemque ciuium ſuorum ac expectationem, quam de ſe conciliauerat, maximam deſtituit. Ceterum BOXHORNII *Theatrum Hollandiae*, Amſtelodami 1632 in 4. IACOBI MARCI *deliciae batauicae*, Lugduni Batauorum 1616 in 12. PARIVALII eiusdem argumenti liber Gallicus a Franciſco Sauiniano d'Alquie auctus, & Amſtelodami 1669 editus, Batauiae recentioris illuſtrationi multum inſeruit. PHILIPPI ZESII *Leo belgicus*, ſiue de republica foederati Belgii commentariolus, Hagae Comitis 1660 in 12. *Amſtelodamum* Batauiae caput aeternitati commendarunt: IOHAN. ISAACIVS PONTANVS in *Hiſtoria Amſtelodamenſi*, 1611 in folio; ZAESIVS in *Amſtelodamo* germanica lingua ſcripto, 1663 in 4; DOMSELLARIVS in eiusdem argumenti libro, 1683 in 4; *anonymus* in praecipuis Amſtelodamenſium aedificiis; DAPPERVS in *Amſtelodamo*, 1663 folio lingua belgica, imprimis autem CASPAR COMMELINVS in elegantiſſima magnae huius vrbis *topographia*, multis figuris aeneis exornata, & duobus voluminibus 1693 folio ibidem publicata. *Lugdunum Batauorum* ſiue *Leyda* multum debet IOHANNI MEVRSIO,

qui in *Athenis batauis* 1614 in 4 praeter vitas profeſſorum, ipſius quoque vrbis deſcriptionem ſatis curate exhibuit. Quod belgice quoque praeſtiterat 1641 in 4 ORLERVS, & 1672 eadem forma SIMON LEVWIVS ſupra nominatus. *Harlemum* repraeſentauit THEODORVS SCHREVAELIVS, Lugduni Batavorum 1647 in 4. *Delphos* deſcripſit belgice DIETERICVS LEVSWIDVS in 4 duabus partibus. VELIVS 1648 in 4 dedit *annales Hornanos*. *Goricbemum* illuſtrauit vernaculo itidem ſermone ABRAHAMVS KEMPS, 1656 ibidem in 4. *Annales Drentiae* (*Antiquiteten van t'Oude Vriesland*) conſcripſit belgico ſermone PICCARTVS, Amſtelodami 1660 in 4. *Weſtfriſiam* itidem belgice SCHOTANVS, Amſtelodami 1666. *Zeelandiae annales* ediderunt REIGHERSBERGIVS, Mittelburgi 1634. EYNDIVS in *chronico Zeelandiae* latino 1634. BOXHORNIVS in iisdem *annalibus*, Mittelburgi 1644. *Dauentriam* vero egregio libro repraeſentauit IACOBVS REVIVS, qui Lugduni Batauorum 1651 in 4 editus eſt.

§. V.

Hiſtoriam genealogicam Belgarum illuſtrabunt OLIVARII VREDII *Genealogia flandrica*, a Balduino Ferreo ad Philippum IV; prodiit Bruxellis 1642 & 43 duobus voluminibus in folio. SALBRAYI *ſpeculum nobilium*

Hasba-

Haſbayenſium, Bruxellis folio 1673 gallice. *Flandria nobilis & generoſa* ex mſc. Monaſterii Sangifleni. PHILIPPI DE L'ESPINOY *origines nobilitatis flandricae*, Duaci 1631 gallice. *Hiſtoria Dominorum Engienſium & Luxemburgenſium* auctore PETRO COLINO 1634 in 4. IOHAN. CHIFFLETII *Honores familiae Taſſiae*, (*Les Marques d'honneur de la Maiſon de Taſſis*) Antuerpiae 1645 folio gallice. *Genealogia Auriaca*, Amſtelodami 1675 belgice. Et tandem ARNOLDI MONTANI *domus Auriaco-Naſſouia*, Schonhouiae 1662 latine, vt & ſeptem *tribus patriciae Louanienſes*, Lugduni Batauorum 1672 in 12.

§. VI.

Ius Belgicum, quatenus illud cum iure romano conuenit vel diſcrepat, explicant FRANCISCVS ZYPAEVS in *Notitia iuris belgici*, Antuerpiae 1665 in 4. ANTONIVS SOLA in *decreta ducum Brabantiae*, Auguſtae Taurinorum folio 1625. HVBERTVS LOYENS de *concilio Brabantiae* in 4. PAVLVS CHRISTINAEVS in *leges municipales Mechlinienſium*, Antuerpiae folio 1657. ANTON. ANSHELMVS in *Triboniano belgico*, Bruxellis 1663. IOHAN. ANTON. KNOBBAARD in *Iure ciuili Gandenſium*, Antuerpiae 1677 in folio. CAROLVS A MANSFELD de *iure militiae Belgicae*, in 4 Antuerpiae 1648. IACOBVS A COMITE in *leges municipales foederati Belgii*,

Lugduni Batauorum 1651 in 4. GVILIELMVS GROTIVS in *iſagoge ad praxin fori batauici*, Amſtelodami 4 anno 1655. SIMON GRAENNOEWEGEN de *legibus in Hollandia abrogatis*, Lugduni Batauorum 1649. HENRIC. BROVWER de *iure connubiorum apud Batauos* recepto, Amſtelodami 1665 in 4. LAMBERTVS GORIS ad *conſuetudines Velauiae*, Nouiomagii 1645 in 4: & in *aduerſariis ſubſeciuis* ad lucem conſuetudinis Geldriae & comitatus Zutphaniae ac vicinarum Belgii prouinciarum, Arnhemiii 1655 in 4. ABRAHAMVS WESEL in *commentario ad nouellas conſtitutiones Vltraiectinas*, Traiecti ad Rhenum 1666. Et denique IOHAN. a SANDE in *deciſionibus friſicis*, Leouardiae 1634. *Statuta & priuilegia Amſtelodamenſia* prodierunt folio 1639 ſermone patrio. Elaborauitque IOHAN. ROSENBOMIVS eodem idiomate eiusdem argumenti librum, ibidem 1644 in 4. *Conſuetudines Bruxellarum* impreſſae ſunt Bruxellis 1657 fol. *Ius Ruremundanum* in Geldria belgice Ruremundae 1620 fol. *Edicta ducum Brabantiae* prodierunt belgice Antuerpiae duobus voluminibus 1648. *Edicta flandrica* Gandaui 1639 fol. *Edicta ordinum foederatorum Belgii & ordinum Hollandiae ac Zeelandiae*, Hagae Comitis 1664. *Priuilegia Enckuſana* in Batauia 1667. *Statuta Rinlandica*, Lugduni Batavorum 1610. *Statuta Tranſiſulaniae*, Dauentriae 1631. *Statuta friſlandica*, Franequerae

1628

1628 in 4. *Statuta Omlandica & Groningana*, Groningae 1647 in 4. *Statuta Zeelandica*, Mittelburgi 1660 in 4. Et tandem *ius maritimum Belgarum* IOHAN. TIASSENII Hagae 1652 in 4. Ex quibus praeter alios, quos breuitatis gratia libenter omittimus, quaenam ſit iuris belgici ratio, elucet.

§. VII.

Inter hiſtoricos Belgii vniuerſales merito numeramus AVBERTI MIRAEI *rerum belgicarum chronicon*, a Caeſaris in Galliam aduentu vſque ad annum Chriſti 1638 folio latine. FRANCISCI HARAEI *annales ducum Brabantiae* vſque ad annum 1607, Antuerpiae 1623 fol. HVBERTI LOYENS *hiſtoria rerum geſtarum a Brabantiae, Lotharingiae ducibus & Limburgi*, Bruxellis 1672 in 4 cum iconibus elegantiſſimis. Plures exhibebimus infra in vitis. Nunc enim ad illos tranſeundum eſt, qui data opera hiſtoriam huius ſeculi ſtilo ſignarunt. Quam in ſex periodos hic diuidere poſſumus: I) complectitur res ab initio ſeculi vſque ad inducias inter regem Hiſpaniarum & Belgas foederatos factas, i. e. vſque ad annum 1609; II) interuallum illud, quod ab induciis vſque ad annum 1621, quo arma reſumſerunt, effluxit; III) res ſiue acta ab anno 1621 vſque ad 48, quo pax inter belligerantes perpetua coiit; IV) quae halcyonia quodammodo Belgii dixeris a pace hiſpanica

vſque ad bellum prius gallicum, i. e. ab anno 1648 vſque ad 72; V) ab anno 1672 vſque ad 78, quo pax Neomagenſis inter Belgas & Gallos ſancita eſt; VI) denique ab anno 1678 ad finem ſeculi, in quos annos poſterius bellum gallicum incidit. Nemo autem miretur, nos hic regiis prouinciis omiſſis foederatas tantum reſpicere, quae enim ad regias pertinent, iam in hiſpanicis & gallicis occurrerunt.

§. VIII.

Ad *primam periodum* refero ANGELI GALLVCCII S. I. de *bello belgico* ab anno 1593-1609 voluminibus duobus Romae 1673 fol. puro & eleganti ſtilo ſcripta. HVGONIS GROTII *annales* & hiſtoriam de rebus belgicis Amſtelodami 1657 fol. in quo libro nihil aliud deſideres quam perſpicuitatem: dum enim vir illuſtris Taciti os profundum & conciſam breuitatem nimis aemulatur, obſcurus factus eſt; in eo tamen, iudice Clerico in Parrhaſianis nuperrime editis, laudandus, quod nihil odio dans, laudes Mauritii principis, a quo tamen in cuſtodiam datus & patria eiectus fuerat, candide praedicarit. IOSEPHI GAMVRINI *Bellum belgicum*, Coloniae Agrippinae 1611 in 4. ROLANDI MIRTAEI *Hiſtoria belgica* huius temporis Coloniae 1640 in 4. EVERHARDI REIDANI *hiſtoriam belgicam* non eam quidem, vt ex interpretatione latina Voſſii paſſim proſtat, cum ad

annum

annum tantum 1600 pertingat; ſed quam belgico ſermone continuauit *Iohannes Sande*, quaeque Leouardiae fol. 1650 prodiit. PETRI BOR ſex volumina de *bello belgico (Oorſprong, Begin ende Vervolg der Nederlandſe Oorlogen)* patrio ſermone exarata, & Lugduni Batauorum, ſeu Amſtelodami inquam, in folio excuſa, quibus ibidem 1629 integer actorum & commentariorum tomus acceſſit. IOH. BALNEI ſiue BALLINI *Bellum belgicum*, auſpiciis Ambroſii Spinolae, Bruxellis 1609 in 8. Anonymi *belli belgici cauſſam, progreſſum, finem* 1627 in 8. GVIDONIS BENTIVOGLII Cardinalis *Hiſtoriam belli belgici, (Relations delle Prouincie vnite di Fiandra)* ob libri pretium, quod paſſim obtinuit, ſaepe recuſam. Huius ego, vt & omnium operum eius editionem Venetam 1668 poſſideo. Certe id egit Bentivoglius, vt quod Strada in ſuperioris ſeculi hiſtoria ſermone latino praeſtiterat, ipſe lingua hetruſca, ſi non ſuperaret, minimum aequaret. vid. interim *Theodati Scaglie* iudicium italicum de hac ipſa hiſtoria, quod Neapoli in 4 prodiit. Idem ſcripſit *commentariorum* de prouinciis, archiducibus tunc temporis ſubditis libros duos, & *commentariorum* de prouinciis foederatis libros tres, operum tomo ſecundo inueniendos. Pertinent huc NOBILIS, (LE NOBLE) muſtei & celebris e Gallia ſcriptoris, *Hiſtoriae batauae* tomis duobus Pariſiis

lingua gallica 1690 in 12 publicata. CASPARIS ENS belli ciuilis in Belgio per 40 fere continuos annos geſti hiſtoria, ad praeſens vſque tempus deducta, 1609 in folio. PHIL. FLEMMINGII *Obſidio Oſtendae*, Hagae Comitis 1621 belgice in 4. Idem obſidium CHRISTOPHORI BONNOIRSII gallice ſcriptum Bruxellis 1628 in 4, quos ſcriptores conferre omnino iuuerit, cum prior a foederatorum, alter a regiorum partibus ſteterit. Hiſtoriam vero induciarum mirifice illuſtrant, tum DOMINICI BAVDII de *induciis belli belgici* libri tres nitidiſſime ſcripti & 1613 editi, ac dein variis formis recuſi. Tum *Memoriae praeſidis* IANINI, (*Memoires du Preſident* IEANNIN) oratoris gallici, cuius multus & arduus in hoc induciarum negotio labor fuit, quarum optima eſt editio Pariſina in folio 1656, inter ſelectiora prudentiae ciuilis inſtrumenta referenda. Tum denique BENTIVOGLII *Commentarius* de his induciis, (*La Relatione del Trattato della Tregna di Fiandra*) quo hiſtoriae praeluſit. Iuuabit quoque ad res huius periodi illuſtrandas inſpicere NOMAGII *Expeditionem Mauritianam flandricam* 1600, Lugduni Batauorum 1617 in 4. In *periodo ſecunda*, vbi praeter diſſidia inteſtina inter foederatos ob lites ſacras ortae, nihil dignum inuenitur, proderit legiſſe *Memorias* MAVRERII, (*Memoires pour ſervir a l'hiſtoire de*

de Hollande, *par* LOVIS AVBERY *Seign. du* MAVRIER) Pariſiis 1686 in 12 gallice editas; quamuis enim multa de ipſis Belgii foederati incunabulis habeat, adeoque priora reſpiciat tempora, multus tamen & copioſus quoque eſt in characteribus virorum illuſtrium, qui hoc tempore vixerunt, delineandis, & ea exhibet, quae nusquam alibi legas. Adiungatur ei NEVVILLII *(de la* NEVVILLE) *Hiſtoria bataua*, *(Hiſtoire de Hollande)* ab anno 1609 vſque ad noſtra tempora gallice ſcripta, & Lutetiae 1693 in 12 publicata. *Hiſtoria vniuerſalis bellorum belgicorum* GABRIELIS CHAPVISII, gallice Pariſiis 1633 in folio. Ad *tertiam periodum* facit HERMANNI HVGONIS *Obſidio Bredana*, eleganter latine ſcripta 1629 in folio, & GVIL. BAVDARTII *Geſta Belgarum (Kerkelyke ende wereldlyke geſchiedeniſſe van Nederland)* duobus voluminibus in folio Arnhemiae 1624 belgice ſcripta, vbi tamen multa futilia & vana occurrunt. HVGONIS GROTII *Obſidio Grollae* (vtrum vero haec eadem ſit cum italica eiusdem obſidionis deſcriptione *a Pierio* Venetiis 1607 in 4, an vero haec diuerſum quid ab illa, nondum mihi ſatis liquet, quia vtramque conferre haud licuit) Amſtelodami 1629. DANIEL HEINSII *Hiſtoria rerum ad Siluam ducis geſtarum*, Lugduni Batauorum 1631 in folio, in qua cordati mallent, eum ſuo quam Taciti ſtilo vſum

fuiſſe. *Obſidio Siluaeducenſis* gallice & germanice ſcripta Bremparti Amſtelodam. 1631 in folio. ERYCII PVTEANI *Louanium obſeſſum & liberatum*, Antuerpiae 1638 in 12. IVLII CHIFFLETII *Audomarum* obſeſſum & liberatum, Antuerpiae 1638 in 12. BOXHORNII *Hiſtoria obſidionis Bredae poſterioris* 1638 Lugduni Batauorum 1640, quae non omne punctum tuliſſe viſa eſt. Tandemque colophonis loco accedat LEONIS AB AITZMA *Hiſtoria pacis* a foederatis Belgis anno 1631 ad hoc vſque tempus tractatae, Lugduni Batauorum 1654 in 4 ſermone latino publicata. *Quarta periodus* duobus bellis cum Anglis admodum atrociter geſtis famoſa, multum debet lucem AITZMAE iam dicto, qui primo belgice 1652 in 4 dedit *Leonem reſtitutum*, *(Herſtelde Leeuw)* ſiue narrationem eorum, quae 1650 & 51, in Belgio foederato acciderunt, Hagae Comitis 1652 in 4. Illo enim triennio magna, ſi praeſertim Guilielmus Auriacus Friderici Henrici filius dominatum ſpirans ſuperuixiſſet, rebus belgicis imminebat mutatio, & ille vel vi in ordinem redigendus fuiſſet, vel libertas belgica damnum haud exiguum feciſſet. Sed idem poſtea ſcriptor longe maiori opere nomen ſuum poſteritati commendauit, *Hiſtoria* ſcilicet *rerum belgicarum* (*Saken van Staat en Oorlog in de verenigde Nederlanden*) ab anno 1650-1668, belgice contexta, ipſe

ipſe ſatis modeſte *acta ſagata & togata* appellat, prodiit primo in 4; ſed optima eſt editio ſeptem voluminibus conſtans Hagae Comitis 1669 folio impreſſa, cui vita auctoris & poſtmodum 1671 index locupletiſſimus acceſſit. Inſigne eſt iudicium de hoc opere Vicquefortii in Legato ſuo, quae ſcilicet de ſuo afferat, nauci eſſe, aſt quae ex actis & commentariis publicis, incomparabilia. Referas huc quoque *Hiſtoriam belli cum Anglis & epiſcopo Monaſterienſi* a Belgis foederatis & eorum ſociis Gallis geſti (ab anno 1664-1667), quae Amſtelodami 1668 in 4 gallice & belgice prodiit. Itemque GVILIEL. SCHWINIANS *Bellum anglico-belgico-monaſterienſe*, Roterodami 1666 in 8 belgice. Tandem quoque ad hanc periodum pertinent *Mazarinus a Flandro deluſus*, ſiue hiſtoria Oſtendae, a Gallis 1658 captatae quidem, ſed non captae; prodiit 1671 gallice & poſtea etiam latine.

§. IX.

Quintam periodum illuſtrant VALCKENIERII *Europa turbata*, (*Verwirrt Europa*) iam dudum a nobis indicata. GVILIELMI TEMPLAEI viri illuſtris *Commentarii*, (*Memoires de Monſ. le* TEMPLE) multa explicantes arcana, anglice Londini 1692, & eodem anno gallice Hagae Comitis in 12 editi. *Belgium turbatum* tribus voluminibus bella cum Gallis & Anglis pugnata explicans, Amſtelodami

1674 & 1678 in 4. *Mercurius Batauus (De Hollandſe Merkuris)* integri decennii acta ab anno 1672-1683 explicans, voluminibus vndecim in 12 Amſtelodami impreſſus, & figuris aeneis exornatus. *Hiſtoria belli belgici (Hiſtoire de la guerre de Hollande)* a Gallo quodam anonymo Pariſiis 1689 in 12 iuris publici facta, & in duas partes atque ſex libros diſtincta, in qua auctor ſatis libere loquitur: multus eſt in principis Auriaci laudibus, & ducum gentis ſuae, imprimis Luxenburgii, errores non diſſimulat. *Hiſtoria belli batauici* comitis MAIOLI ex italico idiomate in gallicum traducta, Pariſiis 1682 in 12. *Ephemeris obſidii Traiecti ad Moſam ab Auriaco illati*, Pariſiis 1676 in 12. *Ephemeris obſidionis Grauae*, qua Rabenhaubtius & idem Auriacus Gallos oppido validiſſimo eiecerunt, 1674 in 12 gallice. *Commentarii (Memoires)* aut apologia potius comitis MONBASII, 1673 in 12. Huc colloco etiam duos libros, qui inſignem hiſtoriae belgicae ſplendorem, inſigne ſimul afferunt ornamentum, nec tamen certis periodis includi poterant, cum omnes imo ipſius ſeculi ſedecim caſus complectantur: Prior eſt ANTONII THYSII *Hiſtoria naualis*, ſiue enarratio victoriarum a Batauis mari de hoſtibus reportatarum, ſermone latino non ineleganter exarata, prodiit Lugduni Batauorum 1658 in 4. Poſterior eſt BIZOTI *Hiſtoria metallica*

metallica Hollandiae (Hiſtoire metallique de Hollande) Pariſiis folio primum 1687, & deinde cum inſigni augmento Amſtelodami 1688 edita; cui acceſſit 1690 in 8 inſigne ſupplementum, in quo praeter alia, epitaphia quoque ſive inſcriptiones ſepulcrales heroum, qui vitam pro Belgio foederato expoſuerunt, repraeſentantur. Poteſt quoque hic locum obtinere PHILELEVTHERI THIMARETI *Collectio monumentorum Belgii foederati* 1684 in 8 impreſſa. Ad *periodum ſextam* quod attinet, parum nobis hic auxiliorum ex hiſtoria ſuppetit, niſi forte praeter ſcriptores vitarum infra laudandos *Continuationem Aizemae* inſpexeris, quae voluminibus duobus 1688 prodiit, primum exhibet res geſtas ab anno 1668-1679, ſecundum acta ab anno 1679-1687.

§. X.

Iam ad vitarum ſcriptores poſt hiſtoricos recenſitos propero, quos inter claſſem ducunt *Brabantiae duces* vſque ad Carolum II Hiſpaniarum regem, a IOH. BAPT. CHRISTINAEO elogiis latinis, breuibus illis quidem, ſed admodum nitidis expreſſi, & ab eadem manu Belgarum Burgundionumque gubernatores ac archiſtrategi. Titulus quidem prae ſe fert Coloniae 1675 prodiiſſe, ſed typorum & chartae nitor aliud fermae quid indicat, & Antuerpiam aut Batauiam redolet. Sequuntur *Alberti archiducis vita*, ſermone gallico Amſtelodami

1693 in 12 edita. DILLENII *panegyricus Iſabellae archiducis* latinus. *Vita Iohannis Oldenbarneſeldii*, ordinum Hollandiae oratoris 1648 in 4 belgice, quo retulerim quoque, licet ad acta pertinere videatur, *epiſtolicam narrationem de perfidia & ſupplicio capitali Ioh. Barneſeldii*, Amſtelodami in 4, & ſchediaſma virulentum a iurato Barneſeldii hoſte diſſeminatum, cui titulus *Myſteria hollandica*, ſiue apologia Barneſeldii a Petro Holdero e lingua bataua in latinam translata & notis illuminata, aut potius contaminata, Durocortori in 4 anno 1618. *Iohan. Vytenbogardi*, qui primum Mauritii principis Auriaci theologus ſummus, deinde Ariminianorum patronus & promachus, eaque de cauſſa ab ipſo principe eiectus fuit, *vitam* ab ipſomet ſcriptam & 1646 cum luculenta praefatione editam, qua res periodi tertiae mirifice illuſtrantur. *Vita Mauritii principis Auriaci*, Amſtelodami 1651 cum figuris aeneis belgice fol. COMMELINI *vita Friderici Henrici principis Auriaci* belgico & gallico ſermone 1651 fol. VBBONIS EMMII *Guilielmus Ludouicus comes Naſſouius*, latino ſermone repraeſentatus Groningae 1621 in 4. *Vitae fratrum Wittiorum*, belgice 1677 in 8. *Vita Reuteri*, Belgarum foederatorum thalaſſiarchae, fuſe a GERHARDO BRANDIO ſcripta, Amſtelodami 1687 in folio belgice & germanice euulgata, preſſius vero ab anonymo

Gallo

Gallo Amſtelodami 1676 in 12 edita. *Vita Cornelii Trompii*, Batauorum ibidem thalaſſiarchae, Hagae Comitis 1694 in 12. Vltimum locum occupet *vita Guilielmi Henrici III principis Auriaci*, Amſtelodami 1675 in 8 belgice; & *Hiſtoria principum Auriacorum*, Amſtelodami 1682 gallice in 12. Quibus coronidis loco adiungo *Sepulcra hominum illuſtrium*, qui conſiliarios in ſenatu ſanctiore brabantico regis Hiſpaniarum egerunt, Amſtelodami 1674 in 8.

§. XI.

Si omnia acta & omnes commentarii belgici, quibus hiſtoriae huius ſeculi lux accedit, nobis hic enarrandi forent, etſi ea tantum volumina excerpenda, quae ipſi aliquando in bibliothecis amicorum perluſtrauimus, tantam puto, quanta in germanicis, aut fortaſſis maior etiam proponendorum moles eſſet futura, neque nos etiam huius laboris fugientes eſſemus, niſi malo quodam fato illa, quae tunc nihil tale cogitantibus ad manus erant praeſidia, iam nos deficerent. Interim tamen agendum, quicquid fieri poteſt, adeoque illa, quae in promtu ſunt, paucis exponenda. Inchoabimus autem ab ipſo induciarum argumento, quod Belgis, ad dicacitatem pronis, ingentem ſuppeditauit ſcribendi materiam. Nominamus itaque primo loco DOMINICI BAVDII duas de *induciis belli belgici*, quas ſub

nominibus *Latini Pacati & Iuliani* Rosbeci 1609 edidit, orationes, quae operibus eius, Amſtelodami 1662 & alibi ſaepius editis, inſertae ſunt, quarumque ſummam ipſe in hiſtoria induciarum repraeſentat. Deinde recenſendae veniunt *foederatorum Germanorum defenſiones tres*, contra calumniam rebellionis in principes, latino ſermone grauiter & magna cum cura elaboratae, 1607 in 12 publicatae. *Repraeſentatio pacis generalis* inter orbis chriſtiani reges, principes & ſtatus, pontificum & ſedis romanae ſollicitudine procuratae, qui liber itidem latine 1607 in 8 non alia fine editus fuit, quam vt Belgae ſibi ab Hiſpanis cauere diſcerent. IACOBI EINDII AB HAEMSTEDE de *pace* ab Hiſpano Batauis 1609 oblata *commentatio*, Lugduni Batauorum 1611 in 4. *Diſſertatio* ſuper praeſenti diſſertatione foederatarum prouinciarum cum rege Hiſpano, 1609 in 8. Et haec quidem latino idiomate ſcripta ſunt; belgico ſequentia: *Apologia* ordinum foederatorum contra calumnias quorundam, qui eos iniuſte criminantur, quod multa imperii loca, poſſeſſoribus antiquis erepta, iniuſte poſſideant. *Narratio poëtica*, quare & quibus adiuuantibus Belgae conſilia pacis agitarent, ſine die & conſule. *Oratio* de iuſtitia belli belgici aduerſus Philippum II, Amſtelodami 1608. IVSTI LIPSII *epiſtola de induciis* 1595 ſcripta, 1608 edita. *Mandatum pontificis romani ad clerum*, quo

quo iubet, vt conſilium de pace cum Batauis componenda praebeant, & ſingularum religioſarum familiarum reſponſio, oratione metris vincta conſtans. *Dialogus* pontificis & regis Hiſpaniarum de pace belgica. *Somnium poëticum*, in quo Spinola perſtringitur. *Colloquium* Philippi III & Patris Neyi, inter pacis arbitros non poſtremi, 1608, in germanicam quoque linguam translatum. *Notae dialogiſticae* in colloquium pontificis & regis. *Iudicium capitale Cornelii de Hoogh*, ex quo artes Hiſpanorum, quibus foederatos opprimere conantur, perſpicere licet. *Diſſertatio* de pace belgica. *Conſultatio* de nauigatione & commerciis, ut & ſecuritate prouinciarum foederatarum, a ciue patriae amante compoſita 1608. Alia de induciis belgicis *diſſertatio*, Romae, vt fingit auctor, ſcripta. *Axiomata* ſiue theſes de pace belgica 1608. *Antonii Lancelii dialogus* verſibus gallicis compoſitus de pace Belgica. *Colloquium Philippi & Neyi*, a priore longe diuerſum, verſibus gallicis conſtans, 1608. *Quaeſtiones & reſponſa* de pace belgica 1608. *Dialogus* Bataui & Zeelandi. *Colloquium* ruſtici, aulici, ciuis & nautae. Dialogus duorum ruſticorum de pace, (quod genus dialogorum Batauis familiare eſt). *Colloquium* Petri & Pauli 1608. *Indo-Belga* contra Hiſpanum pacificatorem disceptans, gallice 1608. *Demonſtratio*, quantum

expediat foederatis liberum in America commercium, cuius exercendi facultatem tunc temporis denegabant Hiſpani. *Diſſertatio* de commerciis Americanis. *Cauſſae*, ob quas ordines foederati a commerciis indicis ſe abſtinere nolint. *Diſſertatio* de nauigatione in Indiam orientalem, 1608. GVILIELMI TEELLINCK *Philopatris*, ſiue inſtitutio chriſtiana de rebus publicis feliciter adminiſtrandis, Middelburgi 1608. *Protrepticon* ad ordines, ciuitates & incolas foederati Belgii, de erroribus ducum bellicorum, Leouardiae 1607. *Imago Balaenae*, 20 ſeptembr. 1608 ad littus belgicum eiectae, cum diſſertatione, in qua fraudes Hiſpanorum deteguntur, Middelburgi 1608. *Narratio* de ambitione & tyrannide Philipi II, 1608. *Diſſertatio* ad ciues patriae amantes, qua, quid ipſis de pace hiſpanica cogitandum, exponitur. *Colloquium* de conditionibus ab Hiſpano propoſitis, 1608. *Emdae* diſſertatio vel ſoliloquium nautae Monickedamenſis. *Vituperatio pacis hiſpanicae* ex Erycii Puteani epiſtola 1617 edita deſumta, & ab aſtrologo anonymo edita. *Carmen de cucullo monachi*, eiusque viribus & effectibus, Middelburgi 1609. *Querimonia* ſiue dialogus militis cum ignauo & ruſtico. *Carmen* de libertate ſacra & ciuili, 1610. *Aliud* aduerſus Ieſuitas, Schidami 1608. *Triumphus belli, vituperatio pacis* 1608. *Diſſertatio* de induciis 1609.

Echo

Echo poëticum de pace 1608. *Epiſtola* paſtoris Bononienſis ad Paulum V, epiſcopum romanum, de pace belgica. *Apiarium* ſiue alveare belgicum, ſeu dialogus Flandri & Bataui de pace. *Carmen* ſatis longum, in quo cauſſae, cur pax cum Hiſpanis facienda ſit, exponuntur, ſimulque refutantur; & tandem *delineatio dramatis* de induciis belgicis in Syria exhibiti 1608, quod ipſum drama ingenioſiſſimum ſane Iohan. Barclaius Euphormionis ſui parti ſecundae p. 227-235, pauciſſimis tantum immutatis, inſeruit, & plagio inſigni tantum non pro ſuo venditauit. Et haec quidem omnia, exceptis diſſertationibus Baudii nonnullis, contra pacem prodiere, pauciora pro pace & in pacem. Nempe *teſtamentum* & codicillus metricus belli belgici 1609. *Supplicationes* ruſticorum ob bellum diuturnum 1608. *Dialogus* inter proteſtantem & pontificium metricus de pace 1609. *Drama* Antuerpiae exhibitum. *Aliud* Gorinchemi in pacem compoſitum 1609. Et tandem varia *poëmata* belgica & gallica in pacem. Poſſes huc etiam referre *claſſica* ad liberas Belgii foederati provincias 1609, ſiue *dialogum* inter Belgam regi ſubditum & foederatum 1610. Ad periodum ſecundam pertinent HVGONIS GROTII *Apologeticus* eorum, qui patriae praefuerunt, Pariſiis 1620 in 12 & alibi ſaepius recuſus, ſed ab ordinibus Belgii, qui Grotium patria

eiecerant, prohibitus ſuit. *Viſio nocturna* de ſtatu foederati Belgii 1614 in 4. *Dialogus* inter papam & regem hiſpanicum de Belgio foederato ſubigendo, 1618. *Claſſicum epibatarum* ſiue ſociorum naualium (matroſen) 1618. *Follis aurea & virga aurea*, ſiue artes hiſpanicae. *Tragoedia belgica*, ſiue dialogus Orphei aeui veteris & aeui noui. *Apologia* decreti ordinum Hollandiae & Weſtfriſiae 1617 die 4 auguſti propoſiti, 1618. *Decretum* ciuitatum, Amſtelodami, Enkuſanae, Edamenſis & Purmerendae, priori decreto oppoſitum cum apologia 1618 in 4. BVDLEII CARLETONI, oratoris anglici, *ſermo* ad ordines foederatos 1617. *Trutina*, ſiue obſeruationes ad illum ſermonem, 1617, qui liber ab ordinibus ſuppresſus fuit. *Inueſtigatio*, qua ratione princeps Auriacus Guilielmus defenſionem foederatarum prouinciarum ſuſceperit, 1617. T.G.B.V.A. T.S. ſincera & ſolida *inueſtigatio* priori libello oppoſita, Hagae Comitum 1617. *Pomum odoriferum*, ſiue apologia inueſtigationis, fictum Philadelphiae nomen praeferens, 1618. *Malum Medicum*, ſiue aureum, Pomo odorifero oppoſitum 1618 in 4. *Triumphus principum* Auriacorum & domus Naſſouiae 1618. *Sex partes quaeſtionum* theologicarum politicarum, iuridicarum, bellicarum, 1618. *Diſſertatio* huic & aliis libellis oppoſita, 1618. *Conſilium hiſpanicum* de prouinciis foederatis terra marique circum-

circumueniendis, 1616. *Praxis* huius conſilii 1618. *Artes hiſpanicae* contra hanc ipſam praxin, Hagae Comitum 1618. *Notae* in apologiam Barnefeldii 1618. *Adhortatio* ad omnes foederati Belgii ciues 1618. Alia *adhortatio* ad ſalutem Belgii faciens 1618 *Vita S. Barbarae*, legenda noui S. Iohannis, ſiue libellus acerbisſimus contra Barnefeldium, 1618. *Barnefeldius ludum litterarium aperiens* eiusdem farinae ſcriptum eſt 1618. *Franc. Aerſenii & Cornelii Mylii* ſcripta amoebaea eriſtica virulenta, in quibus tamen multa hiſtoriae illorum temporum lux affertur. Et haec quidem omnia belgice ſcripta ſunt. Eodem idiomate ſiue potius germanico vidimus *ephemeridem* obſidii Bergarum ad Zomam 1622 in 4, & *narrationem* de conſpiratione, qua vita Mauritii Auriaci petita fuit, 1622 in 4. Belgice prodierunt *Bacchanalia Velauiana*, ſiue irruptio Hiſpanorum in Velauiam, auctore GVILIEMI BAVDARTIO, Zutphaniae 1624 in 4. *Tubus belgicus* 1627 belgice. *Artes hiſpanicae contra Belgium* germanice 1628. *Diſſertatio* de commerciis Belgarum maritimis locupletandis germanice 1630. *Diſſertatio* germanica priori oppoſita eodem anno: *de indiciis* aut pace Belgarum. Diſſertationes variae latino ſermone exaratae, nempe Erycii Puteani *ſtatera* iam pridem edita. *Puteanomaſtix* catholico-politicus. *Statera Puteania*, manibus Lipſii

adaequata, & tandem *ſomnium ſatyricum* eiusdem argumenti, Eleutheropoli 1633. *Menippus*, ſiue dialogus de induciis belli belgici, tunc iterum agitatis. *Epiſtola* de induciis inter regem Hiſpaniarum & Belgas foederatos componendis, 1630. *Apologiam* Belgii foederati contra telonium Oldenburgenſe in Viſurgi nuper inſtitutum, auctore SPINDELIO 1630 Amſtelodami. *Duinkerka* cum morte reluctans, ſiue moribunda, in qua oſtenditur foederatorum Belgarum omnino intereſſe, vt hoc pyratarum receptaculo potiantur, 1645. Cum autem illo tempore tum Hiſpanis tum Belgis bellorum pertaeſis, hiſque Gallorum incrementa vehementer ſuſpectantibus, Monaſterii quidem Weſtphalorum de pace ageretur, verum ſimul variis machinis variisque ſcriptis certaretur, & ſui eſſent pacis, ſui quoque belli fautores, ſequentia inter alia prodierunt ſchediaſmata, maximam partem in pacis gratiam compoſita Gallisque admodum infeſta. *Belga ſincerus & patriae amans*, Middelburgi 1646 in 4. *Arcana ſtatus belgici* 1646. *Expeditio flandrica principis Auriaci*, Amſtelodami 1646. *Patriota Cliuenſis*, Veſaliae 1647. *Sibylla hollandica*, ſchediaſma ingenioſum, 1647. *Notae* ad epiſtolam Antonii Bruni oratoris Hiſpani, Dauentriae 1647 *A. C. Protrepticon* ad ordines & ciuitates Belgii foederati, Dordraci 1647. *Lapis Lydius pacis*

hiſpanicae

hiſpanicae 1647. *Larua Monaſterienſis detracta*, 1647, & tandem *Confeſſio typographi* 1688. In *periodo quarta* turbae ciuiles & diſſidia inter principem Auriacum Guilielmum II ac Amſtelodamenſes enata varios quoque libellos eosque ſaepe admodum dicaces atque inertes pepererunt, quale eſt *dialogus Mudenſis* 1650. Auriaco fauens, Amſtelodamenſibus, & imprimis Bickero eorum conſuli infeſtus, 1650 in 4 belgice. *Dialogus Hagenſis*, ſiue colloquium Bataui, Zeelandi, Friſii & Groningenſis, 1651, itidem pro Auriaco. *Tumultus Bickeriani*, Bruxellis 1650. *Amſtelodamenſis turbatus*, 1650. *Dialogus ruſticus*, 1650. *Amſtelodamum deliberans*, ad ordines foederatos Belgii 1650. *Sciagraghia regiminis*, in Belgio poſthac inſtituendi, 1650. *Tutela principis Auriaci* 1650. *Dialogus* Brabantini, Bataui, Zeelandi, Geldri & Friſii, Antuerpiae 1650. *Narratio* de tumultu Amſtelodamenſi, 1650. Alius *dialogus ruſticus*, priori oppoſitus 1650. MAXIMIL. TRELINGII *ſermo* ad principem Auriacum, Middelburgi 1650. *Cauſſae*, quare princeps Auriacus quosdam Amſtelodamenſium ſenatores cuſtodiae liberae mancipari, 1650. *Leo Batauus turbatus*, ſiue colloquium nuncii Hagenſis, hoſpitis Amſtelodamenſis & ciuis cuiusdam, 1650. *Apoſtrophe* ad ciues patriae amantes 1650. *Suprematus ordinum Hollandiae impugnatus*, 1650. *Foedus*

nouum ordinum Belgii ſancitum 21 auguſti 1651, cum variis actis eo pertinentibus. *Ephemeris Amſtelodamenſis*, ſiue narratio eorum, quae ibi a die 30 iulii vſque ad 4 auguſti contigerunt. Quibus omnibus addi poſſunt BERNHARDI ALTINGII *Fulcra Groningenſia* 1648 in 4 belgice. Vix mortuo in flore aetatis Auriaco hae turbae conquieuerant, cum Angli & Cronwellius bellum atrox & cruentum Belgis intulerunt, in quo poſtquam ancipiti marte pugnatum fuiſſet, Belgae pacem non ſatis honeſtam inire adacti fuerunt. Inter alia varia, quae tunc temporis in lucem emiſſa fuerunt, commendanda veniunt duo inſignia ſcripta, quorum prius, latine a RABODO HERMANNO SCHELIO exaratum, de cauſſis belli anglicani omnino legi meretur. Praeceſſit eius *protrepticus* ſermo de pace ad principes chriſtianos, ſane grauiter & eleganter ſcriptus, & nomine ſubdititio *Publii Demophili* primum 1646 publicatus ac poſtea curante Theophilo Hogerſio 1669 in 12 recuſus. Cuius tanto libentius mentionem hic iniicio, quanto magis in transcurſu commendandi veniunt eiusdem argumenti *Angelus pacis* a Nicolao Cauſino ſcriptus & 1651 in Germania recuſus. Vt & *Iacobi Wallii Oliua pacis* integro libro tertio elegiarum repraeſentata. Alter, quem circa hoc belli anglicani argumentum omnino legendum cenſemus, eſt DAVIDES BLONDELLVS

vir

vir celeberrimus, qui *iuſtitiam cauſſae belgicae contra Anglos* gallice maſcule & cordate aſſeruit; prodiit 1652 in 4. Inter milites ſubſidiarios & velites recenſemus auctorem anonymum ſcripti belgici, cui titulus *Mare liberum*, Grotii non raro vitula arantem; prodiit ibidem 1652 in 4: vt & auctorem *dialogi inter Anglum & Batauum*, 1653. Vix pacem recuperauerant Belgae, cum inter halcyonia illa, diſſidia gliſcerent inteſtina, Wittiis fratribus, qui tum ad clauum reipublicae ſedebant, Auriacum impuberem deprimentibus, & plerosque procerum in ſuam ſententiam trahentibus, cum e contrario alii a partibus Auriaci ſtabant: hinc libellis, & illis quidem ſat acerbis, certatum, donec flamma belli gallici integrum corriperet Belgium foederatum, & illius ruina Wittii, viri cetera magni & prudentes, ſimul obruerentur; vid. SCHELII, quem antea diximus, *Libertas publica*, 1666 latine edita, vbi vir ſummus ſatis inclementer erga fautores Auriaci ſe gerit. Ipſum ordinum Belgii decretum, *edictum* vocabant *perpetuum*, Wittiorum calamo conſcriptum, ſanguine reſciſſum aut deletum, in quo vt Auriaco aegre fieret, ordines Batauiae diſerte cauebant, ne imperii militaris ſumma & pro-comitis (ſtatthalter) apud Batauos dignitas vni eidemque tribueretur; prodiit belgice Hagae 1654, & latine eodem anno Lugduni Batauorum,

mox tamen annotationibus & reſponſo, Hagae ibidem impreſſo excepta; & huc quoque pertinent *V. D.H. ſiue Van Der Hoffe*, aut, vt gallice audire maluit, *de la Cour*, mordaces aduerſus Auriacum libelli, quibus ipſi Wittii, nam in familia eorum agebat, manum admouiſſe creduntur. Nempe *Scopus reipublicae Batauae*, ſiue fundamenta ſalutis hollandicae, Amſtelodami 1662 in 8. *Fundamenta reipublicae hollandicae*, Leidae 1669. Et *Comitum in Hollandia regimen*, 8. Refutati tamen a quodam I.C. in ſchediaſmate, cui titulus *Incrementa Batauiae*, 1662 in 8. Prodiit porro tunc temporis *Ruſticus querulus* Hagae 1662, eique oppoſitus *Aeſopus defenſor, princeps reſtitutus*, Auriaco fauens, Amſtelodami 1663. *Pariualii* verus ſcopus reipublicae Batauae, gallice. *Regimen pro-comitum apud Batauos*, Amſtelodami, ſcheda Auriacis infeſta. *Lapis lydius regiminis pro-comitum. Preces publicae* cum annotationibus 8. Minoris momenti ſunt germanico etiam ſermone ſub ipſum belli gallici principium emiſſa *Artocreas Batauus* contra Batauos. Eiusdem *refutatio* pro principe. *Tumultus in regia Plutonis ob aduentum Wittiorum fratrum* 1673 ſcriptum multo felle & aceto madens. *Meditationes politicae* de bello gallo-belgico 1672. *Inſtrumenta gallica*, ad commercia Batauorum deſtruenda, 1672 in 4. *Veridicus Germanus ad Batauos pauidos*, 1672

1672. *Satyra* latina ingenioſiſſima, ſtilo, quem lapidarium vocant, exarata, cuius auctorem probe nouimus virum doctum, & dum inter viuos ageret, multa nobis familiaritate coniunctum. *Medicina*, Hollandiae morbis ex factione Lupenſteinia originem trahentibus oppoſita, 1672. *Singularia apud Belgas euenta*, quae intra 20 & duorum annorum ſpatium accíderunt: cuius ſcripti auctor Auriaco fauet. Plura omittimus, cum ad finem properemus, & ſuperioribus tantum addimus *dialogum* gallicum de vectigalibus & tributis Batauiae inter monachum brabanticum, nobilem Gallum, pontificium, cauſſarum patronum Hagenſem, & Gallum exulem, Amſtelodami 4; *Syllogen actorum* circa ſcribendos 16000 milites, 1684 in 4; & tandem aliam *ſyllogen* de electione ſcabinorum Amſtelodamenſium, 1690 in 4.

§. XII.

Hiſtoriam pomparum ſolennium apud Belgas praecipue illuſtrabunt ſcriptores, qui de celeberrimo aurei velleris equitum ordine, data opera egerunt. Nam licet inclutum illud vellus a rege Hiſpaniarum, eius capite, viris illuſtribus conferatur, non tamen id vt rex Hiſpaniae, ſed vt princeps Belgarum agit, cum ordo ille a Philippo Bono, Belgarum principe, inſtitutus fuerit. Videantur igitur *ſtatuta & leges aurei velleris*, Coloniae 1689 in 12 gallice. IOH. IACOBI CHIFFLETII

Inſignia equitum aurei velleris, Antuerpiae latine & gallice 1650 in 4. IOH. BAPT. MAVRITII *Inſignia equitum aurei velleris*, Hagae 1667 fol. qui liber eſt ſplendidiſſimus, multisque figuris aeneis exornatus. *Mauſoleum aurei velleris*, ſiue inſcriptiones equitum ſepulcrales, Amſtelodami 1689 in 12. AVGVSTINI ERAHT *Auguſtus aurei velleris ordo*, Ratisbonae 1697 in 8 latine: & qui principe loco nominari debebat, IOH. BAPT. CHRISTINAEVS in magnifico opere *iurisprudentiae belgicae*, voluminibus duobus folio Bruxellis 1668, & iterum 1689 latine publicato, qui non tantum hunc ordinem, ſed reliqua omnia, quae ad nobilitatem eiusque inſignia praecipue in Belgio faciunt, ſolide & accurate exponit. Ceterum ad ipſas quod attinet pompas triumphales, tres tantum nobis occurrunt ſcriptores, nempe CASPARIS GEVARTII, viri doctiſſimi, *Pompa introitus Ferdinandi Auſtriaci Antverpiam*, quae in illa vrbe typis vere auguſtis, imo regiis 1641 prodiit. *Anonymi inſcriptiones arcuum triumphalium & pegmatum*, Antuerpiae in gratiam eiusdem principis erectorum, ibidem 1635 in 4, quo libro facile carere poteſt, qui priorem poſſidet. Et denique *eiusdem Ferdinandi triumphalis introitus in Flandriae metropolin Gandauum*, cuius auctor eſſe creditur GVILIEL. BECANVS poëta celebris, infra nobis iterum dicendus; prodiit Antuerpiae 1636 in fol.

§. XIII.

§. XIII.

Accedimus ad ſcriptores epiſtolarum non adeo multos, praeſertim ſi Barlaeum & Grotium ſupra iam dictos exceperis. Attigit paſſim quaedam ad rempublicam pertinentia in epiſtolis ſuis *Dominicus Baudius*, attigit *M. Zuerius Boxhornius*, cuius epiſtolarum & poëmatum non ſpernenda eſt editio Lipſienſis, quam Iacobus Thomaſius adornauit. Tetigit etiam *Erycius Puteanus*, imprimis in epiſtolis ad Hugenium & Heinſium, a Boxhornio Lugduni Batauorum 1647 in 12 publicatis. Maxime autem huc faciunt *illuſtrium & clarorum virorum epiſtolae ſelectiores*, ſuperiore & hoc ſeculo ſcriptae, in centurias tres diſtributae, & Harlingae Friſiorum a Simone Abbes Gabbema 1669 in 8 vulgatae. Atque *epiſtolae eccleſiaſticae praeſtantium ac eruditorum virorum* (maximam vero partem Arminianorum) tum Amſtelodami 1660 in 8, tum ibidem longe auctiores 1684 in folio editae. Quamuis enim titulus indicet, eccleſiaſtica eſſe multa; tamen ibi habentur, quae hiſtoriam Belgii ciuilem adornant, & illuminant, magnoque vſui eſſe poſſunt talium ſtudioſis.

§. XIV.

Oratores & poëtae iam ſequuntur, ex quibus primo producimus DOM. BAVDIVM, qui praeter diſſertationes de induciis ſupra commemoratas, in orationibus ſuis ſub perſona Belgii

ordinum ad Iacobum I Britanniarum regem verba facit, de non ineundo foedere cum Hiſpanis. DANIEL. HEINSII habemus *orationem* in obitum Mauritii Naſſouii; *gratulationem* de foedere inter Venetos & ordines foederatos; aliam *gratulationem* ad Fridr. Henricum principem Auriacum poſt ſubactam Saſſiam Waſiamque; & tandem *allocutionem* ad Guilielmum Auriacum ſuper obitu patris. BARLAEVS ſcripſit *gratulationem* panegyricam ad Fridr. Henricum principem Auriacum, cum gubernator Geldriae & Hollandiae crearetur; *panegyricum* ad eundem ob expugnatam Silvam-ducis; cui ſubiungitur *oratio tribunorum* ad principem Auriacum in caſtris, imitatione Curtiana; *orationem* de recepta Breda; & *aliam* de victa 1639 Hiſpanorum claſſe. Et M. ZVERIVS BOXHORNIVS habuit *orationem* de eadem claſſe deuicta; *panegyricum* praeterea compoſuit in nuptias Guilielmi principis Arauſionenſis & Mariae Caroli Magnae Britanniae regis filiae primogenitae; *allocutionem* ad Belgas Hiſpano adhuc parentes, poſt Saſſam Gandauenſem a foederatis expugnatam; & tandem *gratulationem* de Belgarum pace. THEOPHILI HOGERSII binae extant *orationes*, habitae bello anglico ſecundo: *prima* de patria fortiter defendenda poſt acceptam 1665 cladem, *altera* de pace Batauorum & Britannorum: exſtant inter eius orationes & poëmata iuuenilia, ſeorſum-

ſeorſumque in 12 anno 1669 excuſae ſunt. SAMVEL TENNVLIVS edidit Amſtelodami 1675 *Belgam aſſertorem chriſtiani nominis*, in qua oratione ea, quae gallo-belgico acciderunt, non inficete deſcripta. FRANCISCVS BVRMANNVS, theologus Vltraiectinus, conſcripſit & publice recitauit *orationes duas*, *vnam* de Belgio afflicto, *alteram* de cauſſis Belgii afflicti; prodiit cum reliquis eius operibus hoc ipſo anno 1700. IOHAN. GEORG. GRAEVIVS habuit *orationem* de expeditione britannica, Traiecti ad Rhenum 1689 folio editam. Tandem NICOLAVS VRYBVRG compoſuit *Auriacam manum victricem*, ſiue Alcmariam triumphantem, cum Guilielmo imperatore, publice declamatam 1697 d. 10 nouembris; prodiit Lugduni Batauorum 12 anno 1698. Poëtas ſi cum puluiſculo congerere velimus, operoſam plane rem aggrederemur, itaque potiſſimorum potiſſima tantum indicabimus. Inter DANIELIS HEINSII poëmata extemporaria inuenio *epigramma* in veſanum Gallum, qui coniuratis ad mactandum principem Auriacum manum obtulerat, p. 420; & *alteram* ibidem in aduentum Guilielmi Naſſouii ſponſi regii. HVGONIS GROTII exſtat libro ſecundo Siluarum p. m. 27 *genealogia* Naſſóviorum; p. 72 *epicedium* Iacobi Hemskerckii, Batauorum fortiſſimi thalaſſiarchae; p. 75 *carmen* in inducias: & Farraginis l. 3 p. 213 *apologus*

mire lepidus, quo Belgii foederati ſtatus & Hiſpanorum inſidiae adumbrantur: lib. 1 epigrammatum p. 229 *ludit* in imaginem principis Mauritii Naſſouii; p. 235 exhibet admirabile illud epigramma in Oſtendam, quod iuuenis admodum compoſuerat, plerique autem ob praeſtantiam Scaligero adſcripſerunt (Confer. BARCLAII *Oſtenda capta* poëmatum l. 2 p. 63); p. 244 habes *epigramma* in aduentum Spinolae; tandemque l. 2 p. 272-281 integram *ſyllogen epigrammatum* de rebus geſtis ductu Mauritii. CASPAR ENS ſcripſit libros ſex *Mauritiados*, editos Coloniae 1612 in 8. BARLAEVS integro heroicorum lib. 2, qui *Auriacus* inſcribitur, victorias Belgarum celebrat, atque in miſcellaneis multa habet, hiſtoriam belgicam illuſtrantia, quae omnia hic recenſere, praeſertim cum liber paſſim in ſtudioſorum manibus ſit, ſuperuacaneum foret. BOXHORNII poëmatum p. 20 *carmen* eſt in Bredam captam; p. 27 in aggerem Scaldiae vi aquarum admodum concuſſum, 22 auguſti 1637 & faſcibus inſtauratum, & p. 70 in Siluam-ducis expugnatam. In IOHAN. ISAACI PONTANI carminibus Batauorum res geſtae paſſim celebrantur. IANVS BODECHERVS BANNINGIVS Siluam primam ad Fridr. Henricum principem Auriacum direxit, ex caſtris redeuntem poſt expugnatam Hiſpanorum claſſem ad Scaldin fluuium; & in eandem victoriam compoſuit

compoſuit eclogam *Alconen* ſiue Siluam ſecundam. CONSTANTINI HVGENII *Momenta deſumtoria*, 1656 in 8 edita, talium admodum plena ſunt, & ſingulis ferme paginis aliquid huc faciens exhibent. NICOL. HEINSII elegantiſſimi ſunt *Manes Trompiani*, ſiue elegia I lib. 3 elegiarum p. 63. OTTO ZYLIVS S. I. ſcripſit *Cameracum ab archi-duce Leopoldo Guilielmo obſidione liberatum*, parte 3 inuenitur in Parnaſſo pat. ſocietat. p. 497. GVILIEL. BECANVS S. I. libro 2 elegiarum elegia 1, 2, 3, 4, 5 & 6 celebrat *laudes Ferdinandi Auſtriaci* Belgarum gubernatoris. IACOBI WALLII l. 1 heroicorum p. 10 exſtat *epinicion* Leopoldo Guilielmo de expugnata Dunkerka. CASPAR KINSCHOTII habemus carmina l. 2 p. 18 in mortem Friderici Henrici Auriaci, p. 20 in obitum ſecundi eius filii vix nati, p. 21 manes Henrici Naſſouii, Friſiae & Groningae praefecti: l. 3 p. 94 in claſſem hiſpanicam pone Braſiliae littora profligatam, p. 128 celebratur pax belgica, p. 142 legitur carmen ad pacem, p. 152 epinicium Trompianum poſt claſſem hiſpanicam expugnatam, & l. 4 p. 186 Ferdinandi Auſtriaci Belgarum gubernatoris epitaphium. Ex PETRI FRANZII carminibus, & quidem ſecunda editione, l. 1 p. 1 huc pertinent *epicedium Ruyteri*, lib. 1 elegiarum elegia 2 p. 124 *victoria Batauorum de Gallis ac Britannis III:* l. 3 eleg. 5 *Narda*

recuperata, eleg. 6 *Traiectum ad Rhenum liberata:* l. 4 eleg. 12 *Natalis Guilielmi III:* odarum l. 1 oda 7 *ode gratulatoria cum in Angliam traieciſſet Guilielmus III:* l. 2 oda 11 *Namurcum expugnata:* Silv. l. 3 p. 396 carmen in *diem*, quo Guilielmus Britanniae rex eſt creatus, p. 397 aliud in eundem Hiberniae pacatorem, p. 399 in Maximilianum electorem Bavarum & Belgii regii gubernatorem: vt taceam *Iſaaci Swerii & Cornelii Trompii*, claſſis imperatorum *epitaphia*, quae inter epigrammata leges. Apud IANVM BRONCKHVSIVM p. 81 inuenio epigramma in cladem Haſſelio Geldriae oppido puluere pyrio illatam 1681. Tandem 1698 GVILIELMVS HORNIVS poëmata dedit Roterodami 8 non admodum magni ſpiritus, ex quibus huc faciunt potiſſimum *Auriados* libri duo.

CAPVT VII.

HELVETIA.

§. I.

HEluetii & eorum foederati, armis magis quam litteris dediti, non multi quidem fuere in rebus geſtis huius ſeculi exponendis, praeſertim cum inter reliquos orbis chriſtiani tumultus, inteſtinis quibusdam diſſidiis exceptis, pacate cetera atque tranquille egerint. Exſtiterunt tamen pauci, quibus volupe fuit, ſitum patriae & praeclara municipum facta ſtilo ſignare: quorum nunc cenſum curate inſtituemus.

§. II.

Ante omnia monemus, IOHAN. HENR. HOTTINGERVM, aeternum Heluetiae & imprimis Tigurinae ciuitatis decus, elegantiſſimam diſſertationem compoſuiſſe de *methodo legendi hiſtoriam heluetícam:* quae eſt in pentade diſſertationum miſcellanearum, Tiguri in 8 anno 1654 impreſſarum, quinta, quam legiſſe fructuoſum omnino & vtile erit. Ceterum integram Heluetiam, ſuperiore quidem ſeculo deſcripſit IOSIAS SIMLERVS, theologus & polyhiſtor Tigurinus celeberrimus; ſed ita tamen ſe geſſit, vt dignum cenſuerint Elzevirii, quem anno 1627 nitidis typis impreſſum Rebuspublicis ſuis infererent, probe gnari,

ipſum Heluetiam magna cum induſtria deſcripſiſſe, nec facile quenquam in hoc ſtudio palmam ei praerepturum. IOHAN. BAPT. PLANTINVS Bernae 1656 in 8 *Heluetiam* publicauit *antiquam & nouam*, quae poſtea gallice quoque loqui didicit. CASPAR STEINER ſtilo germanico, ſed eo, vt Heluetiis in more poſitum eſſe ſolet, admodum impolito ac rudi, *Helueto-Spartam* ſiue ichnographiam totius Heluetiae nobis repraeſentauit; prodiit Turgii, 1684 in 12. Verum cum pontificiis addictus ſit ſcriptor, facile conſtat, quid ab eo ſperandum ſit, vbi diſſidia ſacra enarrat. RANVCCIVS, comes Scotus, pontificis romani apud Heluetios legatus, ſiue vt vulgo vocant *nuncius*, Maceratae ſermone italo anno 1642 vulgauit *Heluetiam ſacram & profanam*, de qua conſulatur Hottingerus in diſſertatione modo laudata. TAFFINVS Gallus exhibuit *ichnographiam Heluetiae* in 4. REBOVLETVS & LA BRVNIVS, exules Galli, ſermone patrio Heluetiam non inficere deſcripſerunt; prodiit ipſorum *Iter helueticum* Hagae Comitum 1686 in 12. Nouae vrbis *Henricopolis* prope nouum Caſtrum in Heluetia deſcriptio Lugduni Gallorum 1626 prodiit: quibus omnibus tandem adiungimus WAGNERI *hiſtoriam naturalem Heluetiae*, quae in 12 anno 1664 Tiguri prodiit. Et hi quidem chorographiam & notitiam reipublicae helue-

helueticae nobis repraeſentarunt. Ceterum interiora ſcrutari deſiderantes mirifice iuuabit, anonymi cuiusdam *Heutelia*, ſiue iter per Helvetiam inſtitutum; prodiit germanice 1650 non appoſito loci nomine. Eſt ille liber omnino inter rariora ciuilis prudentiae inſtrumenta numerandus, ideoque noſtris diligenter commendatur, vt ſi facultatem nanciſcantur eius potiundi, illam minime inſuper habeant. Acceſſit in calce operis clauis, ſed illa admodum imperfecta, quam facile ſuppleremus, niſi anguſtia temporis, quo circumſcribimur, nos properare iuberet. Quod ad ipſas Helueticorum res geſtas attinet, habuerunt illi locupletem hiſtoricum IOHAN. STVMPFIVM, cuius *chronicon helueticum* (*Schweizer-Chronica*) ſuperiora quidem ſecula potiſſimum reſpicit, aſt cum vltima editione Tigurina 1606 vſque ad illum annum continuatum ſit, nequaquam nobis praetermittendum eſſe videbatur; ſcriptum eſt ſermone germanico, conſtatque duobus ſpiſſis voluminibus fol. IOHAN. HENR. SVIZERVS *chronologiam* quidem confecit *helveticam*, ſed cum tantum vſque ad annum Chriſti 1407 peruenerit, nihil nos iuuat. Potiori igitur iure nominabimus MICHAELEM STAETTLERVM, cuius *annales heluetici* vſque ad annum 1630 pertingentes Bernae ſermone germanico 1627 fol. prodiere. *Peregrinus Simplicius Amerinus*, ficti nominis ſed cordatus

ſcriptor, *bellum ciuile belueticum* 1656 in 12 ſermone latino exarauit, idque ſtilo ſatis nitido, nec, quamuis a pontificiorum ſtet partibus, odio nimium dat; prodiit eodem anno in 12. IOHAN. HENRICVS RHAN idiomate vernaculo *res helueticas* vſque ad annum 1689 perſcripſit; prodiit Tiguri 1690 in 8. Motus inteſtinos helueticos, quibus ob Conſtantiam ad Acronium lacum a Suecis obſeſſam Heluetia arſit, FRIDER. SPANHEMIVS, celebratiſſimus inter reformatos theologus, ſermone gallico expoſuit; prodiit liber ſub titulo *Mercurii heluetici* Geneuae 1634 in 8, quamuis nomen auctoris non ſit expreſſum. Addantur his *faſti heluetici* Lipſiae 1698 in 8 editi. Quod ad ſingulas attinet Heluetiae ciuitates, commendamus HOTTINGERI *Speculum Tigurinum* latino idiomate compoſitum; prodiit 1665 in 12: eiusdem *ſcholam Tigurinorum Carolinam* latine ſcriptam Tiguri 1664 in 4: IOH. GROSSERI *ſynopſin annalium Baſileenſium*, Baſileae 1624 in 8 germanice: LEOPOLDI CYSATI rariſſimum & nobis adhuc fruſtra quaeſitum *de quatuor vrbibus Heluetiae ſilueſtribus* librum, qui lectu omnino dignus eſt; & tandem MARCI HALTMEYERI *deſcriptionem ciuitatis S. Galli*, quae ibidem 1683 in 8 germanice publicata. Et hi ſunt hiſtorici Helvetiae. Acta habemus admodum pauca, niſi forte eo reſpiciant *dialogus duorum Heluetiae ciuium*

ciuium euangelicorum, 1633 in 4; *Helueticus ſincerus*, nullisque addictus partibus, ſine die & conſule, 4; & *claſſicum helueticum*, 1688. Quibus merito addes HOTTINGERI *Irenicum helueticum* ſeu de pacis & concordiae ſtudio inter Heluetios, quae in pentade commemorata quartum obtinet locum.

§. III.

Ab Heluetiis digredimur ad ſocios & foederatos, quos inter familiam ducunt *Rhaetii*. Ad illos ſpectant IOHAN. GVLERI a WEINECK *Rhaetia* libris quatuordecim conſtans, & Tiguri 1616 fol. germanice publicata, quae quamuis plura contineat vetera, quam recentiora; ob chorographiam tamen accuratiſſimam magni eſt facienda. FORTVNATI SPRECHERI *Pallas Rhaetica* Baſileae 1622 in 4, & Lugduni Batauorum inter Respublicas Elzeuirianas 1638. Eiusdem *hiſtoria motuum* & bellorum poſtremis hiſce annis in Rhaetia excitatorum & geſtorum, Coloniae Allobrogum 1629 in 4. GABRIELIS BVCELINI *Rhaetia*, 1666 in 4, qui multus eſt in familiis illuſtribus recenſendis. CAROLI PASCHALII *Legatio Rhaetica*, Lutetiae Pariſiorum 1610 in 8, liber rarus & eleganter ſcriptus, qui tamen ab Andrea Mauroceno Venetorum clariſſimo hiſtorico, partium ſtudii inſimulatur. Referas huc quoque *chorographiam vallis Tellinae*, quae in ditione Rhaetorum eſt, Argentorati 1625 edita

germanice in 4: *dialogum duorum Heluetiorum* de motibus Rhaeticis, ſine die & conſule: *tyrannidem factioſorum in Valle Tellina*, Tiguri 1621 in 4 germanice: & *hiſtoriam gallicam Vallis Tellinae & Rhaetorum* ab anno 1620, Geneuae 1632. *Valeſiam cum Alpibus* deſcripſit SIMLERVS, iterum ab Elzeuirianis Lugduni Batauorum 1633 in 24 editus. *Geneuam* illuſtrauit IACOBVS SPONIVS *in Hiſtoria Geneuenſi*, (*Hiſtoire de Geneue*) Lugduni Gallorum 1680 edita, & poſtmodum in Belgio recuſa. Deformauit vero ſtilo ſatyrico virulentiſſimo GREGORIVS LETI, cuius *Hiſtoria Geneuenſis* ſermone italo Amſtelodami 1686 in 12 neſcio vtrum maiori cum vrbis, an auctoris dedecore, prodiit. *Leges Geneuenſium* anno 1617 in 8 publicam lucem adſpexerunt. Controuerſiae, quae ipſis cum Allobrogum duce intercedunt, lucem accipiunt ex duobus ſcriptis Amoebaeis gallicis 1606 in 8 vulgatis, quibus titulus eſt: *Ciuis Geneuenſis & eques Sabaudus*. Inuaſionem Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis 1602 fruſtra tentatam deſcripſit SALLVSTIVS PHARAMVNDVS Heluetius in *Carolo Allobrogo* ſiue de ſuperuentu Allobrogum in vrbem Geneuam, hiſtoria latine 1603 edita; & ANTONIVS FAYVS in *carmine heroico*, cui elogium *Geneuae liberatae* praeſcripſit, prodiit Geneuae in 4 anno 1602. Tandem *anonymus hiſtoriam incendii pontis ſuper Rhodanum exſtructi* 1671 in 12 gallice edidit.

CAPVT

CAPVT IIX.

ITALIA.

§. I.

INgredimur florentiſſimam orbis chriſtiani prouinciam, Italiam ſcilicet, in qua ob multos diuerſosque, quibus illa regitur, principes, multa nobis quoque dicenda erunt: vnde, vt aliquod laboris compendium faciamus, acta & commentarios, praeſertim cum illorum ſeſe nobis non vſque adeo magna offerat copia, ſtatim cum hiſtoria coniungemus, pompas deinde, orationes & poëmata, ſi qua occurrent, & varia tandem ſubiuncturi.

§. II.

Initium autem faciemus ab Italia generatim conſiderata, & vt conſueuimus, primo choro- & topographiam, deinde genealogiam, & tandem hiſtoriam Italiae generalem perluſtrabimus. Italiam in genere deſcribit ſermone italo IOHAN. MAGINVS, qui liber Bononiae 1620 fol. cum tabulis geographicis prodiit, quae deinceps tabulae atlantibus belgicis inſertae fuerunt. IODOCI HONDII *deſcriptio Italiae hodiernae* prodiit Amſtelodami 4 cum tabulis & figuris. ANDREAE & FRANCISCI SCHOTTI *Itinerarium Italiae*, primum latine Antuerpiae 1600, & ibidem deinde ſaepius, atque Romae etiam 1650 italice prodiit. IOH.

HENRICI PFLAVMERI *Mercurius italicus* nouiſſime 1649 Vlmae 8 latine prodiit. *Theatrum ciuitatum Italiae*, Paduae 1629 in 4 ſermone hetruſco iuris publici factum fuit. Quod tamen ipſum Theatrum longe ſuperant pretioſiſſima duo volumina Amſtelodami apud Iohannem Blauium impreſſa, quibus titulus praefigitur *Theatrum ciuitatum & admirandorum Italiae*, ad aeui veteris & temporis praeſentis faciem expreſſum. *Itinerarium Italiae* FVRTENBACHII germanico ſermone Vlmae 1627 impreſſum ob delineationes accuratas locorum admodum commendatur. Nec ſpernendum eſt NEVMEYERI *Iter italicum & hiſpanicum*, vernaculo itidem idiomate editum, & 1672 recuſum. *Italia breuis & accurata deſcriptio* latine edita fuit Vltraiecti 1650 in 12. Ibidem eadem forma 1655 in 12 lucem adſpexit *Galliae & Italiae deſcriptio. Iter principis Conde*, Henrici Borbonii *italicum*, Lugduni Gallorum in 12 anno 1665 gallice editum fuit. *Iter italicum & orientale* LAVNEI & STOCHOVII gallice Rotomagi anno, ni fallor, 1666 vulgatum. SECVNDI LANCELLOTI habemus *Mercurium Oliuetanum*, vel ducem itinerum per integram Italiam, Peruſiae 1628 in 12 duobus voluminibus conſtantem. *Deliciae* Italiae, Hiſpaniae, vniuerſae Germaniae & *viator* indicans itinera, ciuitates & oppida, aliaque continens, prodiit auctore CYPRIANO

CICHONIO,

CICHONIO, Vercellis 1603 in 4 duobus voluminibus cum tabulis geographicis. PAVLVS MERVLA in egregio cosmographiae opere, tum forma maiori, tum etiam in 12 Amſtelodami 1637 impreſſo, tomo tertio *Italiam veterem & nouam* magna cum cura repraeſentauit. GERHARDVS CELLIVS ſermone patrio *iter Friderici ducis Würtenbergici italicum* Tubingae 1603 in 4 publicauit. IOHAN. IACOB. GRASSERVS germanice edidit *Aerarium italicum, gallicum & anglicum*, in quo multa notatu digna leguntur, Baſileae 1609 in 8. *Paradiſus deliciarum Italiae* Coloniae 1625 in 12 germanice prodiit. ZEILERI *Itinerarium Italiae* diligenter elaboratum ſermone itidem patrio, Francofurti apud Merianos 1640 in folio lucem adſpexit. AVDEBERTI *Itinerarium Italiae* (*Voyage d'Italie*) 1646 Pariſiis, & DV VALLII eadem lingua eodemque anno ibidem impreſſum fuit. *Iter* RICHARDI LASSELII *italicum*, ex anglico ſermone gallicae conſuetudini traditum, primo 1670 Pariſiis in 12, ac dein ſaepius vulgatum, & germanice quoque verſum. Gallus quoque anonymus *per Galliam & Italiam 1661 iter* ſuſcepit, quod dein 1670 lingua gallica publicauit, qui tamen cum alioqui ſatis diligens ſit, in eo non placet, quod vbique nimis putide numerum ſeptenarium ſectetur. Itaque magis placet HVGVETANI gallicum ſcriptum *itinerarium*, &

Lugduni 1687 editum, cui SPONIVS *catalogum palatiorum*, & alterum *praeſtantium clarorumque virorum in Italia*, adiunxit. BVRNETI *Iter italicum* cum appendicibus non iniucundis Londini 1689 ſermone anglico in 12 prodiit, legique meretur, quamuis Italis ipſis non admodum arriſerit; Exſtat quoque germanice verſus. IOHANNES MABILLONIVS & ſocius ipſius MICHAEL GERMANVS tomo primo *Muſaei italici* 1687 Pariſiis in 4 impreſſi; praefixum eſt iter elegans omnino atque eruditum. WILHELMI ACTONI *Iter* anglice Londini 1691 in 12 publicatum, ibidem 1693. ANONYMI *Obſeruationes in itinere italico & gallico collectae* in 8 prodiit. MAXIMILIANI MISSONI *Iter italicum* ſermone gallico primo Hagae Comitum 1691, & deinde longe auctius ibidem 1694 publicatum. *Viatorium*, vt vocant, *Galliae, Germaniae & Italiae* Francofurti 1671 in 12 lucem adſpexit. Belga anonymus Vltraiecti 1696 belgice *Iter italicum* admodum elegans in 4 edidit, in quo profecto ſingularia legas. Gallus anonymus Lutetiae 1698 vulgauit *Iter italicum atque graecum*, gallica lingua 12. Hoc ipſo anno 1700 prodiere *Memoriae itineris italici*, gallica lingua; itemque aliud *Italiae hodoeporicon* duobus voluminibus conſtans: ſed vtrumque non ſit magni a cenſoribus peritis. Conferatur cum his omnibus GREG. LETI *Italia regnans*, (*Italia regnante*)

Geneuae

Geneuae 1675 in 12, quatuor voluminibus idiomate hetruſco edita, in qua eadem propemodum repetiit, quae antea in dialogis hiſtoricis attulerat; niſi quod indicem virorum litteris clarorum adiecerit. *Itinerum hiſtoricorum* tomus tertius Pariſiis 1693 gallice impreſſus, Italiae deſtinatur. PACICHELLI *Itinerum*, de quibus iam ſupra egimus, *tomus quartus* in duas partes diuiſus. Genealogiam Italiae vniuerſae illuſtrarunt SAMSOVINVS in *Familiis italicis*, ſermone italico Venetiis 1609 in 4 recuſis. IOHAN. PETRVS CRESCENTIVS in *Corona nobilitatis italicae*, Romae 1639 in 4 itidem italice publicata. ZAZZERA de *nobilitate italica* duobus voluminibus Italis, Neapoli 1655 in folio excuſis: Pluraque praeſtiturus eſt in *Genealogiis procerum Italiae* propediem prodituris celeberrimus IMHOFFIVS. Notitiam Italiae ciuilem generatim ſuppeditabunt THOMAS SEGETVS in libellis variis de *principatibus Italiae*, Lugduni Batauorum 1628 impreſſis, & Rebuspublicis Elzeuirianis annumeratis. LVDOVICVS RODOLPHINVS SABLONETA de *origine, dignitate & poteſtate ducum Italiae* primo Tortonae vulgatus 1605, deinde curante Chriſtophoro Beſoldo Argentorati 1624 eadem forma recuſus. NICOL. SAMSONIVS, qui gallico ſermone duobus voluminibus de *principibus Italiae, eorum ſtatibus, opibus & familiis* egit, prodiit 1643. Et

tandem GREGORIVS LETI in *dialogis politicis*, vbi de ſingulis Italiae principibus & rebuspublicis diſſerit, editis italice Geneuae 1666 in 12 duobus voluminibus. Quae autem hoc ſeculo in vniuerſa Italia euenere, luci lenter exposſuerunt IOSEPHVS RICCIVS in *Narrationibus rerum italicarum* ab anno 1613 vſque ad 53; prodiit ſermone latino & illo quidem non ineleganter Venetiis 1655 in 4. ABBAS TOSSATVS in *Memoriis hiſtoricis de bellis italicis huius ſeculi*, Mediolani 1640 in 4 italice. PETRVS IOHAN. CAPRIATA tribus voluminibus in 4 anno 1638 & ſequentibus annis Geneuae in 4 editus. HIERON. BRVSONVS in *Hiſtoria Italiae, (Iſtoria d'Italia)* primum Venetiis in 4 anno 1671, deinde Auguſtae Taurinorum 1680 folio publicata, & vſque ad annum 1679 deducta. LVCAS ASARINVS in *Bellis italicis huius ſeculi*, Auguſtae Taurinorum 1665 in folio. *Anonymus* Gallus, qui ſermone patrio varios *variorum de bellis italicis commentarios* collegit, & Pariſiis 1669 in 12 emiſit. VILLARSIVS in *Hiſtor. generali* bellorum in Pedemontio, ducatu Sabaudiae, marchionatu Montisferrati, ducatibusque Mediolanenſi & Mantuano geſtis, *(Memoires ou Hiſtoire generale des guerres de Piedmont &c.)* Pariſiis 1630 in 8 duobus tomis.

§. III.

Inter principes Italiae cum principem

teneat

teneat locum pontifex romanus, eius prouincias topographice & hiſtorice perluſtrabimus. Inter topographias *romana* familiam ducit, quam excoluerunt *auctor anonymus Romae antiquae & nouae*, 1668 italice. DONATVS in *Roma antiqua & noua*, latine ſcripta & Romae 1639 in 4 excuſa, dein Amſtelodami typis elegantiſſimis 1695 recuſa, tomoque ſimul tertio Antiquitatum Graeuianarum inſerta. PETRVS MARTYR FELINVS in *Roma*, italice primo ſcripta, aſt dein ab Alfonſo Munnozio in ſermone hiſpanico conuerſa, & Romae 1610 edita. ALBERTVS REIMARVS in *Roma veteri & noua* 1662 germanice duobus tomis vulgata. IOHAN. BAPT. FALDA in nouiſſima & accuratiſſima *Romae veteris & nouae tabula* topographica, quam tomo quarto Antiquitatum ſuarum inſeruit doctiſſimus Graeuius. TOTTVS in *Effigie Romae antiquae & hodiernae*, Romae 1627 in 8. IOH. IACOB. RVBEVS, vulgo ROSSI, in nouo *Theatro aedificiorum Romae recentioris* libris tribus conſtante, 1665 Romae. Idem in *Fontibus romanis* a IOHAN. BAPT. FALDA delineatis, ibidem anno eodem in folio transverſis. OCTAVIVS PANCIROLLVS in *Theſauris abſconditis Romae*, ibidem 1625 in 8 italice. Conferantur *Effigies Romae antiquae & nouae*, quae duobus voluminibus in 8 Romae 1644, item 1654 & anno 1683 prodiit italice.

Et *Roma (Deſcription de la ville de Rome)* quatuor voluminibus deſcripta per *Franciſcum de Seine* Lugduni 1690 in 12. Locos Romae ſingulares deſcripſit BAGLIONIVS eques Chriſti, in *nouem templis romanis*, vbi exponuntur tabulae, ſtatuae & alia ibi viſenda, Romae 1639 in 12 italice. CAROLVS FONTANA in *Templo Vaticano*, quod cum verſione latina *Iohan. Ioſephi Bonnerue de S. Romain* Romae folio 1694 prodiit, de qua tamen verſione non admodum bene ſentiebat, cum hic ante biennium eſſet vir illuſtris & talium maxime intelligens ſaxonicus eques Tſchirnhauſius. PHILIPPVS BONANNI S. I. in *Numiſmatibus ſummorum pontificum*, templi Vaticani fabricam indicantibus, Romae 1696 in folio latine. FRANCISCVS MARIA TORRIGIVS in *Sacris cryptis Vaticanis*, Romae 1635 in 8 italice. *Auctor antiquus in deſcriptione baſilicae veteris Vaticanae, cum notis Pauli de Angelis*, 1646 Romae in folio. CAESAR RASPONVS de *baſilica S. Iohan. Lateranenſis*, Romae fol. latine. NICOL. ALEMANNVS in diſſertatione hiſtorica de *Lateranenſibus parietinis*, Romae 1625 folio, libro eleganti & raro. IOSEPHVS MARIA SORESINVS de *Scala ſancta*, Romae 1672 latine. PAVLVS DE ANGELO in *deſcriptione S. Mariae Maioris*, Romae 1621 in folio latine. MARTINELLVS in *diaconia S. Agathae in ſuburra*, deſcripta

deſcripta & illuſtrata Romae 1638 in 8 italice. IOHAN. SEVERANI *Commentarii ſacri de ſeptem eccleſiis Romae praecipuis*, Romae 1630 duobus voluminibus in 8 italice. LVDOVICVS MARACCIVS in commentariis *de S. Maria in porticu*, Romae 1667 in 8. BENEDICTVS MILLINVS in *Oratorio S. Laurentii*, quod in aede Lateranenſi eſt, vulgoque *Sancti Sanctorum* nomine venit, Romae 1606 in 8 italice. IOHAN. GIACCHETTVS in *Hiſtoria aedis & monaſterii S. Sylueſtri de capite*, Romae 1629 in 4 italice. AEGIDIVS SADELER in *Veſtigiis antiquitatum Romae & locorum vicinorum* elegantiſſime aeri inciſis, & Pragae in folio 1606 editis. LEVINVS CRVYLIVS presbyter Gandauenſis in *deſcriptione venuſtiſſima faciei variorum locorum vrbis Romae*, quindecim tabulis aeri inciſa, quam tomo quarto Antiquitatum Graeuianarum invenias. HIER. TETIVS in *Aedibus Barberinis ad Quirinalem*, Romae 1647 folio latine. Auctor *anonymus Villae Pamphiliae* in folio editae. IACOBVS MAMILLVS in *Villa Borgheſia*, Romae 1650 in 8 italice. Addantur TITVS in *Studio pictorio, ſculptorio, & architectonico romano*, Maceratae 1625 in 12. CORNELIVS MEYER in *Artificio Romanorum nauigationem diu intermiſſam Tiberis reſtituendi*, Romae 1685 in folio italice: itemque THEODORVS AMIDENVS de *pietate*

romana, Romae 1625 in 8 italice ſeu inquam latine. CAMILLVS FANVCCIVS in *operibus piis romanis*, Romae 1601 in 8. His abſolutis notitiam Romae politicam aggredimur aulaeque pontificiae res attingentes ſcriptores recenſebimus. Huc pertinet *auctor anonymus Romae, vt ſe ſemper habuit*, in quo libro ibidem 1664 ſermone hetruſco folio publici iuris facto explicantur mores, conſuetudines, leges Romanorum tam veterum quam recentiorum. LVNADORVS in *Aula romana*, ritus & ceremonias tam ſacras quam profanas, accurate refert: (eſt autem aula romana talium ſupra modum obſeruans,) ſaepius recuſa fuit, eiusque ego libelli editionem Venetam 1664 in 12 poſſideo, italice. IOHAN. BAPT. DE LVCA in *relatione curiae romanae*, in qua omnium congregationum, tribunalium, aliorumque iurisdictionum vrbis, ſtatus ac praxis clare deſcribitur, Coloniae Agrippinae 1683 in 4. SEXTINI *Magiſter camerae*, ſeu magis latine ſacri cubiculi praefectus, Romae 1653 in 12 italice, quem libellum *Amatus* quidam acri cenſura perſtrinxit, Leodii, aut potius Romae 1654 italice edita. S. MARTINI *Regimen Romae ſacrum & profanum*, Cadomi 1639 gallice in 8. GREGORIVS LETI in *Itinerario curiae romanae*, Veſontione aut potius Geneuae 1673 tribus voluminibus in 12 italice, in quo libro quamuis, vt ſolet, pauca aut nihil de ſuo afferat,

afferat, diligenter tamen collegit, quae ad aulae romanae notitiam pertinent, adeoque commendari meretur. Quod ad electionem pontificum romanorum attinet, videatur IOHAN. GEORG. FVESLINVS in *Conclauibus reſeratis*, latine in 4. Theologus Hamburgenſis celeberrimus IOHAN. FRID. MAYERVS in libro de *electione pontificis*, Hamburgi in 4 latine. Auctor *anonymus hiſtoriae conclauium*, *(Hiſtoire des conclaues)* ſiue comitiorum de pontifice romano eligendo habitorum, vſque ad annum 1667 in 4 italice, cui deinde acceſſit electio Clementis IX. Liber ille 1691 gallice quoque verſus fuit, & acceſſit hiſtoria electionis Alexandri VIII, vt & notitia ſatis exacta procerum romanorum. BIGNONIVS de *electione paparum*, Pariſiis 1605 gallice. CONRINGII *Electio Vrbani VIII & Innocentii X*, ex italico ſermone in latinum traducta, Helmſtadii in 4 1669. ANDREAE TAVRELLI de *nouiſſima electione Innocentii X*, liber ſingularis, vbi Vrbani VIII obitus & exequiae commemorantur, ac Vaticani conclavis inſcriptio aeri inciſa exhibetur, Bononiae 1640 in folio. *Conclaue Clementis IX*, cum variis acceſſionibus 1669 in 12. *Conclaue Innocentii IX* diſſertationibus tribus conſtans 1677 italice in 12, quibus praemittantur *hiſtoria electionis Alexandri VII* ex editione Conringii latina Helmſtadienſi 1657 in 4. Et

LEVINI A MOLTKEN, equitis Holſati doctiſſimi, *Conclaue Chiſianum reſeratum*, ſiue hiſtoria electionis Alexandri VII; cui praemittitur curata *romanae curiae*, vt illo tempore ſe habuit, *notitia*, Sleswici 1615 in 8. Poſt conclauia accedimus ad hiſtoriam ſingulorum pontificum, qui hoc ſeculo eccleſiae praefuerunt romanae, & ad res ipſorum geſtas. Vbi ex hiſtoria vniuerſali plurima ſuppeditabunt auxilia CIACCONIVS, VICTORELLVS, & AVGVSTINVS OLDOINVS, qui vitas & res geſtas pontificum romanorum & cardinalium, ab initio naſcentis eccleſiae vſque ad Clementem X litteris mandarunt. Ciacconii & Victorelli editio prodiit Romae 1630 folio duobus voluminibus, Oldoini vero quatuor ibidem 1677. CLAVDIVS MOLINETVS, canonicus regularis congregationis gallicanae, in *hiſtoria ſummorum pontificum, per eorum numiſmata*, Lutetiae 1679 in folio. PHILIPPVS BONANNI S. I. in *Numiſmatibus pontificum romanorum*, quae a tempore Martini V vſque ad annum 1699, vel auctoritate publica, vel priuato genio in lucem prodierunt, explicata, ac multiplici eruditione ſacra & profana illuſtrata, Romae 1699 fol. IOHAN. PALATIVS in *Geſtis pontificum romanorum* ſtilo lapidari ſiue epigraphico exaratis, quod opus quinque volumina complectitur, & Venetiis 1687-1690 prodiit, ac denique TROESTERI

Suetonius

Suetonius pontificius, germanice Noribergae 12. Quibus perquam vtiliter annumerari poteſt CAROLI BARTHOLOMAEI PIAZZAE *Compendium totius hiſtoriae romanae recentioris*, ſiue *diarium Vaticanum*, Romae 1687 in 4 italice. Quod ad ſingulos pontifices attinet: *vitam Pauli V* ABRAH. BZOVIVS, Romae 1625 fol. AVMADENVS exhibuit *Romam ſub Vrbano VIII*, quae Romae notitia inuenitur in *Theſauris aulae romanae*, Bruxellis 1672 ſeu potius Aureliae Allobrogum in 12 italice euulgatis p. 99-192. ANDREAS TAVRELLVS ſupra laudatus ſcripſit *panegyricum* de rebus geſtis Vrbani VIII, addiditque ad calcem elogia ſacrorum eccleſiae romanae cardinalium, quos Vrbanus VIII in ordinem ſancti ſenatus cooptauit, Bononiae 1639 in folio. Iura legatorum regiorum contra praefectum vrbis Thadaeum Barberinum ſub Vrbano VIII multa turbantem, vindicauit auctor anonymus diſſertatione mſcta italica, quam ipſe poſſideo, vt & aliam narrationem mſctam de iis, quae Romae poſt diſceſſum Vrbani contigerunt. Itemque commentarium legati Veneti mſctum de aula Vrbani VIII. Innocentium depingit LAVRENTIVS BANCK in *Roma triumphante*, latine Franeckerae in 12 anno 1651. Auctor ſatyricus Italus, qui ſe *abbatem Squaldum* vocat, reuera autem non alius eſt quam *Gregorius Leti* in *vita Olympiae Maldachinae*,

editione altera anno 1667 in 12, quae priori auctior eſt. Ipſe in forulis meis habeo *Tropica* huius Olympiae, apud quam omnia poterat Innocentius, vt cum Marcellino loquar, miſtam, & *Paſquini apud Apollinem querelam de hac ipſa Olympia.* Libet tamen generatim monere, haec ipſa, & quae adhuc recenſebimus, ſcripta ſatyrica, romanae non vrbanitatis, ſed dicacitatis pleniſſima, qualia ibi quotidie in vulgus ſparguntur, cum grano ſalis legenda eſſe, veris enim vt plurimum multa affixa ſunt falſa, inſigniterque ſe deridendum omnibus propinaret, qui eiusmodi ſchedis tanquam oraculis tertio forte coelo delapſis fidem habere vellet; adeoque probe diſtinguendum eſt, quid ibi odio, quid gratiae datur. Talia etiam ſunt ad Vrbanum VIII adhuc reſpicientia PALLAVICINI mordaciſſima ſcripta 1664 ni fallor, ſub titulo: *operum ſelectorum* iuris publici facta, vbi inuenies ſtridorem apum gratia peluibus excitatum, (nam Vrbanus teſſerarum gentilitiarum loco apes habebat); Veredarium ſpoliatum; Manes Palavicini partibus ſeu vigiliis duabus. Eiusdem Teſtamentum & denique diuortium coeleſte, quod *Letus* dein auxit, & vni tomo duos addidit, omnesque tres Regineae ſeu Geneuae 1679 in 12 edidit. Alexandrum VII acerbe perſtrinxere auctores anonymi libellorum italicorum: *Syndicatus* ſiue cenſurae, 1668 in 12 Romae

plangentis

plangentis Geneuae 1667 in 12. Aurei nummi duplicis multorum criminum poſtulati, 1677, & Conclaue meretricum romanarum, 1678, quorum pleraque ex Leti officina prodierunt. Maioris tamen momenti eſt CORRARI, legati Veneti, *notitia Romae ſub Alexandro VII*, quae ſeparatim excuſa eſt, & in Theſauro romano p. 540 - 548 legitur. Clementem IX illuſtrabunt GRIMANI, Venetorum itidem oratoris, *notitia Romae ſub Clemente IX:* inſpice Theſaurum ſaepe citatum p. 411 - 544. Auctoris *anonymi legationis Romuli ad Romanos*, ſiue ſylloge ſcriptorum ſatyricorum poſt obitum Clementis IX editorum Geneuae 1671 - 1676. Clementem X & eius acta varie notat auctor *Vaticani languentis (Il Vaticano languente)* tribus partibus 1673. Cui oppoſuit BONINVS abbas *Calumnias repreſſas*, Venetiis 1670 in 12. Et *Trutina politica* partibus quatuor conſtans Geneuae 1668. Quibus omnibus addes Europam variis aemulationibus ſuſpicionibusque turbatam *(Europa geloſa)* Geneuae 1671, in qua varia ſcripta ad aulam romanam pertinentia inueniuntur, imprimis autem tomo ſecundo ephemeris rerum Romae geſtarum ab anno 1576 - 1671. Tandem huc etiam refero *diarium romanum* IOHAN. SIMON. RVGIERII, 1650 Romae in 4; & DOMINICI BERNINI *commentarios hiſtoricos (Memorie hiſtoriche)* de eo, quod ſummi

pontifices contra Turcas egere, Romae 1685 in 4. Inter pontificiae dominationis praecipuos adminiſtros iure merito referuntur patres purpurati, ſiue cardinales. De his generatim egere AVBERIVS in libro gallico *de dignitate cardinalitia* Coloniae 1670 in 12. IACOBVS COHELLIVS in *notitia cardinalatus* Romae 1653 in folio. FRANCISCVS MARIA CARDINALIS BRANCATIVS in octo diſſertationibus 1672 fol. latine, quarum prima agit de priuilegio cardinalium in propriis capellis; ſecunda de optione ſex epiſcopatuum cardinalium; tertia de pactionibus cardinalium, quae vocantur conclauis capitula. GREGORIVS LETI quamuis nomen ſuum non expreſſerit in libro italico, cui titulus eſt *Cardinaliſmo*, tribus voluminibus Geneuae 1668, qui dein quoque lingua germanica ſub titulo Cardinals-hut, ſiue *galeri cardinalitii* Noribergae in 12 anno 1667 prodiit. Auctor Gallus de *origine cardinalium* Geneuae 1669 in 12. BVDDEVS de *origine cardinalitiae dignitatis* Ienae 1693 latine. AVBERIVS in *hiſtoria cardinalium* tomis quinque anno 1642 - 1647 italice, in qua tamen ſuperiora potiſſimum ſecula curat, noſtrum vero vix attingit: quam lacunam dein vitis Ioyeuſii, Richelii & Mazarini, in hiſtoria gallica laudatis, ſuppleſſe videtur CHEVILLETVS in *Teſſeris gentilitiis cardinalium*, Pariſiis 1692 in folio vna

tabula

tabula excuſis. Speciatim conſulendi ſunt LVDOVICVS DONIVS D'ATYCHIVS in *Floribus hiſtoriae cardinalium*, latine ſcriptis, & Pariſiis 1660 tribus voluminibus impreſſis, vbi manifeſtus eſt odii erga Richelium, nec id quidem iniuria, cum Richelio iubente auunculus Marillacus, equitum apud Gallos tribunus, gladio carnificis trucidatus fuerit. CASPAR IONGELINVS in *Purpura S. Bernhardi*, ſiue elogiis & inſignibus gentilitiis pontificum, cardinalium & epiſcoporum ordinis Ciſtertienſis, Coloniae 1680 in folio. FRANCISCVS QVERCETANVS (DV CHESNE) in *hiſtoria cardinalium Gallorum, (Hiſtoire des Cardinaux Francois)* voluminibus duobus Pariſiis 1660 in folio. PETRVS FRIZON in *Gallia purpurata* 1638 Pariſiis folio vitam ſuam ipſe ſcripſit *Bentiuoglius cardinalis* editam cum reliquis operibus Venetiis 1668 in 4. Attamen priores tantum aetatis ſuae annos exſequitur, poſteriores vero omittit; poterit autem hiatus iſte quodammodo ex epiſtolis eius ſuppleri, quas ibidem inuenies. *Vitam cardinalis Berulli* ſcripſit GERMANVS HABERTVS gallice, ediditque Pariſiis 1664 in 4. *Vitam cardinalis Mellini* exarauit DECIVS MEMMOLVS, editam Romae 1654 in 4 italice. *Vitam cardinalis Rupefucaldii* latinam dedit PETRVS ROVERIVS, Pariſiis 1645 in 8; gallicam *Marinierius* Pariſiis 1640 in 4. Denique

FERDINANDVS VGHELLIVS *Imagines* dedit *cardinalium familiae Columnenſis* ad viuum expreſſas, Romae 1650 in 4. Et haec de cardinalibus dicta ſunto. Quod ad reliquas aulae romanae dignitates attinet, VINCENTIVS MARIA FONTANA exhibuit *ſyllabum magiſtrorum ſacri palatii*, Romae 1663 in 4 latine. De *abbreuiatoribus*, vt vocantur, *de parco maiori* egit IOHAN. MARIA CIAMPINIVS Romae 1691 in folio, qui idem quoque librum edidit de *cancellariae romanae priuilegiis* & de aliis curiis romanis. Ad genealogias familiarum romanarum multum proderit FELICIS CONTELORII *Genealogia comitum romanorum*, Romae 1650 in 4 latine. His ita peractis accedimus ad hiſtoriam ſingularum vrbium. *Latii*, quod Itali *Agrum romanum* vocant, nouam & exactam *chorographiam* dedit ſecundum veterem & nouum ſitum cum parallela nominum comparatione elaboratam GRAEVIVS Antiquitatum tomo ſecundo columna 1409. Confer ATHANASII KIRCHERI *deſcriptionem Latii*, Amſtelodami in folio, anno, ni fallor, 1671 latine editam, quamuis profecto famae viri non reſpondeat. Adeoque longe ipſi praepono IOHAN. BAPT. DOHNII, patritii Florentini, de *reſtituenda ſalubritate Agri romani*, opuſculum elegans, quod poſt eius obitum Florentiae 1667 in 4 prodiit, & multa, quae ſitum Latii & hiſtoriam

locorum

locorum illuſtrant, continet. *Pipernum antiquam* deſcripſit THEODORVS VALLE, & Neapoli 1637 in 4 italice edidit. *Situm Pontis felicis & ſuburbii*, quod ab Auguſtino nomen habet, repraeſentat voluminibus duobus AVGVSTINVS MARTINELLVS Romae 1682 in 4. Idem inſcriptiones diuerſorum pontium mari & Tiberi iniectorum in libro Romae 1670 in 4 impreſſo conſiderauit. *Tiberiadem* ſcripſit MVCIVS quidam, Velitris 1671 in 4 editus, in qua de nauigatione Tiberis copioſe agit. Ipſas *Velitras Theatro hiſtorico* illuſtrauit BONAVENTVRA THEVLVS; prodiit ibidem 1644 in 4. *Hiſtoriam Tiburtinam* ſcripſit FRANCISCVS MARTIVS, cui MICHAEL PAPINIANVS, abbas doctiſſimus, addidit libros duos de *epiſcopis & praefectis Tiburtinis*; prodiit Romae italice 1665 in 4. *Hiſtoriam Ternenſem* in Vmbria compoſuit FRANCISCVS ANGELONI, Romae 1641 in 4 italice. *Abbatem Soragdenſem* & loca vicina illuſtrauit ANTONIVS DE EFFECTIS, Romae 1675 in 4 italice. *Inſtaurationem tabularii maioris templi Rheatini* ſtilo latino ſignauit GABRIEL NAVDAEVS, vir celeberrimus; prodiit Romae 1646 in 4. *Ipſam Rheatinam vrbem* illuminauit POMPEIVS ANGELOTVS, Romae 1635 in 4 italice. *Hiſtoriam Spoleti* dedit BERNHARDINVS EX COMITIBVS DE CAMPELLO, Spoleti 1672 in 4

italice. *Peruſiam Auguſtam* exhibuit CAESAR CRISPOLI, Peruſiae 1648 in 4 italice. *Memorias*, *annales & hiſtoriam Peruſinam* ſcripſit FELIX CIATTVS, Peruſiae 1638 in 4 italice. *Elogia ciuium Peruſinorum*, qui patriam rerum pace ac bello geſtarum gloria illuſtrarunt, latine compoſuit collegitque CAESAR ALIXIVS Fulginiae 1635 in 12. *Anconam* Piceni caput notitiis hiſtoricis illuſtrauit IVLIANVS SARACENVS; prodiit Romae folio 1675. *Recanati* vrbis origines & hiſtoriam elaborauit IOHAN. FRANC. ANGELITA, Venetiis 1601 in 4. *Ariminum* eiusque ſitum depinxit RAPHAEL ADMIRATI, excuſus Brixiae 1616 in 4 italice. *Hiſtoriam* vero *Arimini* Clementinus tomo ſecundo dedit excuſam ibidem 1617 in 4. *Hiſtoriam Laureti & Lauretanae virginis* toti orbi chriſtiano notiſſimae ſcripſit italice, & Maceratae 1628 in 8 publicauit HIERONYMVS ANGELITA. Idem egerunt LVDOVICVS CENTO-FLORENVS in *Clypeo Lauretano*, aduerſus haereticorum ſagittas, Romae 1643 in 4 latine. SYLVIVS SERRAGLIVS in aede ſacra exornata Laureti, 1639 in 8: vt omittam ſeculi ſuperioris ſcriptorem notiſſimum HORATIVM TVRSELINVM, miracula virginis Lauretanae inſigni facundia enarrantem, & IVLII CAESARIS GALEOTI traductionem italicam Angelitae, quae 1611 in 12 prodiit. *Romandiolam*, quam vocant, gene-

generatim deſcripſit FRANCISCVS PERA; prodiit Fauentiae 1616 in 4 italice. *Fauentiam rediuiuam* conatu hiſtorico-geopraphico reſuſcitare conatus eſt vir doctiſſimus PETRVS MARIA RAVINA; editus eſt Fauentiae in 4 latine, vbi auctor demonſtrare nititur, integram Flaminiam (ita olim veteres Romandiolam vocabant,) Fauentiam dictam fuiſſe. Huic ſeſe oppoſuit BARTHOLOMAEVS RICCEPVTVS in *Veritate rediuiua*, ſiue agologia ciuitatis Foroliuienſis, cui lumen obſtruere conatus eſt *in Fauentia ſua Cadina*; prodiit Foro Liuii 1673 in 4 italice. *Hiſtoriam* alioqui *Foroliuienſem* & reliquarum Flaminiae vrbium varios caſus expoſuit MATTHAEVS VECCHIAZZA italice in 4. *Fauentiam* vero illuſtravit poſt Cauinam IVLIVS CAESAR TONDVZZVS, Fauentiae 1675 in folio italice. *Chronologiam Ceſenae* digeſſit BERNHARDINVS MANZONIVS, Piſis 1643, itemque SCIPIO CLARAMONTIVS, non magis mathematicarum quam elegantiorum litterarum peritia illuſtris, in *Hiſtoria Ceſenae*; latine prodiit Ceſenae 1641 in 4: quam tamen notis quibusdam perſtrinxit IACOBVS VILANIVS, euulgatis Arimini 1641 in 4. *Bononiam* inter pontificias celeberrimam vrbem multi deſcripſerunt. Habemus POMPEII VIZZANI *hiſtoriam Bononienſem*, Bononiae 1602 in 4 italice. BARTHOLOMAEVM DVLCINVM de

vario Bononiae ſtatu, ab ea condita vſque ad annum 1625, Bononiae 1631 in 4 latine: ANTONII DE PAVLO MASINI *Bononiam perluſtratam*, Bononiae 1664 in 4 italice: *Anonymi gloriam ciuilem Bononiae* 1651 italice in 4: *veritatem vindicatam*, ſiue Bononiam defenſam a calumniis Franciſci Guicciardini ab abbate IACOBO CERLANI, Bononiae 1659 in 4: IOHANIS NICOLAI PASQVALLI *origines omnium temporum Bononienſium*, quas iam ante luci expoſuerat Ludouicus Sartus, Bononiae 1633 in 4: ANTONII CASALIS *hiſtoriam baſilicae S. Stephani*, quae Bononiae eſt, Bononiae 1637 in 4 italice: CELSI FALERNI commentarios hiſtoricos de *eccleſia Bononienſi*, ibidem 1649 in 4 italice: ANTONII CASALIS *Vexilliferos* (qui Bononiae vt & Florentiae primum in republica locum tenebant) *Bononienſes*, Bononiae 1616 in 4: Et tandem *diſſertationem de Inundatione fluuiorum Bononienſium anonymi*, 1624 in 4 ibidem. *Ferrariam* a Clemente VIII Patrimonio Petri additam illuſtrarunt ANTONIVS LIBANORVS in *Ferraria aurea*, Ferrariae 1665 folio italice: MARCVS ANTONIVS GVARINVS in *compendio hiſtoriae Ferrarienſis*, Ferrariae 1621 in 4 italice: CASPAR SARDVS in *hiſtoria Ferrarienſi*, quam ſupplemento ad recentiora vſque tempora locupletauit FAVSTINVS, Ferrariae 1646 in 4, qui etiam *hiſtoriam Ferrarienſem* ſeorſim

ſeorſim ab anno 1599-1655 dedit, Ferrariae 1655 in 4 italice. Tandem *Vrbini ducatum*, quem vltimo duce, hoc ipſo ſeculo defuncto, Vrbanus VIII ditioni pontificiae adiunxit, luculenter deſcripſit VINCENTIVS CIMARELLVS in *hiſtoria Vrbinate*, Brixiae 1642 in 4 italice.

§. IV.

Rex Hiſpaniarum in Italia poſſidet ducatum Mediolanenſem, regnum Neapolitanum, Siciliam & Sardiniam, de quibus ſingulis nunc agemus. *Hiſtoriam Mediolanenſem* potiſſimum illuſtrauit IOSEPHVS RIPAMONTIVS opere hiſtorico latino non vno tempore edito. Laudantur nempe primo hiſtoriae Mediolanenſis libri octo, Mediolani folio 1648; decadis tertiae libri decem, ibidem in folio; decadis quartae libri ſeptem, ibidem eadem forma; decadis quintae libri ſex, ibidem in folio. Rerum Mediolanenſium a Philippo II regnante libri octo, folio: eiusdem de peſtilentia Mediolanenſi, quae anno 1630 atrociter vrbem illam depopulata eſt, libri quinque ibidem in folio. Laudat eum mirifice PETRVS PAVLVS BOSCHA in *hemidecade de origine & ſtatu bibliothecae Ambroſiana* (qui rarus in his oris liber Mediolani 1672 in 4 prodiit latine) pag. nimirum 7 diſerte ſcribit: „Tanta vbi-„ que caſtimonia latini ſermonis ipſum vſum„ fuiſſe, vt in veteri Latio non inter Inſubres„

„ facile natus videatur; & pag. 145: Tradidit „ res vrbanas, inquit, Mediolanenſium ſumma characteris venuſtate, quam Liuii & Caeſaris imitatione exornauit, vt hoc ſeculo fortaſſe nemo ſcripſerit magis nitide, & iam multi doctores eum veluti optimum auctorem latinitatis adoleſcentiae offerant in ſcholis. Vnde tanto magis dolori nobis eſt, quod anxie licet quaerentibus nondum eius copia facta fuerit. „ Iuuabit etiam Mediolanum cognoſcere deſiderantem IOHAN. PETRVS PVRICELLVS in *monumentis Ambroſianae Mediolani baſilicae*, quibus acceſſit *hiſtoria Mediolani*, vt titulus habet, *mirifice illuſtrata*, Mediolani 1645 in 4 latine. Et ISIDORVS ISOLANVS de *patriae vrbis Mediolanenſis laudibus*, Mediolani 1629 in 8 latine. Exſtat etiam *Nobilitas Mediolanenſis* PAVLI MORIGII ſaepius, & ni fallor 1670 iterum recuſa, quae topographiae ſimul loco eſſe poteſt. *Cremonam*, celebrem ducatus Mediolanenſis vrbem, repraeſentauit ANTONIVS CAMPO, Mediolani 1645 in 4 italice. *Dertonae* hiſtoriam ſcripſit NICOLAVS MONTEMERLVS, editam Dertonae in 4. *Alexandriae annales* confecit HIERONYMVS GHILINVS, Mediolani 1666 in folio. *Biellam* & vicinam regionem delineauit CAROLVS ANTONIVS CODA, Auguſtae Taurinorum 1657 in 4. *Annalium Comenſium* epitomen elaborauit

elaborauit BELLARINVS, Comi 1619 in 4; & integrum *Larium lacum* depinxit IOHAN. BONANOMVS, Comi 1646 in 12. Ad ipſam porro hiſtoriam Mediolanenſem huius ſeculi pertinent *Cremona a marchione Carazena prorege obſidione gallica liberata*, auctore PHILIPPO GISOLTO, Mediolani 1648 in 8. *Papiae* ſiue Ticini *obſidio* anonymi, 1655 Ticini italice. *Diarium obſidii Ticinenſis* auctore IOHANNE DOMINICO DE TVRRE, Mediolani 1655 in 8. Pertinent quoque ad hiſtoriam huius ducatus IOHANNIS RVISII DE LAGVNA diſſertationes de *Oeconomia ducatus Mediolanenſis*, ſiue de aerario & reditibus eiusdem ducatus, 1637 in folio hiſpanice. *Notitia ducatus Mediolanenſis* adminiſtrante rempublicam Ludouico Gusmanno Pontio de Leone, auctore GALEATIO GVALDO, italice Mediolani in 4 anno 1666. *Regimen ducis Oſſunae*, quod Coloniae, vel Geneuae potius, curante *Gregorio Leto* 1677 italice lucem adſpexit. *Vita comitis Areſii*, ibidem 1687 in 12. Et tandem *vita Marchionis Poroni*, fortis quidem at multis caedibus famoſi hominis, Venetiis 1698 in 4 italice, in qua ſcriptor vitae Areſii ſaepe notatur. Ceterum antequam ex ducatu Mediolanenſi abeamus, quaedam quoque ad genealogiam familiarum illuſtrium facientia afferemus. Tales nempe ſunt AVGVSTINVS LAMPVGNANVS in *Turrianae*

propaginis arbore explicata, Bononiae 1641 in folio latine. Auctor anonymus *elogiorum Caſtellae gentis*, 1625 in 4 latine. BASILIVS DE SERENIIS de *illuſtratione Borromaeorum familiae* Mediolanenſis 1618, „ qui a Boſcha „ libro ſupra laudato p. 174 vir litteratus & di- „ ſciplinae ſeuerioris amantiſſimus vocatur. *Anonymus de familia Ponzona*, Cremonae 1653 in 4 italice. *Anonymus de antiquitate & nobilitate familiae Archintae*, Mediolani in folio italice. Cui adiungas velim IOHAN. PETRI GVISSANI *vitam Philippi Archintae*, Comi 1611 italice.

Regnum Neapolitanum ingreſſuri in foecunda ſcriptorum vbertate primo ad illos conuertimur, qui tum Neapolim regni caput, tum ſingulas deſcripſerunt vrbes. Ante omnia hic inſpiciendum erit IOHAN. BLAVII *Theatrum Neapolis & Siciliae*, quod folio Amſtelodami latine prodiit ſplendidiſſimis typis. Huic ſubiungatur CAESARIS DE EVGENIO CARACCIOLI, OCTAVII BELTRANI & aliorum recentiorum auctorum *deſcriptio regni Neapolitani*, quae ſaepius quidem prodiit, ſed optima eſt editio, quae 1673 in 4 Neapoli italice prodire iuſſa. Exhibuit alioqui PETRVS ROSSVS *deſcriptionem regni Neapolitani*, ibidem 1629 italice; & germanico ſermone *chorographiam* eiusdem compoſuit vir laborioſiſſimus HIERONYMVS MEGISERVS Lipſiae 1605

in 8.

in 8. *Hodegos peregrinantium*, *(Guida di Foreſtieri)* tum quod ad vrbem Neapolin, tum quod ad vicorum loca, Baias & Puteolos, attinet, diligentiſſime confecit POMPEIVS SARNELLVS, abbas eruditiſſimus; prodiit duobus voluminibus in 12 Neapoli 1685 italice, adiectis figuris aeneis: poſteaque curante *Antonio Bulifonio*, librario non illitterato, 1695 recuſus fuit, adiecta ſimul verſione gallica. *Notitiam politicam vrbis regiae* dedit MARCVS ANTONIVS GVRGENTIS in operoſo volumine de pro-regis, aliorum magiſtratuum, ciuitatis Neapolis, totiusque regni praecellentia & auctoritate, Neapoli 1605. CAMILLVS TVTINVS de *origine & fundatione ſedium neapolitanarum* (ita vocare ſolent quinque ſiue claſſes ſiue tribus, in quas diuiditur populus neapolitanus) Neapoli 1644 in 4: Qui liber eſt ſupplementum ad ANTONII TERMINI *apologiam trium ſedium illuſtrium neapolitanarum*. Idem TVTINVS edidit diſſertationem de *ſeptem Neapolis maioribus magiſtratibus*, Romae 1668 in 4. NICOLAVS vero TOPPIVS, Bibliothecae alioqui Neapolitanae clariſſimus auctor, duobus voluminibus in 4 latine conſcriptis, de origine omnium tribunalium vrbis Neapolitanae egit: Neapoli 1666 in 4. Singulas prouincias & vrbes regni ſequentes illuſtrauere ſcriptores. *Campaniam* ANTONIVS ſeu potius *Sanfelicius*

1656 Amſtelodami in 12. CAMILLVS PEREGRINVS in diſſertatione de *Campania felice*, Neapoli 1651 in 4 italice. *Caietam vrbem* BAPTISTA CICATA Neapoli 1680 in 12 italice. *Abruzzorum* prouinciae deſcriptionem accuratiſſimam Romae quidam animo concepit, tabulis geographicis illuſtratam, hiſtoria ſimul ad noſtra vſque tempora deducta, quod ex ephemeride 8 Diurnorum romanorum 1678 p. 66 didicimus; vtrum vero ea prodierit, nobis nondum liquet. *Samnium* ſiue principatum vlteriorem, comitatum Moliſienſem & partem Campaniae Felicis memoriis hiſtoricis repraeſentauit VINCENTIVS CIARLANTI, Iſerniae 1644 in folio. *Beneuentanae* vrbis hiſtoriam naturalem ſtilo ſignauit PETRVS PIPERINVS Neapoli 1642 in 8 italice. Pene oblitus fueram, ſatis bonam Campaniae felicis delineationem, qualisque vix in Atlantibus belgicis reperitur, exhibuiſſe in *panegyrico* infra itidem dicendo ad Garziam Warrionneuum Hiſpanum marchionem CVSANI fol. 134. *Saſſam* ciuitatem delineauit IOSEPHVS CIAMARNONIVS Romae 1641 in 4. *Hiſtoriam Arſorum* ſcripſit MVTIVS PHREBONIVS Romae 1641 in 4 latine. *Hiſtoriam ciuitatis Chiatti* ſiue *Teani* litteris mandauit HIERON. NICOLINVS Neapoli 1657 in 4 italice, & huc pertinet LVCII CAMARRAE *Teate antiquum* Romae 4 anno 1651. *Annales Montis Virginis*

Virginis celebris religione loci vulgauit IACOBVS GORDIANVS, Neapoli 1649 in folio. *Hiſtoriam Brundiſinam* compoſuit ANDREAS DE MONACHA, Carmelitani ordinis religioſus; conſtat libris quinque & prodiit Brunduſii 1675 in 4. *Tremitanas*, olim *Diomedaeas inſulas* prope Apuliam ſitas, deſcripſit accurate BENEDICTVS COCCHORELLA, Mediolani 1604 in 4. *Hiſtoriam rerum Cuperſanenſium* in Calabria citeriore PAVLVS ANTONIVS DE TARSIA condidit Madriti 1649 latine. Tandem *Annales Crotonenſes*, illiusque prouinciae, quae olim *magna Graecia* audiebat, hodie *Calabria vlterior* vocatur, debemus IOHANNI BAPT. NOLAE; prodiit Neapoli 1649 in 4. In hiſtoria genealogica procerum neapolitanorum diligenter laborarunt multi. CAROLVS ſcilicet TORELLVS in *Splendore nobilitatis neapolitanae*, apud Buliſonium 1678 in 4 italice. IOHAN. PHILIBERTVS CAMPANITIS in *Inſigniis nobilium neapolitanorum*, Neapoli 1610 & 1618 in folio italice. CAROLVS DE LELLIS in *Familiis nobilibus neapolitanis*, Neapoli 1661 in folio italice. SCIPIO AMIRATVS in *Familiis nobilibus Neapolitanorum* parte prima & ſecunda Florentiae 1651 in folio. PETRVS VINCENTIVS in *Theatro hominum illuſtrium protonotariorum in regno neapolitano*, Neapoli 1607. FERRANTES DE MARRA, dux Guardiae, in

diſſertatione de *familiis peregrinis*, ſiue in Sedibus neapolitanis non comprehenſis cum familia Marra affinitate iunctis, Neapoli 1641 in 4 italice. DOMINICVS DE SANCTIS in *Imaginibus procerum Columnenſium*, Romae 1675 in 4 italice. Et tandem BLASIVS ALTIMARVS in ſplendidiſſima *hiſtoria genealogica familiae Caraffae* tomis tribus conſtantem, Neapoli 1691 in folio italice: Cum quo coniungi debet HIACYNTHVS FALLETVS in *Obſervationibus de familia Caraffa*, 1691 in 4. Ad ipſam hiſtoriam cum accedimus, praemitti debent regum neapolitanorum vitae & imagines cum ſymbolis & genealogia eorum, auctore B. G. aut potius B. C. ſiue *Bartholomaeo Cuſtode*, Auguſtae Vindelicorum 1605 in folio latine: quem librum italice redditum recoxit *Bulifonius*, ad noſtra vſque tempora deduxit & indicem pro-regum addidit; prodiit Neapoli 1688 in 12 italice. *Compendium hiſtoriae neapolitanae* ex Pandolpho, Collenutio, Mambrino, Roſeo, Thoma Coſto; cum annotationibus & ſupplementis eiusdem Coſti prodiit Venetiis 1613 in 4 italice. *Hiſtoriam vrbis & regni neapolitani* latine elaborauit FRANCISCVS CAPECIVS; prodiit Neapoli 1640 in 4 italice. IOHAN. ANTONII SVMMONTIS *hiſtoriam neapolitanam* ad noſtra vſque tempora continuauit & Neapoli 1675 in quatuor voluminibus italice publicauit

Bulifo-

Bulifonius. *Hiſtoria neapolitana* FRANCISCI DE PETRIS italice prodiit Neapoli 1634 in folio. Ab his vniuerſalibus hiſtoricis progredimur ad ſpeciales. *Coniurationem Oſſunianam*, quam dux ille magni ſpiritus contra regem Hiſpanum Philippum III meditabatur, latine deſcripta auctore TORTOLETO, excuſa eſt in Belgio 1623. *Memorabile Veſuuii incendium*, quod calendis ianuariis 1631 excitatum fuit, plurimi oratione qua libera qua metris vincta lectorum oculis ſubiecerunt, ſcilicet: IOHAN. BERNHARDINVS IVLIANVS Neapoli 1632 italice in 4. IOHAN. BAPTISTA MVSCVLVS, ſociet. Ieſu presbyter, qui de *hoc incendio* libros decem latinos exarauit, & chronologiam ſuperiorum incendiorum ephemerid. vlt. adiecit Neapoli 1633 in 4. VINCENTIVS ALSARIVS in *Veſuuio ardente*, ſiue exercitatione medico-phyſica, motum & incendium Veſuuii libris duobus comprehendente, Romae 1631 in 4 latine. IVLIVS CAESAR BRACCINI de *incendio Veſuuiano*, tum eo, quod contigit 1631 menſe decembri, tum etiam 1632 menſe martio, 1632 in 4 Neapoli italice. ANGELI DE EVGENIIS *Incendium Veſuuianum* 1631 Neapoli italice. PETRI CASTELLI *Incendium Veſuuianum*, Romae 1632 in 4 italice. IOHAN. DE LVCCA de *incendio Veſuuiano* Neapoli 1632 in 4. ANTONIVS SANTORELLVS in *diſſertationibus*

de natura incendiorum Veſuuianorum, Neapoli 1632 in 4 italice. IOHAN. DE QVINNOVEA in *Monte Veſuuio*, Madriti 1632 hiſpanice. GEORGIVS CARAFFA in nouiſſima epiſtola iſagogica de nouiſſimo Veſuuii incendio Neapoli 1632 in 8. IVLIVS CAESAR RECVPITVS (qui omnium inſtar eſſe poteſt) in *Nuncio de incendio Veſuuiano, & de terrae-motu Calabrico*, Mediolani 1638 in 4. ACHATIVS DE SVMMA (quod nomen fictum eſſe coniicio, cum Veſuuius mons *Somma* appelletur hodie) in *hiſtorica narratione de terrae-motibus Calabricis* ab anno 1638-1641 in 8 italice. Pertinent huc etiam RIVINI *declamatio latina de Veſuuio*, Lipſiae 1632, & OPITII noſtri *poëma germanicum de Veſuvio*, quod in operibus eius principem obtinet locum. Itemque *ephemeris incendii Veſuuiani*, Romae 1660 in 4 italice. Inſignem deinde hiſtoriae neapolitanae huius ſeculi partem conſtituunt horrendi tumultus, diraeque ſeditiones, quibus Neapolis 1647 primo duce, qui *Maſſaniello* corrupte, pro *Thomas Aniello*, audiebat, deinde ſub *Ianuario Agneſio*, & demum ſub *Guiſio* duce exagitata fuit; Debent hic omnino inſpici ipſe dux GVISIVS in *commentariis (Memoires de Duc* DE GVISE) gallice ſcriptis & 1668 Pariſiis in 4 & 12 impreſſis. *Hiſtoria motuum neapolitanorum* MODENESII, qui fidus molitionum Guiſii adiutor fuit, ſed malam

poſtea

poſtea ab eo gratiam retulit, annoque 1669 prodiit Lutetiae duobus voluminibus in 12, quamuis alii velint tertium acceſſiſſe volumen, de quo mihi tamen nihil conſtat. BISACCIONIVS comes in *hiſtoria motuum neapolitanorum bellicorum*, qui bellis ciuilibus, quibus orbis terrarum hoc ſeculo concuſſus fuit, impreſſa in 4 Venetiis. GALEATIVS GVALDVS in *hiſtoria tumultuum neapolitanorum*, quae italica, gallice verſa, prodiit Pariſiis 1654 in 4. SCIPIO LIPONARVS in *hiſtoria horum motuum neapolitanorum*, Paduae 1668 in 8 italice. MARCVS ANTONIVS SESTINVS in *diſſertatione de ſeditione neapolitana & panormitana*, Peruſiae 1648 in 4 italice. GABRIELIS TONTOLI *Thomas Aniellus*, ſiue diſſertationes & narrationes de tumultu neapolitano, Neapoli 1648 italice, qui tamen liber panegyricus potius eſt Hiſpanorum & Iohannis Auſtriaci, quam vera hiſtoria: cui opponimus *Parthenonen liberatam* DONZELLI in 4 italice, qui liber eo rarior eſt, quod acerba in Hiſpanos inuectiua ſit, adeoque vix amplius recuditur; Neapoli prodiit ſub ipſis motibus 1647. Conf. *hiſtoria motuum neapolitanorum* ANDREAE POCYLI 1648 in 4 italice. PAVLI ANTONII DE TARSIA *Turbae ciuitatis & regni neapolitani*, Lugduni Gallorum in 4 anno 1670, vel potius, quod typi & charta teſtantur, Lugduni Batauorum 1670

in 4 hiſpanice. THOMAE DE SANTIS *hiſtoria tumultus neapolitani* Lugduni Batauorum 1652 in 4 italice. AVGVSTINI NICOLAI *eiusdem argumenti hiſtoria*, Amſtelodami 1660 in 8 italice, *Status reipublicae neapolitanae ſub duce Guiſio* ex italico Loredani gallice traductus 1680, in quo libro Guiſius acerbe traducitur, & multi eius errores deteguntur, unde conferendus diligenter eſt cum ipſis Guiſii commentariis. RAPHAEL DE TVRRIS in *Neapoli diſſidente atque iterum pacata*, quae Inſulis 1651 in 4 latine excuſa eſt. Neſcio quoque, an huc referam *poëma heroicum Franciſci de Borgia*, quod hiſpanico ſermone compoſuit; prodiit Caeſar-Auguſtae 1651 in 4. Certe huc pertinent *Certamen Amoris & Fidei cum Triumpho Hiſpanorum*, quem anonymus Mantuae Carpetanorum 1651 in 4 hiſpanice emiſit: & *Narratio de obſidione, qua claſſis gallica Salernum cinxit*, Neapoli 1649 italice, vt & *Triumphus Portus Longotis in inſula Elba*, ſiue obſidio, qua Hiſpani ductu Iohannis Auſtriaci Gallis hanc arcem eripuerunt, Panormi 1650 in 4; prodiit etiam Neapoli 1648 in 4. *Reſponſio ad ſcriptum gallicum*, quo rex chriſtianiſſimus iura ſua in regnum neapolitanum expoſuit italice. Poſſidemus etiam *diſſertationem italicam mſctam de hac ipſa ſeditione*, vt & aliam, qua monentur proceres, vt ſe cum plebe coniungant, Hiſpanosque regno expellant.

expellant. vltimo loco recuſemus *Speculum irae diuinae*, ſiue narrationem de peſtilentia germanicam, quae Neapoli 1656 ſupra modum ſaeuiit; prodiit eodem anno ſine die & conſule.

A Neapoli in Siciliam & Sardiniam vela facimus, vbi commendamus ROCCI PIRRI abbatis Netini *Chronologiam regis Siciliae*; prodiit latine Panormi in folio 1643. *Hiſtoriam Siculam* IOSEPHI BONVIGLII, Venetiis 1604 in 4: Et quod ad familias Siculas attinet, PHILADELPHI MVGHOS *Theatrum genealogicum Siculum*, 1672 Panormi in folio italice duobus voluminibus. Panormum exornarunt FRANCISCVS BARONIVS de *maieſtate panormitana*, Panormi 1630 in folio latine. FRANCISCVS STRADA in *Gloria aquilae triumphantis*, Panormi 1682 in folio. MARIANVS VALGARNERA in *Originibus panormitanis* 1614 in 4. AVGVSTINI INGEVES in *annalibus panormitanis*, Panormi 1649 in folio voluminibus tribus italicis. ANDREAS POLITVS in *Motibus panormitanis*, Veronae 1649 in 4. BISACCIONIVS in *Hiſtoria eorundem motuum*, quam in volumine ſupra citato inuenire poſſunt. Quod ad *Meſſanam* attinet, alterum Siciliae oculum, euolvatur PLACIDVS RAYNA in *hiſtorica notitia vrbis Meſſanae*, Meſſinae 1658 in folio. PLACIDVS CARAFFA in *hiſtoria eiusdem vrbis*,

Venetiis 1670 in 4 italice. SESTINVS in *Fide Meſſanenſium*, Peruſiae 1648 in 4 italice. Motus Meſſanenſes 1674 exortos & anno demum 1678 compoſitos deſcripſit IOH. BAPT. COLVMNA in *Coniuratione hiſpanica contra Meſſanenſes*, in quo omnia odio Hiſpanorum dedit; prodiit Meſſanae & Lugduni Gallorum tribus voluminibus 1676 in 4 italice. *Narratio gallica* 1677 Amſtelodami in 12 edita, & alia, quae anno 1676 Lugduni eadem forma prodiit. Cui opponantur FRANCISCI STRADAE *Clementia regia*, ſiue Meſſana rebellis & recuperata, Panormi 1682 in folio. *Sardiniam* hiſpanico ſermone expoſuit FRANCISCVS VICVS duobus voluminibus Barcellonae 1639 in folio. Exſtant quidem SALVATORIS quoque VITALIS *annales Sardiniae*, Florentiae 1640 ni fallor in folio latine. Sed praeterquam quod noſtra tempora non attingat, frigidus etiam hic eſt liber & nullius momenti, contra quem *Vicus* ſua volumina apologia 1643 folio edita defendit; cum paullo ante 1641 latine publicaſſet Vitalis: *Clypeum aureum excellentiae Calaritanae*. Mox idem VITALIS edidit Mediolani in 4 latine. *Propugnaculum triumphale in annotationes* ſiue cenſuras anonymi contra annales Sardiniae a ſe euulgatas. Vltimo loco ponimus *inuaſionem claſſis gallicanae ſub archiepiſcopo Burdigalenſi* & Harçourtio comite, qua ciuitatem Oriſtanam in

in Sardiniae regno aggreſſi ſunt; prodiit Calari, quae Sardiniae caput eſt, 1637 in 4 hiſpanice.

§. V.

Hiſpanicis prouinciis abſolutis vocat nos ad ſe Venetorum respublica, potens & fere regia, cui etiam non pauci ſcriptores operam impenderunt. Nos more nobis familiari primo topographiam vrbis principis, deinde ſingularum, quae in Italia quidem Venetis ſubſunt, prouinciarum & ciuitatum (nam graecas ad imperium turcicum referemus), tum ipſam hiſtoriam generalem & ſingularem exſequemur. Quod ad ipſas attinet Venetias, commendo CORONELLI, celebris Venetorum geographi, *tabulas exactiſſimas*, quibus tum ipſa vrbs, tum regio vicina delineantur, Venetiis excuſas; ſunt autem numero quinque: I) ipſa vrbs cum omnibus ſuis regionibus; II) typus vrbis cum inſulis vicinis; III) tabula vrbis & adiacentium regionum geographica; IV) ſcenographia inſulae St. Mariae de Gratia; & V) delineatio Cluſae ſiue foſſae Claudiae, bellis, quae Veneti cum Genuenſibus geſſerunt, celebratae. Accedunt effigies Franciſci Maurocceni ducis Venetiarum, & inſignia eiusdem. Idem Coronellus edidit tabulam, in qua mare hadriaticum curate exprimitur: tabulas geminas ditionis Brixianae Venetis ſubditae & tabulam Fori Iulii. Porro pertinent huc SANSOVINI *Venetiae* (*Venetia città*

nobiliſſima) Venetiis 1581 & 1604 in 4. DOMINICI MARTINELLI *delineatio vrbis Venetae*, Venetiis 1684 in 12. *Memorabilia Veneta* NICOLAI DAGLIONI Venetiis 1671, qui liber ſaepius recuſus & recoctus fuit. Interiora vrbis & ipſam notitiam reipublicae delinearunt St. DISDIER, Gallus, in *vrbe & regimine Venetorum*, *(La Ville & la republique de Veniſe)* Pariſiis 1680 in 12. AMELOTVS DE LA HVSSAYE in *republica Veneta*, *(Hiſtoire du gouvernement de Veniſe)* cuius libri vltima editio, quae Pariſiis 1685 in 8 gallice prodiit, maximopere eſt commendanda. *Anonymus* Gallus *in Venetorum regimine togato & ſagato*, 1668 Pariſiis in 12. *Anonymus auctor diſſertationis ariſtocraticae de regimine Veneto* Geneuae 1670 in 12. Circumferuntur etiam *Notitiae duae Venetiarum mſctae*, quarum auctor eſſe fertur MARCHIO BEDEMARVS, Alphonſus de Cueua, Hiſpaniarum regis ad patres Venetos orator: quarum altera exteriorem reipublicae faciem, altera vero inferiorem, & quidem accuratiſſime repraeſentat, niſi quod auctor odii in Venetos manifeſtus eidem nimis indulgeat. Quo etiam ſpectat eius epiſtola ad ſucceſſorem Ludouicum Brauum, in qua ille epiſtola libri meminit, qui, quamuis ad hiſtoriam huius ſeculi non vſque adeo faciat, omnino tamen commemorandus venit, quia libertas Veneta, quam illi per

duodecim

duodecim ſecula inuiolatam ſtetiſſe iactant, non alio ariete labefactata fuit, ſcilicet *Scrutinii Veneti*, quod primo Mirandulae, vt titulus prae ſe fert, anno 1612 prodiit, ſed alibi forſan. Et hic in transcurſu quaſi caſtigandus mihi venit, modeſte tamen & cum honoris praefatione, vir litteris elegantioribus ad miraculum vſque imbutus CHRISTOPH. ARNOLDVS, Noribergenſis theologus, qui in praefatione operibus Velſeri 1682 Noribergae vno volumine in folio editis praefixa, putat Bedemarum omnem huic Scrutinio fidem derogare ob multas fallacias veritati inimicas, quae illibi occurrunt, cum diſerte legatus in verbis ab ipſo Arnoldo prolatis affirmet, non in Scrutinio ſed apud hiſtoricos Venetos eiusmodi fallacias occurrere, adeoque expedire, vt Scrutinium iſtud ſemper ad manus ſit, quo eo melius detegatur. Verum puto, virum doctiſſimum data opera ſimulaſſe, ſe legati verba non intellexiſſe, adeoque in aliam ea, quam dicta erant, ſententiam detorſiſſe, in gratiam haud dubie amicorum Venetorum & Patauinorum, Octauii praeſertim Ferrarii, quibus hic liber ſudes in oculis erat. Quis autem verus auctor huius ſcripti fuerit, de hoc adhuc inter rei litterariae peritos ambigitur. Auctor anonymus, qui abbas Realius eſſe creditur, Coniurationis ab Hiſpanis contra Venetos initae ipſum, quem diximus, Cueuam

parentem libri facit, ea de cauſſa, quod magnifice admodum de eo loquatur; aſt alii, Scioppius praeſertim & Ferrarius, tradunt, M. Velſerum duumuirum Auguſtanum, immortale Germanorum decus, huic operi condendo manum admouiſſe; verum id rurſus in dubium vocatur a Gaſſendo in vita Peireſcii, qui quamuis nihil ſibi liquere profiteatur, Antonium tamen Albizium, nobilem Florentinum, a quibusdam pro auctore haberi innuit. Ceterum quisquis tandem libri huius ſcriptor ſit, Venetos certe peſſime habuit, & quibusdam ferme inexſuperabilis viſus: vnde Paulus Sarpius, theologus ille Venetus celebris, cum aliquando a duce Venetorum compellaretur, vt Scrutinium hoc refutaret: *Sereniſſime*, inquit, *princeps, ne moueas Camarinam, immotam hanc expedit eſſe.* Quod refert Amelotus in praefatione ad Scrutinium a ſe gallice verſum. Conferatur Iohan. Rhodius in catalogo auctorum ſuppoſititiorum, quem Placcius ſcriptoribus ſuis occultis adiecit, art. 25 p. 20-25. Ceterum *Laurentius Banck* eandem diſſertationem Scrutinii cum epiſtola Geneuae ſupra dicta, ſub titulo: *Elegantiarum politicarum ſiue ciuilium*, publicauit. Refutationem Scrutinii, quamuis ſucceſſu non admodum proſpero, adornarunt GRASWINCKELIVS in *Libertate Veneta*, Lugduni Batauorum 1634 in 4 latine; & SCIPIO HENRICVS in *Anti-Scrutinio*, Meſſanae

Meſſanae 1650 in 8 italice. Verum in planam nobis redeundum eſt viam, & indicandus adhuc CRAMALLII GALLI *magiſtratuum ciuiumque Venetorum veſtitus*, octo tabellis repraeſentatus Pariſiis 1692 gallice. Et hi quidem ſcriptores vrbem ipſam eiusque notitiam exhibuerunt. De CONTARENO enim & IANNOTO inter Respublicas Elzeuiriorum proſtantibus, nihil hic dicimus, quia ſeculo ſuperiore ſcripſerunt; vrbes vero in Venetorum ditione poſitas aeternitati commendarunt, quas iam nominauimus. *Patauium* ANGELVS PORTENARVS in *Felicitate Patauii*, ibidem 1623 in folio italice. IACOB. PHIL. THOMASINVS in *Sacris & profanis vrbis Patauinae inſcriptionibus*, Patauii 1649 in 4. Idem in *Territorii Patauini inſcriptionibus*, cui ſupplementum ad inſcriptiones vrbis acceſſit, Patauii 1654 in 4. IACOB. ZABARELLAE comes in *Aula Zabarella*, ſeu elogiis illuſtrium Patauinorum, Patauii 1670 in 4. SERTORII VRSATI, equitis & profeſſoris Patauini, *hiſtoriam Patauinam* hic non commemoramus, quia circa antiquiora occupatur. Veronae lucem affuderunt ANTONIVS GAZA in *hiſtorica catena Veronenſi*. LVDOVICVS MOSCARDVS in *hiſtoria Veronenſi* libris duodecim conſtante, & vſque ad annum 1668 deducta, Veronae 1678 italice in 4. Vicentiam IACOBVS MARSARVS in *hiſtoria Vicentina*,

ibidem 1604 in 4. Bergomum COELESTINVS Capucinae familiae monachus, in *hiſtoria quadripartita*, vt vocat, *Bergomenſi*, voluminibus duobus in 4 Bergomi 1617 italice; & DONATVS CALVVS in *Ephemeride ſacro-profana Bergomenſi*, voluminibus tribus Mediolani 1676 in 4 italice. Taruiſium BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS in *commentariis memorabilibus multiplicis hiſtoriae Taruiſinae*, Taruiſii 1616 latine in 4, qui liber multis ſcatet ineptiis. Tandem *vrbem & portum Polae in hiſtoria* ANTONIVS DE VILLA Gallus, Venetiis 1623 latine in 4. Genealogias Venetas aliquas exhibuerunt *anonymus* in *ſtemmate gentis Maſtinae*, Venetiis 1626 in 4. NICOLAVS CRASSVS de *Piſaurae gentis heroibus* 4 Venetiis 1652. IACOBVS CAGNA in *Summario nobilitatis Patauinae* 4. Hiſtoria ipſa ab initio ſeculi vſque ad noſtra tempora, ordine ex ſcriptoribus ſequentibus petenda eſt. Primo ex *faſtis ſiue ephemeridibus reipublicae Venetae*, 1698 Lipſiae in 8 germanice publicatis. Ex PALATII *faſtis ducalibus Venetis* Venetiis 1696 in 4. Ex LEONIS MATINI *Iconibus & elogiis ſereniſſimorum reipublicae Venetae principum* in aes inciſis, Venetiis 1659 in 4. Ex MAVROCENI *hiſtoria Veneta*, ab anno 1521-1615 latine Venetiis 1623 in folio. Ex IOHAN. BAPT. VERI de *rebus Venetis*, antea in 12, ſed dein nouiſſima editione 1678 in 4 latine.

latine. ALEXANDER MARIA RIALONVS in *hiſtoria Veneta*, cui effigies ducum acceſſerunt, Venetiis 1660 in 4 duobus voluminibus italice. BAPT. NANIVS vir illuſtris & ſenator Venetus magni nominis, in *hiſtoria Veneta*, duobus voluminibus in 4 Venetiis 1662 & dein ſaepius recuſis italice galliceque poſtremo translatis. Et hi quidem vniuerſam Venetorum hiſtoriam vſque ad finem belli Cretici i. e. 1669 deduxerunt. Sed interim antequam ad reliquos progrediamur, non praetermittenda eſt celebris illa controuerſia, quae 1605 & 1606 ac 1607 Venetis cum Paulo V pontifice romano interceſſit, cuius hiſtoriam nemo curatius dedit, quam PAVLVS SARPIVS in *Hiſtoria interdicti ſeu cenſurae pontificiae*, ſeptem libris conſtante & magno cum iudicio conſcripta; excuſa fuit illa ſeorſim, ſed deinde operibus Pauli, Mirandulae aut potius Geneuae impreſſis, inſerta fuit, volumen eorum operum quartum repraeſentans. Verum & alii ſcriptores pro Venetis & aduerſus eos calamum ſtrinxerunt. Commendamus hoc fine *geminam ſyllogen*, Curiae aut potius Geneuae 1607 in 4 excuſam. Prior continet ſequentia ſchediaſmata: I) Pauli V cenſuram, cui Venetos ſubiecit, latine; II) epiſtolam ducis Venetiarum ad clerum reipublicae ſubiectum, italice; III) reipublicae Venetae epiſtolam ad ciues, italice; IV) Antonii Quirini apologiam

reipublicae Venetae, italice; V) Pauli Sarpii annotationes ad cenſuram Pauli V, quam etiam operum tomo I inuenies, italice; VI) theologorum Venetorum librum de interdicto Pauli V, in operibus Pauli V etiam occurrentem; VII) Baronii cardinalis paraeneſin ad rempublicam Venetam, latine; VIII) epiſtolas duorum clariſſimorum Italiae ICtorum ad Paulum V pontificem romanum, latine; cum ſententia Baronii & Columnae cardinalium; IX) reſponſum doctorum theologicorum ad epiſtolam ab amico clerico ad ſe ſcriptam, pro Venetiis, italice; X) cardinalis Bellarmini reſponſum ad hoc ipſum theologicum reſponſum pro pontifice, italice; XI) Iohan. Marſilii apologiam contra Bellarminum, italice; XII) Iohan. Gerſonis, doctoris theologiae Pariſienſis, qui aliquot ante has turbas ſecula vixit, reſolutiones circa materiam excommunicationum, latine, exſtat quoque in operibus Pauli tomo I latine & italice; XIII) Bellarmini contra hunc Gerſonis librum diſſertationem pro pontifice, italice; XIV) Pauli Sarpii apologiam pro Gerſone contra Bellarminum, quae & ipſa tomo ſecundo operum inuenitur; XV) epiſtolam Giſanii Bizzonii Piſcatoris Veneti, dialecto Veneta ſcriptam; XVI) allocutionem Venetiarum ad Paulum V, italice; XVII) cantionem italicam ſatyricam; & XIIX) denique Zefirielis Tomaſi Bouii, Veronenſis epiſtolam

epiſtolam ad Paulum V pro Venetis. Poſterior ſylloge complectitur: I) Gallo-Franci ad Vilenetum epiſtolam pro libertate ſtatus & reipublicae Venetorum; II) Iohan. Antonii Carmelitae monachi reſponſionem ad Pauli Veneti diſſertationem de interdicto pro pontifice romano, italice; III) ſenatoris Veneti anonymi ſententia in ſenatu ſanctiore dicta, italice, quod ſcriptum haud dubie a quodam pontifice romano fauente conſarcinatum eſt; IV) epiſtolam reipublicae Genuenſis ad rempublicam Venetam, pro pontifice romano, cum annotationibus, quae pro Venetis faciunt, italice; V) admonitionem catholicam ad Antonium Poſſeuinum S. I. auctore equite Germano, Pandolfo Hoffmanno Vratislauienſe, italice pro Venetis; VI) Iohan. Bapt. Palmerii Anachoretae epiſtolam ad ciues Venetos pro Venetis; VII) Matthaei Torti (ſub quo nomine alioqui Bellarminus latere ſolet) annotationes ad Palmerium; IIX) Bouii ad Paulum Roccam epiſtola, in qua ſententiam fert de duabus epiſtolis ducis & ſenatus Veneti ad clerum & ciues Venetos, italice pro pontifice; IX) Barthol. Vgolini de iuſtitia & validitate monitorii ac cenſurarum Pauli V liber latinus pro pontifice; X) Barth. Cambi epiſtola ad Venetos, italice pro pontifice; XI) Laelii Medici Placentini diſſertatio contra Venetos pro pontifice, in qua Quirini imprimis apologiam

conatur refellere, italice; XII) Simonis Sardi duas diſſertationes de libertate eccleſiarum, pro Venetis; XIII) Nobilis Poloni epiſtola ad Poſſeuinum, qua vicem eius dolet, pro Venetis, italice; XIV) Antonii Poſſeuini epiſtola ad Marcum Antonium Capellum, cum Capelli reſponſo, italice; XV) Iohan. Marſilii votum pro republica Veneta contra Baronii votum; XVI) Iohan. Marſilii, Pauli Veneti, & Fulgentii theologorum Venetorum ad excommunicationis, citationis, monitionis romanae ſententiam in ipſos latam reſponſio latina; XVII) Nicolai Craſſi antiparaeneſis ad Baronium pro republica Veneta, latine; XIIX) conſultatio Pariſii cuiusdam (qui creditur vel Gillotus vel Leſchaſſerius eſſe) de controuerſia Veneta, pro Venetis, latine; XIX) Hieronymi Vendrameni diſquiſitiones controuerſiarum inter Paulum V & Venetos, latine pro Venetis; XX) Mendacia Filotheana ſeu inuectiua Iohan. Filothei Caſtrenſis, a Fulgentio Tomaſello Philoſopho Albano vel Epirota confecta. Et haec in iſtis faſciculis inueniuntur. Sed nominandi veniunt praeterea ISAACVS CASAVBONVS, cuius liber ſingularis de *libertate eccleſiaſtica*, quem in gratiam Venetorum compoſuit, ſed poſtea turbis opera Henrici IV Galliarum regis compoſitis, rege iubente imperfectum reliquit, quem Goldaſtus tomo I Monarch. S. R. I. p. 674 ſeqq.

ſeqq. affert. Auctores anonymi *Protreptici ad nobiles Venetos*, 1607 in 4; Epiſtolae quatuor ad Paulum V, quae ſub nomine clariſſimorum Italiae ICtorum pro iuſtitia cauſſae Venetae prodierunt Phinopoli 1606 in 8. Reſponſiones chriſtianorum reipublicae Venetae ciuium & amicorum ad Baronii paraeneſin 1607. Admonitio eccleſiae apoſtolicae ad Paulum V 1607. Reſponſum Paſquini ad excommunicationem Pauli V & Baronii atque Bellarmini ſcripta, pro Venetis 1606 in 4. Ceterum pro pontifice praeterea ſtilum in Venetos ſtrinxerunt FERDINANDVS DE BASTIDA in *Antidoto*, Venenatis Pauli Sarpii cenſuris oppoſito, Romae 1607 in 4 italice. IOHAN. STEPHANI BARBERII *Confutatio refutationis Fulgentii Brixienſis*, Romae 1607 in 4. FRANCISCI CVMELI *Defenſio proceſſus Pauli V aduerſus Venetos*. IOHANNIS MARSILII *Calumniae bis centum*, & quod excedit, refutatae ab Octauio de Franceschi, Maceratae 1687 in 4 italice. *Felicis Milenſii* pro voto cardinalis Baronii in cauſſa diſſidii cum Venetis, diſſertatio, Moguntiae 1607 in 8 latine. *Monitoria* & declarationes excommunicationis contra Venetos promulgata a variis pontificibus, Romae 1606 in 4 latine. IOHAN. PHILIPPI MANARDI de *priuilegiis eccleſiaſticis*, pro defenſione cenſurarum Pauli V contra Venetos Anconae 1607 latine.

Cardinalis BELLARMINI *reſponſum pro Paulo V contra Venetos*, Viterbii 1606 in 4 italice. IVLII ROSSI *reſponſum* ad ſententiam Marci Antonii Capelli de cenſuris Pauli V, Romae 1607 in 4 italice. VALENZVELAE *defenſio monitorii Pauli V ad Venetos*, Valentiae 1607 in 4. IOHAN. BERTHOLLOTTI *Philoprotropia*, in qua adhortatur rempublicam Venetam, vt Paulo V ſeſe obedientes praeſtent, Bononiae 1606 italice. THEODORI EVGENII Famauguſtani *reſponſum ad apologiam Quirini*, Bononiae 1606 in 4 italice. HIERON. DELBENII *reſponſum in eadem controuerſia*, Bononiae 1608 italice. RVTILII BENZONII diſputationes duae de *immunitate eccleſiae* & *iuſtitia pontificii interdicti*, Recanati 1606 latine. Fratris GREGORII SERVANTII ordinis praedicatorum, *defenſio poteſtatis & immunitatis eccleſiaſticae pro Paulo V*, Coloniae 1606 in 8 italice. Epiſtola Gregorii Buonadiuti ad monialium praefectam, quomodo ſe hoc tempore gerere debeant, Bononiae 1606 in 8 italice. Vix conquieuerant hi motus, cum partim cum Liburniae piratis (*Vſcochos* vocant), partim cum Auſtriacis reipublicae Venetae res fuit. Quod ad piratas attinet, vid. *reipublicae Venetae iura contra Liburnos*, 1617 excuſa, & MINVCII MINVCCI *hiſtoria huius belli*, in ſupplemento, quod Paulo Veneto attribuitur; vnde etiam operum

tomo

tomo quinto haec ipſa hiſtoria inſeritur. Bellum autem auſtriacum enarrarunt ficti nominis ſcriptor POMPONIVS EMIGLIANI, Mediolani in *bellis inter Venetos & Auſtriacos geſtis*, ſine die & conſule in 4 editis, qui liber ob nimiam in ſcribendo libertatem ſtatim ſuppreſſus fuit. HENRICI PALLADII de *oppugnatione Gradiſcana*, libri quinque non ineleganter ſcripti, & Vtini 1659 in folio impreſſi. FAVSTINI MOISESCI *Hiſtoria belli Foroiuliani*, Venetiis 1623 in 4. Pertinent huc quoque ſchedae & ſatyrae, puta *Valerii Fulvii Sabaudi notae ad excerpta ex actis Parnaſſi de controuerſiis reipublicae Venetae & Sabaudiae ducis, cum fratris Michaelis Pii Bononienſis citationibus ex Caſa*, Anthopoli 1618. *Eiusdem Fuluii Poena calumniatorum* ſiue excerptum ex actis Parnaſſi. *Ephandri Philacis* diſſertatio de bello, quod reſpublica Veneta cum Ferdinando archiduce auſtriaco geſſit in 4 italice. *Eman. Tordeſigliae* narratio belli Foroiulienſis, hiſpanice, Mantuae Carpetanorum 1616 compoſita: in quo libro Veneti peſſime traducuntur. Cui ſe oppoſuit auctor anonymus in *apologia reipublicae Venetae* in 4 italice. Eiusdem commatis ſunt *Speculum libertatis* & *reſponſum contra calumnias Venetis ingeſtas*, auctore *Zoroaſtro Roitero* Mutinenſi, quod nomen haud dubie ſuppoſititium eſt, 1616 in 4. *Epiſtolae duae ducis Oſſunae*, pro-regis neapolitani,

Venetorum acerrimi hoſtis, ad Paulum V, cum reſponſo, italice in 4. *Franc. de Ingenuis* epiſtolae ad Liberium Vincentium de iurisdictione reipublicae Venetae in mare hadriaticum, aduerſus Iohan. Baptiſt. Valenzolum & Laurentium Motinum, qui iurisdictionem impugnare auſi ſunt, Eleuteropoli 1619 in 4 latine. *Liberii Vincentii Hollandi ſatyra Menippaea: neſcimus quid ſerus veſper vehat:* pro Venetis contra Hiſpanos. Mire hic quoque iuvant PAVLI VENETI diſſertationes de DOMINIO MARIS HADRIATICI, iure belli vindicati, & dominio quod reipublicae Venetae in mare ſupero ſiue hadriatico competit, altera diſſertatio; exſtat vtraque italice ſcripta operum tomo ſexto. Cui ſuo merito additur eiusdem *Pauli conſilium*, quomodo respublica Veneta imperium ſuum, vt ſolitum & perpetuum ſit, firmare debeat. Quae diſſertatio prudentiae ciuilis plena ab omnibus legi debet, qui reipublicae illius interiora recognoſcere cupiunt. Nec omittendae ſunt eiusdem *Pauli epiſtolae*, quae cum diu mſctae in ciuilis doctrinae magiſtrorum manibus delituiſſent, tandem Veronae aut potius Geneuae 1673 in 12 prelo ſubiectae fuerunt; ex quibus multa ſane diſcas, quae ad hiſtoriam illorum temporum non magis Venetam, quam aliorum quoque regnorum & rerumpublicarum faciunt. Quibus omnibus colophonis loco addimus

vitam

vitam eiusdem *Pauli* a Fulgentio, intimioris admiſſionis amico, candide & ingenue ſcriptam, ac tum ſeorſim italice editam, tum operibus quoque praefixam, & alibi etiam gallico ſermone redditam. De litigio, quod Veneti non ita multo poſt cum duce Sabaudiae ob regnum Cypri, cuius ille titulum ſibi vindicat, exercuerunt, videatur diſſertatio THEODORI GRASWINCKELII de *praecedentia Veneta*, latine Lugduni Batauorum 1644 edita. Quae poſtea ſecuta ſunt tempora, facunde tomo primo *hiſtoriae Venetae* vſque ad annum 1644 exſecutus eſt BAPTISTA NANIVS in priori hiſtoriae Venetae tomo, qui Venetiis ſaepius, primum vero, ni fallor, 1662 in 4 prodiit. Et pertinet huc diſſertatio, quam poſſideo, mſcta italica, num expediat foedus Venetis cum Gallo contra Hiſpanum pangere. Mox horribile ingruit bellum Creticum, quo Ibrahimus, Turcarum tyrannus, Venetos nihil tale cogitantes ac plane imparatos oppreſſit. Vario illud & ancipiti marte geſtum, fortuna Turcarum ad Candiam inſulae caput haerente, donec 1669 poſt vltimam triennii eamque acerrimam obſidionem vrbs cum integra inſula paucis in vicinia ſcopulis magis quam arcibus exceptis, pace non minus vtili quam glorioſa, Turcis traderetur. Memoria complexus eſt res illo bello geſtas *Nanius* volumine ſecundo 1672 impreſſo: ANDREAS

VALERIVS ſenator Venetus, trium inſularum, Corcyrae, Cacintae & Zephaloniae praetor, libris 8 de *bello Cretico* prudentiſſime ſcriptis Venetiis 1679 italice. MARCHIO VILLA in *Commentariis (Memoires)* in 12 gallice, quorum gemina eſt editio, altera Amſtelodami, altera Lugduni in Galliis curata: in qua poſteriore multa ſunt omiſſa, quae Venetis exiguae laudi cedunt. *Auctor anonymus expeditionis gallicae in Cretam*, qui rebus geſtis oculatus teſtis interfuit, Lutetiae 1678 gallice. *Auctor ephemeridis germanicae*, a Merianis 1678 Francofurti ad Moenum in folio edita, maximamque partem ex commentariis Ioſiae Waldeccii comitis de Königsmarch, qui poſtea ad Bonnam cecidit, depromtae, figurisque aeneis nitidiſſime illuſtratae 1670 in folio. MARCHIO CASTLEMEINIVS in *epiſtola ad regem ſuum Carolum II* anglice primum ſcripta, ſed poſtea germanicae conſuetudini tradita. PORONVS MARCHIO in *conſilio de Candia liberanda*, quod in commentariis ſupra laudatis inuenies. *Anonymus* in *vita Montbrunii*, *(Memoires de Monſ. le Marquis de Montbrun)* exercituum pedeſtrium apud Venetos illo bello imperatoris, Lutetiae Pariſiorum 1698 in 12 gallice. Minoris momenti ſunt *Sertonacii Anticani*, qui FRANCISCVS BIONDI eſſe putatur, *Bellum Dalmaticum* 1648 in 12. *Eiusdem bellum Creticum* 12 anno 1648

italice.

italice. ALEXANDRI VERNINI *Hiſtoria bellorum in Dalmatia cum Turcis ductu Leonh. Fuſcoli geſtorum*, Venetiis 1648 in 8. FRANCISCI FVLVII FRVGONI *Candia arctata*, ſeu vt ipſe non ſatis latine appellat, *anguſtata*, Venetiis 12 anno 1669 italice, & latine. *Teſtamentum Candiae*, germanice & latine. *Epitaphium Candiae*, ſchediaſma latinum. Multum huc quoque conferet MARCI BOSCHINI *Creta inſula*, tabulis aeneis exhibita Venetiis 1641. Et cum ſub Venetorum ditione poſita quoque ſit Corcyra, celeberrima Graeciae inſula, & maris hadriatici clauſtrum, operae pretium erit euoluere ANDREAE MARMORAE magno tandem ſtudio a me indagatam *hiſtoriam Corcyrenſem*, octo libris conſtantem, quae Venetiis 1672 in 4 prodiit italice. Bellum, quod reſpublica Veneta nuper admodum glorioſe cum Turcis geſſit, & quo totam ſibi Peloponeſum, Leucadem & vicinam Neapolin ſubiecit, Athenas quoque & Euboeam adiunctura, niſi fortuna generoſos Franciſci Mauroceni, Venetiarum primo thalaſſiarchae, dein ducis, conatus decepiſſet, deſcripſerunt: MICHAEL FOSCARINVS, ſenator Venetus vir illuſtris, in *Hiſtoria Veneta* 1691 in 4. IOHAN. GRATIANVS Bergomenſis in *libris quatuor geſtorum Franc. Mauroceni*, latino ſermone nitide ſcriptis, Pataüii 4 an. 1698. ALEXANDER LOCATELLVS in opere poſthumo, quo Franc.

Mauroceni bella in Graecia geſta complectitur; publicatum eſt hoc opus non Coloniae, vt in fronte legitur, ſed Venetiis 4 anno 1691. BASQVALIS BIONDVS in *Volatu aquilae contra draconem turcicum*, Venetiis 1684 in 12. *Auctor anonymus vitae marchionis Borbonii*, vbi hiſtoria belli peloponneſiaci & obſidii Chalcidenſis in Euboea repraeſentatur, Pariſiis 1692 in 12. Pertinent huc quoque: *Auctor exactae notitiae Peloponneſi*, Venetiis 1687 italice. MORI & CORONELLI *commentarii hiſtorici de Peloponneſo, Euboea & locis vicinis*, 1686 in folio italice. CORONELLI *ichnographia de Peloponneſo, Euboea, Illyrico, Epiro, a Venetis recuperatis*, Venetiis 1687 in folio. Tandemque BERNH. RAVDVLFVS Anglus in *Notitia Peloponneſi* cum adiuncta deſcriptione Athenarum, Zacynthi, Strophadum & Citerae in 4. Ceterum proderunt etiam hiſtoriam Venetam lecturo NICOL. CRASSI iunioris *elogia patriciorum Venetorum*, belli pacisque artibus illuſtrium, Venetiis 1612 in 4. Et ANTONII MILLEDONNII, (qui formidabili apud Venetos decemuirorum conſilio ab epiſtolis arcanis fuit) ab anonymo ſcripta italice.

§. VI.

Sabaudiam & Pedemontium conſideraturis principe loco ſe offert *Theatrum ſtatuum Sabaudiae ducis*, duobus conſtans voluminibus: Prius

Prius repraeſentat Pedemontium; poſterius Sabaudiam & reliquas ducis prouincias, opus fere regium, tabulisque chorographicis & ichnographicis exquiſitiſſimis exornatum; prodiit 1682 ſermone latino, Amſtelodami apud Iohan. Blauium forma auguſta; nunc vero (hoc ſcilicet anno 1700, quo haec ſcribimus,) gallico ſermone lucem adſpexit. Habemus quoque *Sabaudiae & Pedemontii tabulam geographicam*, cum adiecta deſcriptione, Lutetiae 1698, quae maximam partem deſumta eſt ex *chorographia Thomae Borbonii* quindecim tabulis conſtante, & viduae Sabaudiae 1680 conſecrata. Huc quoque faciunt FRANCISCI AVGVSTINI *Corona regalis Sabaudiae*, ſeu deſcriptio prouinciarum, quae in ditione Allobrogum ſunt, voluminibus duobus in 4 conſtans, italice Bononiae 1691. PETRI IOFFREDI *Hiſtoria Nicaeae ciuitatis* in folio Auguſtae Taurinorum 1650 latine. EMANVEL. THESAVRI *Hiſtoria Auguſtae Taurinorum*, a Iohan. Peto Gyraldo continuata, Taurini italice. FRANCISCI VOERSII *breuis hiſtoria vrbis Cheraſci*, 1618 in 4. IOHAN. LEGERII *hiſtoria vallium ſubalpinarum* 1668 in folio. LVCAE PROBI *Aquae ciuitas Montisferrati*; vt taceam *Rempublicam & Hiſtoriam Sabaudorum*, Lugduni Batauorum 1634 in 24. Genealogiam Sabaudicam illuſtrarunt SAMVEL GVICHENONIVS in ampliſſimo opere,

quod *hiſtoriam genealogicam domus Sabaudiæ (Hiſtoire genealogique de La Maiſon de Savoye)* vocat, gallico ſermone, conſtatque tribus voluminibus, & Lugduni Gallorum 1660 in folio prodiit. PETRVS MONODVS in *hiſtoricis inueſtigationibus connubiorum gallicorum & ſabaudicorum*, Lugduni Gallorum 1621 in 4 gallice. SCIPIO GVILLIVS de *iisdem foederibus* Pariſiis 1619 gallice. Auctor anonymus libri gallici, cui titulus *Succeſſio principum Mauriennae comitumque & ducum Sabaudiae*, ab anno mundi vſque ad annum 1613 cum effigiebus ducum, folio; interque alias in tabula genealogica, ducum Sabaudiae ſcriptor anonymus diſſertationes de *titulo regio domui Sabaudiae debito*, quem multi perhibent *Petrum Monodum* S. I. eſſe, Taurini 1636 in folio prodiit. Anonymus de *antiquitate familiae Puteanae*, & de viris illuſtribus ex ſtirpe praeſertim pedemontana ortis. Ac denique FRANC. CAPRA in *catalogo equitum ordinis, qui a Seruatore annunciato nomen habet*, Taurini 1654 in folio. Ipſam huius ſeculi hiſtoriam Sabaudicam litteris mandarunt: THOMAS LE BLANC in *Hiſtoria Sabaudica*, (*Hiſtoire de Savoye*) Lugduni Gallorum 1668 tribus voluminibus in 12 gallice publicata. IOHAN. PAPYRIVS MASSONVS in *Elogiis ducum Sabaudiae*, Pariſiis 1619 in 8 latine. LVDOVICVS DE CHIEZA in *Hiſtoria pedemontana*, cui adiecit *origines*

domus

domus Sabaudicae & aliarum illuſtrium familiarum, Taurini in 4 italice. *Auctor anonymus belli Sabaudici ab Henrico IV contra Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem geſti*, 1602 in 4 latine. Anonymus in *Iure belli*, ſiue vera narratione, quibus de cauſis bellum inter Henricum IV & Sabaudiae ducem exortum ſit, Amſtelodami 1601. VIRGILII PAGANI *Hiſtoria belli Montferratenſis*, a Carolo Emanuele patrati, Taurini 1613 in 4 italice. ANTONIVS BELLVS in *Hiſtoria eiusdem belli*, ibidem 1637 in folio latine. ANTONIVS POSSEVINVS iunior in eiusdem argumenti *Hiſtoria*, Geneuae in folio 1637 latine excuſa, qui liber inſigni cum iudicio ſcriptus, ciuilis prudentiae ſtudioſis omnino commendandus eſt; Forſtneroque in notis poſterioribus ad Tacitum frequenter laudatur, quamuis in his oris rarus: optandumque foret, vt a mendis typographicis, quibus Geneuenſis editio omnibus ferme paginis ſcatet, magis liber, in Germania recuderetur. Porro hic nominanda *Collectio diſputationum variarum pro duce Sabaudo*, Auguſtae Taurinorum 1615. *Narratio de obſidione Verrucae*, ad quem ſcopulum felicitas Hiſpanorum corruit, Lugduni 1626 gallice. *Narratio gallica de bellis Pedemontanis & Montferratenſibus* 1630 geſtis, in 4. *Prima & ſecunda Sabaudica*, in quibus artes Sabaudiae ducis deteguntur, Gratianopoli 8 anno

1630 gallice. *Apologiae duae pro domo Sabaudica*, primo gallice Chamberiaci 1631 in 4; ſecunda italica Auguſtae Taurinorum 1632. MICH. BAVDIERII *Miles pedemontanus*, ſiue hiſtoria eorum, quae 1640 in regione ſubalpina ſiue Pedemontio euenerunt, Pariſiis 1641 in 8 gallice. ANTONII AVGVSTINI CODRETI *Oliua prodigioſa*, ſiue hiſtoria panegyrica Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis, Auguſtae Taurinorum 1657 in 4 italice. Eiusdem *Palma triumphans Victoris Amadaei Sabaudiae ducis*, Auguſtae Taurinorum 1660 in 4. EMANVELIS THESAVRI *Bella in Pedemontio*, 1640 geſta, in folio & 4 italice. Exſtant quoque in eiusdem operibus hiſtoricis Auguſtae Taurinorum 1644 ſimul editis, FRANCISCI AVGVSTINI DLLACHIEZA *Narratio de praeſenti Pedemontii ſtatu*, Auguſtae Taurinorum 1635 in 4. CORNETI *Hiſtoria bellorum Sabaudiae*, ab anno 1616 - 1626, Duaci 1626 gallice. *Notitia aulae Sabaudicae*, 1667 gallice. *Hiſtoria vexationis Waldenſium*, quae 1686 contigit, Francofurti 1690 in 12 gallice. *Hiſtoria legationis helueticae Waldenſium gratia ad ducem Sabaudiae miſſae*, 1686 Francofurti 1690 gallice. Quae vltimo, quod cum Gallis Sabaudus geſſit bello, euenerunt, ex hiſtoria ſcriptorum Galliae repetenda erunt. Poteritque adiungi *diſſertatio anonymi* gallice 12 anno 1696 edita, in qua diſerte exponitur, quibus dux

dux Sabaudiae artibus cum Gallo colluſerit & foederatos eluſerit. Nos Sabaudicis ſcriptoribus finem imponimus, hoc tantum monentes, teſſeras ducum Sabaudiae gentilitias illuſtrari libro eleganti FRANCISCI AVGVSTINI DELLACHIEZA ſupra laudati, cui titulus *Flores artis heraldicae ad coronam Sabaudiae ornandam*; prodiit Auguſtae Taurinorum 1655 in 4.

§. VII.

Magnum Hetruriae ducatum eiusque notitiam hiſtoricam deſideranti praeſto ſint GALEATII GVALDI *Notitia vrbis Florentiae*, Coloniae 1668 in 4 italice. PAVLI MIMII diſſertatio de *nobilitate vrbis Florentiae & Florentinorum*, Florentiae 1614 in 4. IOH. CIRELLI *Elegantiae Florentinae*, Florentiae 1677 in 8. *Hiſtoria ciuitatis Piſtoriae* MICH. ANGELI SALVI, volumina tria in 4 Romae 1626 italice. MARIAE IOANELLI *Origines & nobilitas Volaterarum* in 4 Piſis 1613. IVGVRTAE TOMASI *Hiſtoria Senenſis*, Venetiis in 4 anno 1625 italice. MARCELLI BENCII *Hiſtoria ciuitatis Montispolitiani*, Florentiae 1614 italice. IOHAN. VINCENTII COPPII *annales Fani Geminiani*, Florentiae 1695 in 4 italice. NICOL. MAGRI *Portus Liburni*, 1646 in 12 italice. Quod ad genealogiam Hetruriae attinet, commendamus *tabulam genealogicam gallicam familiae Medicaeae* anonymi;

SCIPIONEM AMIRATVM de *familiis nobilibus Florentinis*, 1615 in folio. EVGENII GAMVRINI *hiſtoriam genealogicam familiarum Hetruſcarum & Vmbricarum*, tomis duobus, Florentiae 1668 in folio. SCIPIONIS AMIRATI *Arborem genealogicam comitum Guidorum*, Florentiae 1640 fol. *Anonymi* librum hiſtoricum latinum de *familia Gattiorum*, Patauii 1642 in 4. *Statuta ordinis equitum S. Stephani*, Florentiae 1620 in 8. Et PETRI BOISSAT *Hiſtoria genealogica domus Mediceae*, Lugduni Gallorum 1620 in 8 gallice. Hiſtoriam huius ſeculi illuſtrabunt *Hiſtoria Florentina* SCIPIONIS AMIRATI, cum ſupplemento Amirati iunioris, Florentiae 1647 fol. voluminibus duobus. *Narratio de peſtilentia Florentina*, quae 1630 ſaeuiit, Florentiae 1634 in 4 italice. Et MARGARETHAE COSTAE *Iter germanicum Ferdinandi II, magni Hetruriae ducis*.

§. VIII.

Magnum Hetruriae ducem excipiat respublica Genuenſis: Inſpiciantur ibi HIERONYMI DE MARINIS Patricii Genuenſis *Genua*, ſeu compendiaria deſcriptio dominii, gubernationis, potentiae, dignitatis, ſereniſſimae reipublicae Genuenſis, Genuae latino ſermone ſcripta 1675 in 12. LVDOVICI GONGORI *Regia reipublicae Genuenſis maieſtas*, hiſpanice ſcripta; auxit & verſionem italicam addidit

Carolus

Carolus Speronus, nobilis Ligur, Genuae 1665 in folio. PETRVS BAPTIST. BVRGVS de *dignitate reipublicae Genuenſis*, latine in folio. NOBILIS (LE NOBLE) *Notitia* gallica *reipublicae Genuenſis*, Lutetiae 1685 in 12. *Anonymi Morbi politici reipublicae Genuenſis*, Arnbergae 1617 in 12 italice. Genealogias exhibebunt AVGVSTINVS FRANZONVS in *Nobilitate Genuenſi*, Genuae 1636 fol. italice. CAROLI DE VENASQVE *Arbor genealogica & hiſtorica gentis Grimaldae*, Pariſiis 1647 folio latine. *Sol Ligur in domo Laſcaria*, cum elogiis & effigiebus Laſcarorum IOHAN. ANDREAE. AVBERTI MIRAEI *gentis Spinolae illuſtrium elogia*, Coloniae Agrippinae 1611. Ad hiſtoriam ipſam pertinent MAILII *Hiſtoria reipublicae Genuenſis* gallice ſcripta tomis tribus conſtans; prodiit Lutetiae in 12 anno 1696. ANTONIVS DORIA in *compendio de rebus ſui temporis*, Genuae in 4 anno 1671 italice. FEDERICI *epiſtola*, in qua refertur, quid Genuae acciderit, Genuae 1634 in 4 italice, & Lisbonae 1659 in 4 hiſpanice. IOHAN. PAVLI MARANI *Coniuratio Raphaelis de Turre*, & hiſtoria vltimi belli Sabaudici, Lugduni Gallorum in 12 anno 1682 latine. Et tandem *dialogus inter Genuam & Algeriam*, Amſtelodami 1685 in 12 recuſus, in quo clades, quam Galli pyrobolis & machinis igniuomis vrbi pulcherrimae intulerunt, exponitur, ſed

ſimul ineptae adulationes in honorem regis Galliarum admiſcentur. Ciuitates & prouincias, quae in Genuenſium ditione ſunt, oppido pauci deſcripſerunt: tamen IOHAN. BAPTISTA PERSICVS *ciuitatis Maſſelubrenſis in littore Liguſtico ſitae* deſcriptionem adornauit, Neapoli 1646 italice. Et IOHAN. BALTHASAR MARZOLACCIVS *Fanum Bonifacii in Corſica* (quae inſula Genuenſibus paret) illuſtrauit, Bononiae 8 anno 1625. Inſpiciantur quoque *epiſtolae hiſtoricae (Lettere Iſtoriche)* GANDOLFI 1697 in 4 excuſae italice, in quarum ſecunda exponit, quae anno 1625 *Vintemiglienſes* in littore Liguſtico ſiti, perpeſſi fuerint: Epiſtola ſexta, qua vita marchionis Serrae exponitur & epiſtola ſeptima, qua clades, quam claſſis gallica Genuae intulit, repraſentatur.

§. IX.

Mantuanam hiſtoriam ſtilo ſignarunt ANTONIVS POSSEVINVS iunior in *Gonzaga* ſiue praeclaro hiſtoriae Mantuanae opere, Mantuae 1628 in folio latine edito; accedunt effigies ducum nitidiſſimae. SCIPIO AGNELLVS MAFFAEVS, epiſcopus Caſalenſis in libros duodecim *annalium Mantuae* ad annum 1628 deductorum, Tertonae 1675 in folio italice. *Auctor anonymus narrationis italicae de rebus Mantuanis*, Francofurri in 4 anno 1629. FRANCISCVS NIGER & FRIDERICVS

BOSIVS

BOSIVS in *diſquiſitione ducatus Mantuae* in 4 anno 1629 latine. *Auctor reſponſionis de marchionatu Montisferrati*, pro Mantuae duce contra Antonii Fabri conſultationem, Mantuae 1622 in 4. Alius *ſcriptor militis Montisferratenſis*, Caſalis in 4 anno 1641 italice. Quem excepit Veritas, Scutum & Haſta militis eiusdem, eodem loco & anno italice. Tandemque *Amores Caroli Gonzagae*, Genenae 1666 italice. Ad genealogias Mantuanas facit VINCENTII AGNELLI *vera origo familiae Maſſinae Mantuanae*, Venetiis 1628.

§. X.

Mutinenſium res illuſtrarunt RAMAZINVS de *admiranda fontium Mutinenſium natura*. *Hiſtoriam Regii Lepidi*, quae vrbs in ditione ducis Mutinenſium eſt, compoſuit FVLVIVS ARZZVRVS, aſt edidit frater eius *Octauius*, Regii 1623 in 4. Lites, quae familiae Ateſtinae, ex qua duces Mutinenſes deſcendunt, cum ſede pontificia intercedunt, exponit auctor *anonymus* ſcripto italico, ſine die & conſule in folio. Addantur *Informatio breuis & ſincera*, quam quidam ducis Mutinenſis ab epiſtolis, de inuaſione Hiſpanorum in ducatum Mutinenſem confecit, Mutinae 1655 italice in 4. Cui alius ſub nomine *ciuis Mutinenſis* eadem lingua apologiam oppoſuit.

§. XI.

Turbas, quae duci Parmenſium ob Caſtri

ducatum multas hoc ſeculo moleſtias crearunt, illuſtrant *ſcriptor verae & ſincerae narrationis iurium ducis Parmenſis contra aulam romanam, Caſtri ducatum hoſtiliter aggredientem*, in folio italice. Cui oppoſita eſt latina *reſponſio ad hunc librum* folio, & *Iura contra ducem Parmae pro ducatu Caſtri*, folio.

§. XII.

Lucenſem in Hetruria rempublicam & turbas, quibus 1638, 39 & 40 illa exarſit, ſingulari oratione exponit *auctor anonymus*, Coloniae, vt titulus prae ſe fert, 1640 in folio italice. Et *rempublicam S. Marini*, omnium in Italia abiectiſſimam, & ea tamen arrogantia praeditam, vt rempublicam Venetam ſereniſſimae ſororis titulo compellare haud dubitet, illuſtrant peculiari commentario MATTHAEVS VALLIS; cum quo conferendus eſt ANTONIVS DE MALAGONELLIS, oratorum diſertiſſimus, in oratione quarta, quam ad Chriſtinam Sueciae reginam ſub perſona legatorum huius reipublicae habuit, p. 81 ſeq. vbi graphice eam deſcribit.

§. XIII.

Tandem *Melita* ſiue *Maltha* inſula nobis occurrit, equitum Rhodiorum firmiſſima ſedes, & reipublicae chriſtianae munitiſſimum propugnaculum. Deſcripſit eam italico ſermone IOHANNES FRANCISCVS ABELA, qui rarus liber, fruſtra mihi indagatus adhuc, Malthae

Malthae 1647 ſermone italico excuſus eſt. Conferatur cum eo BVRCHARDVS A NIDERSTET in *Melita vetere & noua*, Helmſtadii in folio latine 1662. IOHAN. FRIDERICVS BREITHAVPT in *deſcriptione Melitae*, Francofurti 1638 in 4. *Deſcriptio gallica Melitae*, 1611 in 8 gallice. *Iter Melitenſe*, Pariſiis 1679 in 12 gallice. *Hiſtoria ordinis Rhodii & Melitenſis* ex italica *Boſii* a *Balduino* gallice reddita, 1637 Pariſiis in folio. AVGVSTINI DE FVNES *annales militiae Rhodiae*, Valentiae 1626 fol. hiſpanice. *Hiſtoria eorundem equitum* per BOISSATVM conſcripta, Lugduni Gallorum in 4 anno 1612 gallice. OSTERHAVSENII, equitis Germani, liber germanicus de *legibus & ſtatutis militum Rhodiorum*, 1647 Francofurti & 1650 in 8 germanice, quem librum noſtris vnice commendo, cum omnia ferme complectatur, quae apud alios ſparſim inuenies. IACOBVS DE FOVMEE de *ordine Rhodio*, Pariſiis 1604 in 8 gallice. ANNI DE NABERAT *Maltha regi chriſtianiſſimo ſupplex*, contra anonymum, qui regi commentarium exhibuit, inque eo ſuadere auſus eſt, vt ſummam magni equitum magiſtri dignitatem exemplo Hiſpaniae regum, equites Iacobeos Alcantarenſes & Calatrauenſes ſub poteſtatem ſuam redigentes, ſibi & regno vindicaret, Pariſiis 1627. Tandem addatur *Martyrologium equitum Rhodiorum* GOVSSANCOVRTII

Pariſiis in folio editum, vbi nomina eorum recenſentur, qui pro fide chriſtiana fortiter pugnantes ceciderunt. Suaſerim quoque, vt *tabula geographica Melitae*, quam CORONELLIVS elaborauit, cuique in lemniſcis ſiue areolis nomina & teſſeras gentilitias magiſtrorum ordinis adiecit, inſpiciatur.

§. XIV.

Hiſtoricis Italis ita abſolutis, ad illos accedimus, qui pomparum ſolennium in Italia exhibitarum ſpectacula deſcribunt; licet iam ſupra, praeſertim cum de electione pontificum ageremus, aliquot eorum enumerati fuerint. Iuuabit inſpicere *narrationem anonymi*, quomodo cadauer Pauli V pontificis romani ex aede Petri in templum, quod a Maria maiore nomen habet, translatum fuerit; prodiit Romae cum figuris aeneis 1623 in folio. *Apparatum funebrem anniuerſarii Gregorii XV*, Bononiae 24 iulii 1624, curante Ludouiſio cardinali, Bononiae cum figuris aeneis, latine. *Narrationem de ſpectaculis & haſtiludio Auguſtae Taurinorum*, (vbi ſedes & arx quaſi elegantiarum eſt, deliciis gallicis & italicis eo confluentibus) *in nuptiis Margaritae & Iſabellae Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis filiarum exhibitis*, Auguſtae Taurinorum 1608 in 4. *Narrationem de Spectaculo ibidem in natali Iuſtinae Allobrogum principis celebrato* 1670 in 4. EMANVELIS THESAVRI (qui multus in his fuit)

extremos

extremos honores Franciſco Thomae a Sabaudia Auguſtae Taurinorum nonis febr. 1656 perſolutos, quos inuenies in editione inſcriptionum tertia, quae Coloniae Brandenburgicae 1671 in folio prodiit, fol. 16. *Extremos honores a Carolo Emanuele Sabaudiae duce regiae matri regiaeque coniugi redditos* ibidem, fol. 20. *Extremos honores Carolo Emanueli Sabaudiae duci a filio Victore Amadeo decretos*, fol. 23. *Natalitias pompas* Auguſtae Taurinorum in exortu Franciſci Hyacynthi Sabaudii principis primogeniti 1632 celebratos ibidem, fol. 42. *Caroli Emanuelis & Franciſcae a Francia coniugum publicam receptionem* 1633 ibidem, fol. 97. *Regii palatii Taurinenſis ornamenta*, fol. 111. *Regiarum venationum campeſtres aedes earumque ornamenta*, fol. 150. *Regiae Ripularum aulae ornamenta*, fol. 172. *Vrbani Praetorii Auguſtae Taurinorum ornatum*, fol. 175. LVDOVICI IVGLARIS *exequias Victoris Amadei Sabaudiae ducis*, Auguſtae Taurinorum fol. *Nuncium doloris in orbem vniuerſum demiſſum*, ſiue exequias Mauritii Sabaudiae principis, 1657 fol. *Exequias Ferdinandi Medicaei*, magni Hetruriae ducis, deſcriptas ab AVGVSTINO MASIO, Venetiis 1609 in 4. *Spectacula in nuptiis Coſmi Medicaei*, eius nominis II, & Magdalenae archiducis Auſtriae, Florentiae 1608 in 4. *Spectaculum equeſtre exhibitum in gratiam principis Vrbinatium*,

Florentiam aduentantis, 1656 in 4 ibidem. *Tripudium Venetorum exhibitum in nuptiis principis Hetruſcae archiducis Auſtriae*, Florentiae 1615 in 4. *Bellum amoris*, ſiue ſpectaculum a Coſmo II Florentiae 1615 exhibitum, ibidem in 4. *Exſequiae Coſmi II Venetiis exhibitae*, Venetiis 1621 in folio. *Spectacula Florentiae in flumine Arno celebrata* 1604 in 4. Spectaculum ſiue *Tripudium equeſtre*, Florentiae in honorem Ferdinandi Caroli Annae ab Hetruria & Franciſci Sigismundi archiducis Auſtriae exhibitum, Florentiae 1652 in 4. *Orbis iubilans*, ſiue ſpectaculum equeſtre in nuptiis Coſmi III & Margaretae Ludouicae Aurelianenſium principis exhibitum Florentiae 1661 in 4. Quo etiam pertinet fabula muſica ſuperbiſſima, *Hercules in Thebis*, ab IOH. ANDR. MANEGLIA, dramatum muſicorum artifice ſagaciſſimo, conſcripta, & Florentiae cum figuris aeneis eodem anno in 4 edita. *Ideam principis & herois chriſtiani*, ſiue Franciſci I Mutinenſium ducis exequias, Mutinae 1659 in folio, qui liber auctorem habet DOMINICVM GAMBERTVM. *Ignes geniales & feſtiuos*, Regii Lepidi in gratiam cardinalis Rinaldi Ateſtini excitatos, Regii 1642. *Certamen quatuor anni temporum*, ſiue haſtiludium Mutinae, cum archiduces Auſtriae ſupra memorati tranſirent, celebratum, Mutinae 1652 in folio. *Triumphum victoriae*, ſiue haſtiludium

1660

1660 in honorem principis Mutinenſium recens nati repraeſentatum, Mutinae eodem anno fol. *Exequiae Odoardi ducis Parmenſium*, auctore FRANCISCO RAVLINO, Placentiae 1647 in folio. Accedit eiusdem oratio funebris, quae titulum *Coronae* praefert. *Mons Circaeus*, ſiue haſtiludium, nuptiis Ranutii Parmenſium ducis & Margarethae Aldobrandinae dedicatum, Bononiae 1600 in 4. *Spectacula Mantuana* ſumtuoſiſſima in nuptiis Franciſci Gonzagae & Margarethae Sabaudae. Mantuae 1606 in 4. *Ignes geniales Mantuae* die 5 aprilis 1626 in tranſitu Claudiae Medicaeae archiducis Auſtriae excitatos, Mantuae 1624 in 4. *Deſcriptionem & expoſitionem arcuum & ſtatuarum triumphalium in Angeli Ceſii Ariminenſium epiſcopi ingreſſu erectarum*, Venetiis 1628 in 4. *Theatrum temporaneum*, aeternitati Caeſaris Montii cardinalis & archiepiſcopi Mediolanenſis ſacrum, auctore OCTAVIO BOLDONIO, Mediolani in templo S. Alexandri excitatum, menſe auguſto 1635 cum figuris aeneis, Mediolani 1636 fol. latine. *Theodori principis & cardinalis Triuultii Nox atra*, ab HAYNONE CORIO *luci data*, Mediolani 1657 in 8 latine. *Exequias triumphales marchionis Iulii Villae*, exercitum gallicorum & ſabaudicorum in Italia imperatoris, celebratae in aede Franciſci, Ferrariae d. 26 februarii auctore FRANCISCO BERNI Ferrariae

1656 in folio. *Pompas exequiales*, in funere comitis Turiani Veronenſis COELIO MAPHIOLIO curatore & inuentore, Veronae 1617 in 4. *Exequias cardinalis Petri Campori*, cum oratione funebri ANTONII BOSSII 1643 in 4. *Apparatum triumphalem*, cum Paulus Areſius epiſcopus Tertonenſis ciuitatem illam ingrederetur, Tertonae 1621 in 4. *Solennem ingreſſum Brancaccii cardinalis Viterbium*, auctore PETRO CORETINO, Viterbii 1638 in 4.

§. XV.

Poſt pomparum ſcriptores conſiderandi nobis ſunt quidam epiſtolographi tum latini, tum hetruſci, ex quibus primo nominamus AQVILINVM COPPINVM, artis oratoriae in Ticinenſi gymnaſio, regium interpretem, cuius *epiſtolarum latinarum libri ſex* Mediolani 1613 in 8 prodierunt: Laudatur a Morhoffio in Polyhiſtore l. 1 c. 24 p. 303, quem tamen in eo vix ſequi poſſum, quod non pauca de viris doctis apud Italos in illis epiſtolis iudicia inueniri tradit. Ego quidem, qui ſatis diligenter eas euolui, nihil tale inuenio. Ceterum epiſtola prima libri primi & ſeptima eiusdem libri, prima ſecundi, & quinta decima quinti, Auguſtam Taurinorum non ineleganter depingit. Iter Taurinenſe deſcribitur epiſtola ſecunda libri primi p. 17 & ſeqq. tertia & quarta, imo quinta eiusdem libri p. 24-36, decima

nona

nona libri quinti p. 198. Floram Taurinenſem delineat epiſtola ſecunda libri ſecundi p. 58-63. Millefontes, villam regiam Caroli Emanuelis Allobrogum ducis, deſcripſit epiſtola tertia libri ſecundi p. 63. Iter Aſconenſe habes epiſtola octaua libri quarti p. 143, 158. Spectra Mediolani 1611 viſa recenſet epiſtola ſexta libri quinti p. 179. Comitis Franc. Adduae aedes & hortos commendat epiſtola decima octaua libri quinti p. 193-197. Reditum ſuum ex Italia ſubalpina ſiue Pedemontio copioſe tradit, epiſtola libri primi ſexta p. 203-212. Tandem Medianum, vice-comitis patricii Mediolanenſis villam, deſcribit epiſtola decima ſexta libri ſexti p. 229-236. Poſt Coppinum commendamus VINCENTII ARMANNI *epiſtolarum italicarum tria volumina*, Marceratae in 4 impreſſa, vbi multa hiſtorica, & imprimis genealogica occurrunt. Neque omittendi ſunt IANI NICII ERYTHRAEI *epiſtolarum ad diuerſos libri ſedecim* ſtilo vere romano & nitido ſcriptae, & Coloniae Vbiorum, vel potius Amſtelodami, typis Blauianis, 1645 in 8 editae; *duoque epiſtolarum ad Tyrrhenum ſiue Fabium Chiſium*, qui poſtea Alexander VII dictus eſt, *volumina* eodem anno ibidem edita, vbi res italicas ab anno 1642-1647, qui ipſi emortualis fuit, diligentiſſime recenſet. Edidit quoque MICHAEL IVSTINIANVS *tria volumina*

epiſtolarum italicarum 1669 in 12, ex quibus *Antonius Buliſonius*, librarius neapolitanus, rei litterariae admodum peritus, *compendium* 1683 confecit, Neapoli in 12 edidit. Multa ibi continentur, quae ad hiſtoriam huius ſeculi italicam ſpectant. Puta parte prima p. 210-232-341 inſignis notitia de familia Loffreda apud Neapolitanos incluta; p. 366 epithalamium italicum comitis Cuperſani cum Aurora Sanſeuerina; p. 401 narratio ſatis exacta de ſepulcro Franciſci, quod Aſſiſii eſt: parte ſecunda p. 54 character tumultus neapolitani 1647; p. 163 vita Apolloniae Mariae, Caroli Emanuelis Allobrogum ducis filiae; p. 231 narratio de celebratione iubilaei 1650; p. 263 deſcriptio peſtilentiae neapolitanae 1656; p. 266 narratio de imagine Chriſti cruci affixi, quae Romae in baſilica Pauli, quae in via Oſtienſi eſt, ſeruatur; & demum p. 336 narratio de iis, quae die 16 maii Venetis euenere, cum M. Moſchorum ducis legati ſenatum Venetum ingrederentur. Ipſe BVLIFONIVS edidit *tria volumina epiſtolarum memorabilium, hiſtoricarum, politicarum & eruditarum. (Lettere ſtoriche, politiche ed erudite):* volumen primum prodiit 1685 & 1693 Puteolis, volumen ſecundum eodem anno 1693 vt & tertium. Pertinent ibi ad inſtitutum noſtrum parte prima p. 1-16 epiſtolae a pontifice ad Venetos, a Venetis ad pontificem, cum Ieſuitae reſtituerentur,

ſcriptae;

ſcriptae; epiſtola Innocentii XI, qua reſpondet Senenſibus, qui ipſi ob Taiam ciuem ſuum purpura honeſtatum gratias egerunt; epiſtola eiusdem Taiae & Michaelis Angeli Riccii, p. 21 & ſequentibus, qua raro exemplo purpuram ſibi oblatam recuſant; p. 157 epiſtolae Nicolai Sagredi, legati in aula caeſarea Veneti, quibus electorem Bauariae certiorem facit de Cliſſa & arce S. Theodori ad Cretam a Venetis expugnata; p. 161-166 eiusdem epiſtola ad Venetos, qua enarrat, quid cum Leopoldo Auguſto de Turcarum in Italiam irruptione egerit; p. 265 epiſtola Clementis X, qua Vincentium Mariam Vrſinum, quamuis reluctantem adigit, vt purpuram ſibi oblatam accipiat; p. 398 Petri Mocenici legati Veneti notitia aulae romanae; p. 415 ipſius Bulifonii epiſtola de Caſparis Aroſii pro-regis neapolitani geſtis laude digniſſimis; parte ſecunda p. 12 epiſtola ciuitatis neapolitanae, in qua Innocentio XII ciui ſuo dignitatem pontificiam gratulantur, vna cum Innocentii reſponſo; pag. 17 Bulifonii deſcriptio aedis Petrinae in Vaticano; p. 32 narratio, quomodo Vincentius Maria Vrſinus cardinalis & archiepiſcopus Beneuentanus in horribili terrae-motu 1688 per miraculum euaſerit, quod tamen ipſe non DEO, ſed Philippo attribuit; p. 44 epiſtola Bulifonii ad Coſmum III, magnum Hetruriae ducem, qua quid Cerreti in terrae-motu 1688

praeter naturam acciderit, recenſet; p. 63 epiſtola Bulifonii ad Philippum Columnam, in qua delineat Emiſſaria Valentina in Samnio; p. 141 eiusdem ad Franciſcum Rhedum epiſtola de tarantulae proprietatibus cum altera ad Dominicum Cangeritum; p. 166 eiusdem epiſtola ad Marcellum Malpighium medicum vel archiatrum pontificium, vbi Laconica & vaporaria Puteolana deſcribuntur; p. 174 eiusdem epiſtola de incendio Veſuuiano menſe decembri 1689; p. 361 Balthaſaris Pagliae monachi Franciſcani epiſtola ad Felicem Lanzinam de monte Aetna; p. 375 Bulifonii epiſtola ad Blaſium Altimarum de comitiis regni Siciliae, Panormi die 15 iunii 1690 celebratis. Parte tertia p. 73 terrae-motus neapolitanus anni 1688 graphice deſcribitur; p. 134 terrae-motus ſiculus 1633 ſimili modo in compendium mittitur; p. 210 incendia Veſuuiana recenſentur; p. 263 exhibetur epiſtola Caroli I Hiſpaniarum regis, in qua vrbi Neapolitanae gratias agit, quod claſſe gallica 1693 appropinquante fortem & fidam ſibi operam praeſtiterit; pag. 282 Philippus Bulifonius abbas Fortunato Caraffae cardinali refert, quid in itinere Meſſanenſi obſeruauerit. Tandem Hector Capetius ſucceſſum legationis, quam pro Neapolitanis apud regem catholicum Carolum II obierat, enarrat.

§ XVI.

§. XVI.

Oratores & poëtas Italos latinos excerpturo offert ſeſe primum IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, iam ſupra laudatus, ex cuius orationibus in Belgio in 8 excuſis legendae ſunt decima quarta in funere Franciſci Mariae a Monte, ſacrae romanae eccleſiae cardinalis & epiſcopi Oſtienſis, ad cardinalium collegium habita p. 177; decima quinta ſiue laudatio Gregorii XV pontificis maximi p. 182; & vigeſima ad cardinales ſcripta, cum poſt obitum Vrbani VIII comitia de habendo pontifice celebraturi eſſent, p. 210. Inter *orationes* IGNATII POMPLANI Dilingae 1685 recuſas in 12 exſtat ſeptima, cui titulus *Imago purpuratae conſtantiae* p. 98, & vndecima *virtutes purpuratae*, quarum prior habita fuit in funere Iohan. Baptiſtae cardinalis Pallottae; poſterior in honorem Ludouici Ludouiſii. TARQVINIVS GALLVCIVS, cuius *orationes* voluminibus duobus Coloniae 1629 in 12 recuſae ſunt, habuit orationem decimam quartam in funere Iohan. Baptiſtae Bourgheſii, Pauli V fratris; euolue voluminis primi paginam 310. Inter OCTAVII FERRARII *Proluſiones* elegantiſſimas parte prima Patauii 1668 in 4 editas huc referuntur prima *de Venetorum & Patauinae vrbis laudibus* p. 1; decima quarta ſiue *inuicta Venetorum virtus* p. 130; vigeſima ſiue *Alexander Maximus* honori pontificis

M. Alexandri VII conſecuta, pro qua tamen, vt ipſe auctor refert, nihil niſi verba praemii loco retulit, p. 221; vigeſima prima ſiue *Valerii* (nobiliſſimi Venetorum patricii) *libertatis praeſtites*, p. 234; vigeſima ſecunda *apotheoſis Mocenici Venetae claſſis imperatoris*, qui in praelio nauali contra Turcas victor occubuit, p. 248; vigeſima tertia *Ianus clauſus*, p. 263; vigeſima ſexta *Petrus Venetus* ſiue laudes heroum, qui bello turcico nomen ſuum aeternitati commendarunt: itemque duo panegyrici, prior p. 338 Paulo Caotertae, alter p. 342 Ioh. Piſano dictus. Ex *Proluſionum* parte tertia 1674 ibidem impreſſa, huc facit proluſio vigeſima ſeptima ſiue *conſtantia Veneta* p. 1 & 30; ſiue *Veneta in reges & populos beneficentia*, p. 42. Ex ANTONINI MALAGONELLI Florentini *orationibus* Romae 1697 in 12 editis legenda ſunt prima de laudibus Innocentii X pontificis maximi p. 4, tertia cui titulus *Initia principatus Innocentii XI*, p. 58; & quinta de eligendo ſummo pontifice poſt obitum Clementis IX ad cardinales, p. 106. Antequam vero ad poëtas gradum promoueamus, commendandi quoque ſunt inſcriptionum & tabularum Mileſiarum auctores. Inter *Theſauri virorum illuſtrium elogia* mirifice nos iuuant elogium Vrbani VIII fol. 203; fama praefica in obitu Innocentii X, p. 206; elogium in obitum Caroli Emanuelis ducis Sabaudiae, p. 216; Iohan.

Iohan. Piſauri Venetorum ducis Mauſolaeum, p. 218; tandemque monumentum pilae inciſum, tertio ab Auguſta Taurinorum lapide, ob principis infortunium, p. 241. Exſtat quoque *Helenae Lucretiae Corneliae Biſcopiae* virginis doctiſſimae, Iohan. Bapt. ſenatoris Veneti & D. Marci procuratoris filiae, *elogium Innocentii XI*, quod inter opera eius, a Benedicto Bacchino monacho Caſinate Parmae 1688 in 8 edita, p. 113 comparet. Ex Mileſiarum ſcriptoribus, qui fictis nominibus veram hiſtoriam adumbrarunt, vix vllus praeſtantior IANO NICIO ERYTHRAEO, cuius *Eudemia*, primum 1637 Lugduni Batauorum libris octo edita, deinde duobus auctior 1645 Amſtelodami recuſa, nihil aliud eſt, quam ingenioſiſſima in aulam romanam ſatyra, quae ſane maiori adhuc voluptate legeretur, ſi clauis proſtaret, quam ſe editurum promiſerat *Angelus Aproſius Vintimiglienſis*, Auguſtianae familiae monachus in Bibliotheca italica (*La Bibliotheca Aproſiana*) quam ſub nomine *Cornelii Aſpaſii Antiuigilmi*, Bononiae 1673 in 12 in lucem emiſit. Sed adhuc tale quid non conſpeximns, igitur quid ipſi obſeruauerimus, proponere libet, quamuis alibi iam tale quid a nobis peractum fuit. Vtimur autem in prioribus octo libris editione priore, ad cuius marginem, quicquid Eudemiae huius lucem affundere videbatur, alleuimus. Ante omnia

autem monebimus per *Eudemiam* ipſam aulam deſignari romanam, & per *dynaſtas* patres purpuratos, quos ſubinde ſatis ſalſe tangit, & hiſtoriolas narrat ipſorum famae non admodum conducibiles; vnde etiam malam ab Romanis gratiam iniit, quod ex epiſtolis ad Tyrrhenum ſupra laudatis abunde patet. Ambitum certe cardinalitium & quibus artibus ad illum honorem graſſentur, libro primo p. 21 lepide exponit: qui p. 34 occurrit *agnoſtes*, Vincentius eſt Gramigna, de quo ipſe Nicius Pinacotheca priori c. 44 p. 79 inſpiciatur. Qui p. 80 laudatur *vir nobilis academiae conditor*, Mancinus eſt, conuentus romani ſ. ſocietatis litterariae romanae, quae ab *humore* nomen traxit, (Humoriſtarum,) auctor *Bellinus*, qui p. 85 deſignatur, eſt Paſtoris Fidi notiſſimus auctor Guarinus; p. 86 *Thalaſſius* eſt Iohannes Baptiſta Marinus, inter poëtas Italos ſub initium huius ſeculi admodum celebratus: p. 86 *Salvius Tifernas*, Caſpar eſt Saluianus, de quo Pinacotheca prima vide c. 14: p. 89 per *Hieronymum Voluſium* forte deſignatur Hieronymus Aleander vir doctiſſimus, cui Eudemiam inſcripſit Nicius: p. 90 *Cluſius Accipiter* Henricus eſt Falconius, Pinacotheca priore c. 29 laudatus; p. 91 *Fabullus Leonatus* Vadius eſt Leonida, Pinacotheca prima c. 26 memoratus; p. 97 per *Sextilium Ligurem* deſignatur Auguſtinus Maſcardus Genuenſis, ſcriptor latino

latino & hetruſco eloquio nobilitatus; p. 98 per *Ianum Thorium* forte intelligendus venit Caſtellinius Pinacotheca prima c. 27 commendatus; p. 99 *Quaeſitor Eugameus* non alius eſt quam Antonius Quaerengus, qui Pataui ſumma cum laude floruit; p. 100 *adoleſcens nobilis Tyrrhenus* Fabius eſt Chiſius poſtea Alexander VII pontifex romanus. Quod epiſtolae a Nicio ad ipſum ſcriptae, de quibus ſupra diximus, abunde teſtantur; p. 103 *Micrus a Piſauro* Paulius eſt, Pinacotheca prima c. 30 dictus: libro quarto p. 112 per *Pultiphagos* aut Heluetios aut Germanos noſtros deſignant; p. 114 per *virgines veſtales* monachae romanenſes denotantur; p. 130 *Theridates* Ludouicus eſt XIII, rex Galliarum; p. 143-144 haud dubie Ciampolum veterum contemptorem ſuique nimium admiratorem tangit: libro quinto p. 153 *poliarchi* ſunt ſenatores romani, longe a veteribus diſtantes, & quos hodie *conſeruatores* vocant, quorum ſunt tres; p. 193 *Nicius Ruffus* eſt ipſe auctor huius fabulae Mileſiae; libro ſexto p. 216 *Geryonis* regnum eſt Hiſpania; pag. 218 per *Aſpim* anagrammatice deſignat Piſam, notiſſimam Hetruriae ciuitatem; p. 219 *Veſtales*, quae, qua lubet, incedunt, nec communium parietum ſeptis incluſae ſeorſim a reliqua turba vitam agunt, ſunt vel virgines religioſae, quae a B. Vrſula nomen trahunt, vel illae, quas apud latinos

Beguinas appellant: libro ſeptimo p. 234 *Teras* eſt Pater Richardus Nicolaus, ob portentoſam capitis magnitudinem *Monſtrum* dictus, Dominicani ordinis monachus & palatii pontificii magiſter*. (Agit de hoc *Patre Monſtro* Nicius Pinacotheca I c. 27 p. 137:) *Fuſcus* eſt Antonius Brunus poëta Italus non de vulgo: Ibidem *Puſillus Caeſar* eſt Virgilius Caeſarinus, nobiliſſima familia romana ortus, qui ante diem ipſo aetatis flore obiit, noſtro Pinacotheca I c. 13 laudatus maxime: p. 254 *is, qui* volumen de illuſtribus aeui huius ſcriptoribus edidiſſe dicitur, Leo eſt Allatius: (inſpic. epiſtol. noſtri ad diuerſos tom. I lib. 5 epiſtol. II p. 219, vnde huic loco lux affulget): p. 260 *rex Alectryo* eſt Gallus: p. 260 *Diana Daphnitis* virgo Lauretana: p. 268 *Vrſatus antiſtes* Vrſinus eſt: p. 270 per *philoſophos*, qui Mineruae cultui voti ſe religione obſtringunt, non alios quam S. I. ſocios intelligit. In ſequentibus libris vtimur editione poſteriore: ibi libro nono *Pterotius* eſt Allatius: p. 169 *Icoſippus* eſt ipſe Nicius: p. 170 *Ariſtides*, Vbaldinus: p. 172 *rex Nicephorus* Guſtauus Adolphus: p. 173 *Praetor* eſt dux Oſſunae praetor neapolitanus: p. 178 *templum Palladis Pſychiae*, eſt templum Germanorum D. Virginis Romae, quod ab anima nomen trahit: p. 192 *Cumanus*

* Quae dignitas Dominicanis familiaris eſt, penes quam eſt cenſura librorum.

Cumanus ſacrorum rex, eſt Vrbanus VIII pontifex romanus: ibidem *Mellitus* non alius eſt, quam Franciſcus cardinalis Barberinus, ab apibus, quas in teſſeris gentilitiis praeferebat, ita dictus: libro decimo p. 232 *Geryon* eſt Carolus V imperator; p. 239 *Crepitaculum Philoſophus* eſt Thomas Campanella, notus Dominicani ordinis monachus, ob multa paradoxa; & *alter* qui ibidem deſcribitur mathematicis diſciplinis ad miraculum excultus, *Scheinerus* eſt Ieſuita, cui inuentionem tubi optici tribunut. Et haec quidem nobis adhuc eruere licuit, plura forte & meliora dabunt alii. Sequuntur iam *poëtae*, quos inter occurrit TARQVINIVS GALLVCIVS, in cuius carminum libro tertio p. 440-460 elogia invenies principum familiae Gonzagae, qui Mantuae regnarunt: ibidem p. 463 elegans eſt epigramma ad Tiberim idibus nouembris 1614 eluuionem commemorantem. ALEXANDER DONATVS Siluarum l. 2, quem in Parnaſſo patrum ſocietatis alibi a nobis laudato inuenias: ſiluarum libro 2 p. 139 celebrauit Vrbani VIII pontificis romani Lateranenſem baſilicam adeuntis triumphalem pompam: p. 146 celebrauit ſacras ſtationes vrbis: p. 148 ſacellum Exquilinum Virgini maximae a Paulo V erectum dicatumque: p. 182 hortos Quirinales pontificios: p. 180 templum St. Petri in Vaticano. Eiusdem Vrbani res geſtas cecinit

integro volumine *ſiluarum Vrbinianarum* STEPHANVS SIMONINVS; prodiit Antuerpiae typis elegantiſſimis 1637 in 4. BIDERMANNVS libro tertio Heroum epiſtola ſeptima p. m. 99 fingit Conſtantinum M. e coelo epiſtolam ſcribere ad romanum papam Vrbanum VIII de vrbe ab ipſo exornata. Idem ſiluularum ſiue hendecaſyllaborum, Lucernae 1654 impreſſorum, deſcribit Tuſculanum libro primo p. 5: libro primo p. 19 Campanum ſiue Veſuuium 1631 flagrantem, quod carmen lectu digniſſimum eſt: & p. 35 aedem Lauretanam. AVGVSTINVS MASCARDVS, cuius paullo ante meminimus, ſiluarum libro 1 c. 3 Irenen habet, ſiue carmen de pace Italiae conſtituta, p. 55; Aliud leges ad cardinalem Capponium de Italiae tumultibus: libro tertio p. 135 deplorat obitum Caeſaris Eſtenſis (Ateſtini) principis infantuli, & ſolatur Iſabellam Sabaudam matrem: ſiluarum libro tertio p. 135 eiusdem eſt epinicion ad Alfonſum principem Caeſaris patrem deuictis hoſtibus: & tandem in funere Bibianae Gonzagae Caſtellionis principis, quod carmen vocat amoris exequias, libro tertio p. 138. In poëſi VINCENTII GVINISII legitur idyllium, quo Vaticani templi porta ab Vrbano VIII in publica dedicatione ſecularis anni 1625 populorum ingreſſui patefacta celebratur. Idem p. 188 ode Saphica extollit virtutes Vrbani VIII; ode tertia carmine

carmine Alcaico commendat ſanctimoniam eiusdem; ode quarta ſapientiam; ode quinta eloquentiam; ode ſexta prudentiam; ode ſeptima cantu Naiadum allegorico Franciſci cardinalis Barberini virtutes praedicante, quod etiam fit ode octaua, nona & decima; ode vndecima vaticinium texit de templo, quod cardinalis Ludouiſius Romae Ignatio Loiolae fundauit; pag. 144 varia leguntur epigrammata de Gregorio XV & cardinale Ludouiſio; p. 248-251 Paulus V aliquot epigrammatibus honeſtatur; p. 251 inuenies epigramma de corde Alexandri cardinalis Vrſini, apud cineres Roberti cardinalis Bellarmini, quo etiam pertinent duo ſequentia epigrammata; p. 254 varia leguntur epigrammata in Caeſarinos. Vrbanum VIII non ſemel in lyricis ſuis commendat SARBIEVIVS; inſp. lib. 1 oda 1, 3, 5, 10, 11 & 12; lib. 3 oda 1, 3, 11, 14, 15, 17, 18 eiusdem Franciſci & Vrbani ſimul laudes canit: in epigrammatum libro p. 189 Franciſci cardinalis Barberini eloquentiam ſacramque poëſin commendat. GILBERTVS IONINVS lyricorum libro 1 ode 1 Vrbanum VIII celebrat. Adde oden decimam eiusdem libri; libro 2 ode 1 & 2 Franciſcum & Antonium cardinales Barberinos attollit; libro 3 ode 1 & 2 cardinalis Ludouiſii laudibus impenditur; adde oden vigeſimam; ode 23 eiusdem libri iterum ad Vrbanum VIII directa eſt: in epodon

libro, tertia oda Ludouico cardinali Ludouiſio dedita. IOHAN. BAPT. MVSCVLI integer liber decimus quintus lyricorum Iſabellae Feltriae Roboreae Biſinianenſium principis, ſororis Vrbinatium ducis, virtutibus commendandis deſtinatur; adde, quod ode I libri I Vrbanum VIII, ode quarta Baronium Caeſarem, ode quinta Bellarminum laudibus ad coelum ferat. In PHILOMATHI ſiue ALEXANDRI VII pontificis romani *Muſis iuuenilibus* exſtat ode in honorem Vrbani VIII, cum pontifex crearetur, ſcripta, p. 22: ibidem p. 31 deſcribitur peſtilentia, quae Italiam 1630 depopulata eſt: p. 57 obitum Mariae Medicaeae Mantuae ducis, Senarum gubernatricis, deflet: p. 66 (ſ. 70 potius) Franciſco Cennino cardinali, cum nuncius apoſtolicus in Hiſpania purpura ornaretur, eandem gratulatur: p. 111 trituram in Hetruria vſitatam deſcribit, eaque vtitur ad mores inſtruendos: & tandem p. 113 de Genuenſium republica poſt fugatos hoſtes ſeruata, Iohanni Iacobo Lomerino gratulatur. NICOLAVS HEINSIVS, cuius poëmata Amſtelodami 1666 in 8 excuſa ſunt, libro I eleg. 4 Penſilypum prope Neapolin depingit: libro I elegia 8 iter ſuum Neapoli Liburnum deſcribit: lib. I eleg. 10 Venetias celebrat: lib. 2 eleg. 2 magni Etruriae principis Coſmi Medicaei natali decimo venuſtiſſimum carmen conſecrat: & eiusdem libri elegia 5 ſereniſſimum principem Leopol-

Leopoldum Medicaeum laudat. FERDINANDVS LIBER BARO FÜRSTENBERGIVS epiſcopus Paderbornenſis & Monaſterienſis, in poëmatibus nitidiſſimis, Amſtelodami 1671 impreſſis in 8, p. 4 ad Alexandrum VII elegiam mire cultam dirigit: idem p. 14 admiranda vrbis opera ac laudes Fabii Chiſii, tum cardinalis, poſtea, vt notum eſt, ſub hoc Alexandri VII nomine pontificis, profert: eiusdem generis elegia eſt p. 24 ad Philomathum ſcripta: p. 10 iterum Alexandrum VII villam Barberinam animi cauſſa inuiſentem deſcribit: eidem p. 43 tertium pontificatus annum auſpicanti gratulatur: adde quae p. 44 exſtant, & quae p. 46, 47 & 48 occurrunt: ibidem exſtat euchariſticon ſiue gratiarum actio ad Clementem IX: p. 54 fons Pamphilius, Innocentii X opus admirabile, extollitur: p. 59 ſeq. Fabii Chiſii natalis hendecaſyllabis celebratur: idem agit p. 72 & 73: p. 76 Clementi X pontificatum gratulatur: p. 81 Alexandro VII calendis ianuariis 1666 felicitatem precatur: p. 82 inuenies odam ad eundem cum Monaſterii Weſtphalorum Innocentii X nuncium & pacis inter principes orbis chriſtiani conciliandae arbitrum agitet. Inter *adoptiua carmina*, quae Fürſtenbergianis acceſſerunt, lib. I habes Alexandri Pollini Florentini carmen heroicum de Alexandro VII, pontifice romano renunciato: ibidem p. 163 exſtat Franciſci Macedonis

ſilua de Alexandri VII effigie, in academia romana ſolenni ritu propoſita ac conſecrata. Eiusdem argumenti eſt Guilielmi Heſii elegia, cum a Fürſtenbergio Alexandri VII effigiem accepiſſet. Et Maſenii elegia p. 206 de erectis Alexandro columnis. Adde p. 238 Iohannis Wiſſii carmen de morte Alexandri VII. PROSPER CAPELLA Auerſanus Ieſuita, in Odarum libris ſex, Neapoli 1682 in 12 editis, lib. 1 oda ſexta vitem Veſuuianam laudat; lib. 2 oden ſecundam & quartam, vt & ſextam & octauam peſtilentiae neapolitanae impendit: confer 13 lib. 4. IACOBVS LVBRANVS S. I. feſtiuus epigrammatum ſcriptor, quae Neapoli 1690 in 8 prodierunt, lib. 3 epigrammate 37 Meſſanam vrbem a factioſis turbatam tangit; 46 & 47 laudibus Caracciolae dedicat; lib. 4 epigrammate 78-82 laudes Caſparis Haroſii, pro-regis Neapolitani, enarrantur; epigrammate 90 exhibetur funebre encomium Helenae Lucretiae Corneliae Piſcopiae ſupra laudatae; lib. 6 epigrammate 50 biſextilem annum 1608 Neapoli fatalem ob terrae-motum queritur, epigrammatibus 65-68 libri 7 miracula a Philippo (vt ipſe vult) Nerio cardinali Vrſino in terrae-motu Beneuentano praeſtita celebrat; epigrammatibus 69-71 Fortunato Caraffae cardinali nouos honores gratulatur; 72, 73 raros in terrae-motu neapolitano caſus recenſet;

lib. 8

lib. 8 epigrammate 13 habes epitaphium Aloyſii Putericii, ex primaria Neapolitanorum nobilitate imperatoris hiſpanicarum copiarum celeberrimi; libri 9 epigramma 10 eſt epitaphium Iacobi Capycii Galeotae in ſupremo Neapolitano ſenatu e latere regentis; libri eiusdem epigramma 87 deſtinatur Antonio Pignatello antiſtiti tunc Neapolitano Innocentio XI P. M.; eiusdem libri epigramma 99 dirigitur ad Sabaudiae ducem, & monet is, vt Gallorum incurſiones ab Italia procul arceat. In NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII *piſcatoriis* & *nauticis*, Neapoli altera editione 1686 in 12 excuſis, ecloga 6 poëta Venetorum claſſi in orientem ex Italia ſoluenti, felicia omnia auſpicatur; ecloga vero 11 Meſſanam ab Hiſpanis receptam canit. Et huc pertinent eiusdem GIANNATTASII *Aeſtates* & *Autumni Surrentini*, oratione ſoluta & metris vincta conſcripti. In Aeſtatibus, 1696 Neapoli in 8 excuſis, lib. 1 c. 1 deſcribitur vniuerſa Amalphis & Surrenti ora, itemque Ieſuitarum rus Surrentinum; cap. 3 p. 21 orientalis Surrenti ora; cap. 8 p. 86 ſeq. totum incendium Veſuuianum anni 1696; lib. 2 c. 4 p. 133 ſeq. enarratur terrae-motus, qui regnum Neapolitanum 1694 concuſſit; & p. 149 alter, qui 1695 obortus eſt; c. 7 p. 168-170 exſtat carmen elegans de Campaniae Felicis laudibus. Idem in Autumnis 1698

euulgatis c. 2 p. 3-15 deſcribit Fanum Circaeum haud procul a Surrento; & c. 3 p. 24, 25 fodinam argenti ad Nicatem inuentam.

§. XVII.

Poteramus huic capiti de Italia, quod alioqui in nimiam longitudinem excreuiſſe videbatur, finem imponere, niſi libro cuidam, quem ad claſſes ſupra recenſitas nequaquam referre licuit, locum hic tribuendum eſſe cenſeremus: *Muſaeo* nempe *phyſico* PAVLI, ſiue, vt nunc, poſtquam religioſae Ciſtertienſium familiae nomen dedit, appellatur, SYLVII BOCONIS, in quo varia ad hiſtoriam italicam & ſiculam facientia exponuntur. Nempe obſeruat. 1, 2, 3 & 4 de horribili terraemotu ſiculo agit, qui 1693 florentiſſimam regni illius partem peſſundedit, multaque aliis indicta enarrat; obſeruatione 7 de terris Siciliae & vicinorum locorum ſigillatis ſiue Lemniis diſſerit; obſeruatione 8 Bezoar minerale ſiculum illuſtrat; obſeruat. 10 alias Siciliae terras Lemnias examinat; obſeruat. 14 & 15 multus eſt in Manna Calabrica; obſervat. 16 phalangium ſiue tarantulam Corſicae deſcribit; obſeruat. 17 tarantulas Apulas recenſet; 18 araneum venenatum Sardiniae illuminat; 20 de antidotis tarantulae agit; 21 morbum, quem Siculi *Spauento* ſiue timorem appellant, deſcribit; 28 apibus hyblaeis impen-

impendit; 29 picem Caſtrenſem conſiderat; 30 tumulos quosdam ſiculos, ipſi *Macalubos* vocant, expendit; 31 hiſtoriam naturalem ducatus Parmenſis exhibet; 32 Gloſſopetris Melitenſibus dedicatum; 36 de caſeis italicis agit; 39 narrat, quomodo alumen in locis Romae vicinis eruatur; 44 Biſtaciis ſiculis deſtinatur. Prodiit liber lectu digniſſimus Venetiis 1697.

CAPVT IX.

HVNGARIA CVM REGNIS ET PROVINCIIS VICINIS.

§. I.

HVngariam conſideraturi ei adiungemus Dalmatiam, Croatiam & Tranſyluaniae principatum, praeſertim cum is, nuper armis victricibus Leopoldi M clientelae turcicae ereptus, in ditione regum Hungariae ſit.

§. II.

Tabulas geographicas & topographicas ex more primo loco enarraturis occurrit *tabula accuratiſſima* CORONELLI Veneti, quam omnibus, quas adhuc vidi aut tractaui, optimo iure praeferendam cenſeo. Nec minorem laudem meretur IACOBI CANTELII *Tabula Hungariae*, Romae 1686 excuſa Vidi quoque duas tabulas, quarum altera inſulam *Schüttam*, altera *loca circa Caniſam* repraeſentabat, ſed cum minus accuratae ſint, vix operae pretium eſt, vt hic nominentur. *Dalmatiam* duabus tabulis elegantiſſime delineauit iam dictus *Coronelli*, qui etiam aliquot eius partes, *comitatum* nempe *Iaderanum* ſive *Carenſem*, *dominium reipublicae Raguſinae* ſiue *Epidaurenſis*, & fluuios *Drinum* ac *Boianam* luci publicae expoſuit. Quid quod *obſidionem Neuheuſelianam*, *Strigonienſemque 1685* tabula

tabula geographica curate delineauit, *Tranſyluaniaeque principatum* ſimili ſtudio exhibuit. Commendanda quoque venit eiuſdem *Coronelli tabula*, in qua *Danubius* a fontibus vſque ad oſtia deſcribitur. Samſonii & aliorum labores cap. I indicatos libenter omittimus, quia non ad hos accedunt.

§. III.

Hiſtoriam Hungariae lecturo proderunt praeter *Rempublicam Hungariae* inter Elzeuirianas 1634 impreſſam, ZEILERI *deſcriptio regni Hungariae*, Vlmae 1646 in 8 germanice. MARTINI SCHÖDELS *diſquiſitio hiſtorico-politica*, ductu Berneggeri, Argentorati 1628 in 4 publicata, quae iterum ſub titulo *Notitiae hungaricae*, cum notis non ineruditis *Iohan. Ferd. Behamb* 1676 edita fuit. PETRVS DE REVA edidit diſquiſitionem de *ſacrae coronae Hungariae ortu & virtute*, Auguſtae Vindelicorum 1614 in 4. CASIMIRVS FRESCHO edidit Bononiae 1684 in 12 ſermone italico *Ideam generalem regni Hungariae*, in qua etiam vltima bella noſtris temporibus geſta exponuntur. FRANCISCVS NADASTIVS, ſeu potius anonymus quidam ex ſocietate Ignatiana ſcriptor, ſub eius nomine edidit *Mauſoleum ducum & regum Hungariae* ſtilo lapidari, Noribergae 1664 in folio excuſum. IACOBI A MELLEN theologi & polyhiſtoris Lubecenſis habemus *Seriem regum Hungariae ex nummis*

aureis, Lubecae 1699 in 4. IOHANNIS NADASI *Florus hungaricus*, regni exordio vsque ad Leopoldum, excuſus eſt Amſtelodami 1663 in 12. Inprimis autem laudem meretur NICOLAVS ISTHVANFIVS, cuius *hiſtoriarum de rebus hungaricis libri 34* primum Coloniae in folio 1622, & dein ibidem ante paucos annos vna cum ephemeride obſidii Viennenſis prodierunt: ſed editio prior poſteriori mendis typographicis non paucis paſſim obſitae, longe eſt praeponenda. Huc videntur etiam pertinere *Hiſtoria chronologica Pannoniae* ad annum 1607 deducta a GOTHOFR. ARTHVSIO, Francofurti 1608 in 4. Itemque OTTONIS SPONEKAY *Hiſtoria rerum ab regibus hungaricis geſtarum*, Viennae 4 anno 1685. Et ORTELII *Chronicon hungaricum* ab anno 1300-1665 continuatum, Noribergae 1666 in folio. His inſtructus non tantum hiſtoriam vniuerſalem Hungariae, ſed etiam res ſeculo noſtro geſtas aliqua ex parte cognoſcet. Addendi tamen ſunt illi praecipue ſcriptores, qui duo vltima bella, quae Leopoldus M. 1663-1664 itemque ab anno 1683-1697 feliciſſime geſſit, perſecuti ſunt. Et prius quidem deſcripſere MAVRITIVS NITRI abbas Moireſius in *commentario de bellis Tranſyluaniae & Hungariae*, ab anno 1657 incipientibus, & in 1664 deſinentibus: Conſtant libris quatuor & prodierunt 1668 in 4 Venetiis ſermone hetruſco,

poſteaque

poſteaque & anonymo in ſermonem gallicum translati: NICOLAI BEREGANI Hiſtoria (*Hiſtoria delle guerre d'Europa dalla Comparſa dell'Armi Ottomane nell Hungheria l'anno 1683*) duabus partibus Venetiis 1698 in 4. BETHLENII *res tranſyluanicae* latine 12 non addito loci nomine 1664 publicatae, qui liber eſt magni faciendus, cum a viro illuſtri, quique rebus gerendis vtplurimum interfuit, compoſitus eſt: Noribergae prodiit quoque germanice 1668 in 12. Addatur LVDOVICI MAII diſſertatio gallica, hiſtorica & politica, de *cauſſis huius belli hungarici*, Lugduni Gallorum 1665. Poſterius bellum illuſtrabunt IOHAN. ANTON. PANCERVS, Carmelita Mediolanenſis in *bello contra Turcas in Hungaria geſto* 1687 in 12 italice. *Auctor anonymus Motuum hungaricorum*, qui tribus partibus 1687 Amſtelodami in 12 prodierunt. NICOL. OLIVERIVS & FVLLANA in *Anacephalaeoſi hiſtorica regum, bellorum, tumultuum & ſeditionum Hungar.* Bruxellis 1687 in 4 hiſpanice. *Auctor anonymus Italus Hungariae vindicatae*, Mediolani italice in 12. *Auctor anonymus vitae Teckelii* gallice ſcriptae libris quatuor conſtantis, deſinit anno 1691, & prodiit Coloniae 1693 in 12. *Alius anonymus Italus Hiſtoriam bellorum a foederatis contra Turcas geſtorum* Venetiis 1687 in 4 italice in lucem emiſit.

§. IV.

Acta priusquam aggrediamur, trium quoque librorum ad iuris hungarici cognitionem multum facientium mentio eſt iniicienda, nempe *operis tripartiti decretorum & conſtitutionum regum Hungariae*, Viennae 1628 in folio latine. IOHANNIS KITONICH DE KOZTANICZA regni Hungariae fiſcalis (ſiue cauſſarum regalis patroni) *Directio methodica proceſſus iudiciarii iuris conſuetudinarii incluti regni Hungariae*, quae Leutſchouiae 1650 latine & hungarice in 4 publicata fuit: *articulique vniuerſorum ſtatuum & ordinum incluti regni Hungariae*, ac partium ſibi annexarum, in generalibus eorundem conuentibus ab anno 1608-1659 incluſiue editi, adiunctis ad initium pacificatione Viennenſi & tractatu Situatowkienſi ſiue conditionibus pacis inter Turcas & Chriſtianos 1606 ſancitis. Acceſſit ſub finem *Cynoſura Iuriſtarum*, loca decretalia & articulos nouiſſimarum conſtitutionum regni Hungariae vſque ad annum 1659 incluſiue ſub titulis ordine alphabetico collectis breuiter repraeſentans. Titulus quidem praefert librum Bottendorffii excluſum fuiſſe, ſed typi oſtendunt Aureliam Allobrogum ſiue Geneuam locum impreſſionis.

§. V.

Ad acta pergentibus pauca profecto monenda fuerint, niſi caſu in mſctum incidiſſemus codicem

codicem, in quo varia repraeſentantur acta, quibus foedi tumultus, queis Hungaria 1604 & ſeq. exarſit, mirifice illuminantur: candide igitur, quid ibi contineatur, hic exhibebimus. Occurrit ſcilicet 1) edictum Rudolphi II 3 ianuarii 1604, in quo quaeſitores ſacrorum per Hungariam ſuperiorem (vnde omnis poſtea malorum origo) conſtituuntur; 2) narratio ſenatus Leutſchouienſis, quid cum his quaeſitoribus geſtum fuerit; 3) ciuium Leutſchouienſium libellus ſupplex ad quaeſitores; 4) oratiuncula ante ſolenne iuramentum Stephani Botskaii, & poſt illud dicenda, vt & eiusdem poſtulata Hungariae ſuperioris ordinibus propoſita, vna cum ordinum reſponſo; 5) reſponſum ab ordinibus Tranſyluanicis ad legationem regis Poloni Sigismundi III; 6) Rudolphi narratio germanica de motibus hungaricis; 7) excuſatio gentis hungaricae ad romani imperii principes, cur contra Germanos arma ceperit; 8) Blaſii Lippai & Blaſii Nemeth epiſtola ad Keismarienſes; 9) alia eorundem epiſtola ad Sebaſtianum Tekeolum; 10) Erici Laſſota a Stebla relatio, (ſed quod dolendum, imperfecta,) de Caſſouia rebellibus dedita; 11) Georgii Baſtae epiſtola ad proceres hungaricos; 12) Rudolphi II narratio, quid anno 1605 cum Turcis & rebellibus Hungaris actum fuerit; 13) querelae, excuſationes & proteſtationes regni Hungariae, praeſertim partium ſuperiorum, coram

DEO & toto orbe chriſtiano, latino ſermone; 14) inſtructio legatorum polonicorum ad Botscaium miſſorum; 15) ducum Botscaii epiſtola ad ordines Sileſiae, latine; 16) ſumma legationis Botskaianae ad Poloniae regem; 17) Geitzkofleri conſilium germanicum de ſopiendis motibus hungaricis; 18) Melch. Cleſelii conſilium eiusdem argumenti; 19) Botskaii epiſtola ad ordines Sileſiae; 20) Legatorum Botskaii narratio de pace, quid in eius conuentu cum legatis Caeſaris actum fuerit; 21) Botskaii poſtulatum & legatorum Caeſaris reſponſio; 22) ducum Botskaii epiſtola ad ordines bohemicos; 23) ordinum hungaricorum reſponſiones ad propoſitiones Matthiae archiducis Auſtriae; 24) Iohannis Deſeoffii, quem Botskaius ad archiducem miſerat, libellus ſupplex, archiduci oblatus; 25) acris in Belgioioſam inuectiua germanica, in qua oſtenditur, ab ipſo motuum hungaricorum cauſſas deriuandas; 26) ordinum Hungariae alia reſponſio ad propoſitiones Matthiae; 27) Botskaii edictum, quo Hungaros ad comitia Casſouiae die 16 apr. 1606 celebranda inuitat; 28) epiſtola ordinum Sileſiae ad Matthiam archiducem, qua ſignificant, ſe legatos in Hungariam pacis componendae gratia miſſuros; 29) legatorum Sileſiae inſtructio; 30) apographum transactionis inter archiduces Auſtriae Matthiam, Maximilianum, Ferdinandum,

&

& Maximilianum Erneſtum fratres & patrueles Viennae 25 aprilis 1606 initae; 31) epiſtola ordinum Sileſiae ad ordines Hungariae, qua eos monent, ſe legatos in Hungariam miſſuros; 32) Caeſaris Galli cum purpurato Budenſi colloquium arcanum de pace ſancienda; 33) Botscaii litterae ad Matthiam archiducem; 34) turcicorum legatorum epiſtola ad Botscaii legatos; 35) Rudolphi II apologia, quod pacem cum Turcis inierit; 36) legatorum Bohemicorum, Sileſiorum & Morauorum libellus ſupplex ad Matthiam; 37) articuli, qui a Botscaio ante & poſt pacem a Turcis initam expediendi erunt; 38) litterae Caeſareae ad Turcarum imperatorem, de pace cum illo facta, datae die 10 auguſti 1681; 39) octo centurionum, qui Heidonibus praeerant, ad Homonaeum comitem litterae, 3 nouembris 1607 ſcriptae; 40) relatio exploratorum ad Heidones miſſorum; 41) archiepiſcopi Strigonienſis epiſtola ad Seyfridum Breunerium. Et haec quidem in illo volumine mſcto continentur. Ceterum & alii paſſim libelli proſtant ad Hungariam pertinentes: ELIAE BERGERI puta *Connubium Hungariae & Bohemiae*, in rege Matthia II, coronato 1611 ſancitum. *Syndromus rerum hungarico-turcicarum* e diverſis ſcriptoribus, Francofurti 1627. Ad bella & motus nuperos faciunt *Turcarum artes & arma*, quibus Tranſyluaniam ſubegere, ſine

die & conſule. *Diſſertatio* germanica de *Malleo Ottomannico*, quo non tantum Hungariam ſed integrum orbem chriſtianum concuſſerunt. *Ludus Conorum in Hungaria*, Croatia & Styria celebratus. *Paſſio*, vt titulo ſane impio & profano audit, *Seriniana* 1670. *Querela regni Hungariae* 1670 latine. *Diarium obſidionis Viennenſis Iohan. Petri a Voelckeren* latine in 4: vt varia germanica & italica in folio omittam. *Diarium obſidionis Budenſis prioris* 1684 in 4. *Diarium obſidionis Budenſis poſterioris* 1687 in 8. *Diarium expeditionis anni 1687* germanice in 4. Nec omittenda ſunt *acta comitialia hungarica Sopronienſia* 1681 in 4 ſiue articuli ſtatuum & ordinum regni Hungariae, in generali eorum conuentu Sopronii celebrati, & ab imperatore confirmati 1681 in 4.

§. VI.

Ex oratoribus & poëtis duos tantum nunc inuenio, quos operae pretium erit indicare, nempe IOHANNIS BAPTISTAE DE PVTEO canonici regularis Lateranenſis, & in Ticinenſi academia regii graece & latinae eloquentiae profeſſoris, *Plauſum*, Carolo V Lotharingiae duci ob Budam expugnatam, Mediolani 1687 in 8 latine. Et LEONHARDI BONETTI *Radium & Fulmen Caeſaris* Viennae propugnata, Buda capta, Venetiis fol. 1687.

§. VII.

Inter varios de rebus hungaricis agentes

refero

refero MARCI DELLA FRATTA Montalbani marchionis commentarium *de aquis mineralibus regni Hungariae*, cui comitis loco adiungo, qui inter hiſtoricos ſupra referendi fuerant, faſtos regni Hungariae germanicos, Lipſiae 1698 in 8 excuſos.

§. VIII.

Ad *Dalmatiam* pertinent IOHAN. LVCII elegantes libri de *regno Croatiae & Dalmatiae*, Amſtelodami 1666 latine ſcripti in folio, qui tamen magis hiſtoriam antiquam quam novam illuſtrant; IACOBI LVCARIS *annales Raguſae*, Venetiis 1605 italice; & CASIMIRI FRESCHOTI *memoriae Dalmaticae*, Bononiae 1687 in 12. Et GEORGII RATTKAY *Memoria regum & baronum regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae*, Viennae 1653 in folio. Quibus coronidis loco accedat *hiſtoria motuum Moldauicorum* (nam & haec provincia olim regum Hungariae maieſtatem comiter coluit) IOHAN. BARETI, Pariſiis 1620 in 8 gallice.

CAPVT X.

POLONIA.

§. I.

Regni Poloniae choro-& topographiam exponunt SIMON STAROVOLSCIVS, in *Polonia*, paruo quidem, ſed vtili admodum libello, quem *Hermannus Conringius* tanti fecit, vt eleganti praefatione ornatum Helmſtadii 1656 (vel potius Wolfferbyti) in 4 recudi fecerit. ANDREAS CELLARIVS in *deſcriptione regni Poloniae*, Amſtelodami 1659 in 12 figuris aeneis latine editis. Quibus addi poteſt *tabula* ſatis curata ceterisque omnibus melior, quae ante biennium Noribergae in folio prodiit: nam reliquae, ſi Samſonianas exceperis, mutilae paſſim ſunt minusque emendatae.

§. II.

Notitiam reipublicae Polonae pleniorem ſuppeditabunt praeter *Poloniam Elzeuirianam* temporibus noſtris minus quadrantem, NICOLAVS CHWALCKOVIVS, condiſcipulus olim noſter in ſchola Wſchowenſi, ſiue, vt Germani adpellant, Frauſtadienſi, in *regni Poloniae iure publico*, Regiomonti altera editione auctius exhibito, 1684, cui libro praemiſſa eſt *ſylloge ſcriptorum de rebus polonicis*, qua non ſemel in hac noſtra recenſione vtemur. Oppoſita quidem

quidem ei fuit *anonymi diſſertatio*, nobis nec dum viſa, aſt in actis eruditorum Lipſienſium memorata, quae tamen potius Chwalckouium illuſtrat, quam refellit. Coniungendus eſt cum illo HARTKNOCHIVS, profeſſor Thorunienſis, qui *libris duobus de republica polonica*, quibus acceſſere *diſſertationes duae hiſtoricae*, altera de *republica Curonica*, *de Originibus Pomeranicis* altera, Poloniam egregie illuſtravit: poſſideo horum librorum editionem alteram prima longe auctiorem, quae Francofurti & Lipſiae 1687 in 8 prodiit; ſed ante hoc triennium, & quod excedit, tertia quoque lucem adſpexit, cui tamen, vt credo, nihil acceſſit, cum auctor ante hos decem, aut quod excedit, annos diem ſuum obierit. ANDREAE DE PILCKA CORYCINII, caſtellani Viſlicenſis (nam in Polonia noſtra multos illuſtres exhibebimus viros,) *Perſpectiua politica*, poſt fata ſcriptoris Dantiſci 1652 edita in 4; optimo iure elogium Chwalckouii meretur: *Quot verba, tot pondera, & quot lineae, tot ſententiae.* Edidit quoque IOHAN. THEODORVS SPRENGERVS *Poloniam nov-antiquam* 1660 in 12 latine; ſed non accedit ad iam dictos. Gallice proſtat *diſſertatio de regimine Poloniae* Pariſiis 1670, & alia 1687 publicata, quam ſub nomine *Hauteuillii* conſcripſit, vt ex Mercurio hiſtorico & politico menſis iunii 1697 art. 3 § 9 p. 632 conſtat, CASPAR DE TENDE,

qui anno 1697 anno aetatis 79 obiit, quae ipſa notitia hiſtorica in germanicum quoque ſermonem traducta. Referas huc quoque AVGVSTINI GVDICANI *Poloniam*, Coloniae 1658 in 12, quamuis non admodum magni ſit momenti. Ceterum omnino ad notitiam Poloniae faciet quoque, qui nuperrime in manus meas incidit, hoc ipſo anno ſeculari editus STANISLAI LVBOMIRSKII, regni Poloniae ſupremi mareſchalli, liber de *vanitate conſiliorum*, qui liber admodum acerbus in regem, & in illo, vt titulus habet, vanitas & veritas rerum humanarum, politicis & moralibus rationibus clare demonſtratur, & dialogice exhibetur, ſimulque notitia Poloniae non vno in loco ſatis aperte traditur. Libellus iſte conſtat conſultationibus viginti quinque, quorum indicem, cum in pauciſſimorum manibus ſit, hic proponemus: Conſultatio I) agit de conſilio & conſiliariis; II) de ferendis legibus & ſtatutis; III) de diſcordiis ciuilibus & vnione animorum; IV) de foederibus & colligationibus; V) de legatis & legationibus; VI) de titulis dandis & negotio cancellariae; VII) de promotionibus & diſtributione vacantiarum; VIII) de feudis dandis & inueſtituris; IX) de modo excuſandi ſe ab importunis poſtulatis; X) de non omittendis occaſionibus rerum; XI) de tempore indicendorum comitiorum regni; XII) de congreſſibus parti-

particularibus prouinciarum, vulgo *comitiolis*, aſſignandis, & ordine illorum; XIII) de comitiis ordinum generalibus; XIV) de conſilio poſt-comitiali; XV) de commiſſionibus inſtituendis; XVI) de contributionibus exigendis; XVII) de aerario & eius ordinatione; XIIX) de cauſſis & praeparamentis ad bellum; XIX) de formando exercitu; XX) de fortificatione locorum; XXI) de inchoatione belli offenſiui, & diuerſis caſibus bellandi, conſiliisque bellicis; XXII) de cauſſis pacis & tractatu eiusdem; XXIII) de acceptanda mediatione pacis & circumſtantiis in ea neceſſariis; XXIV) de tractatu pacis & concluſione vtili & proficua; XXV) de ſtatus regimine tempore pacis, & ordinatione rerum neceſſariarum. Ciuis quoque noſter IOHANNES SAXO Frauſtadienſis, quem pueri olim cognouimus, cum Helmſtadii auditorem Conringii ageret, & vir ille celeberrimus, quod Suecis faueret Polonis infenſior, inter alia ſatis acerbe diceret: *Scopum reipublicae polonicae eſſe luxum:* ipſe patriae honorem vindicaturus, de *ſcopo reipublicae polonicae* ſub nomine FRANCISCI MARINI diſſertationem ſcripſit perquam eruditam, hic Vratislauiae anno 1665 publicatam, ſed mox prohibitam, quod erga ſereniſſimam Auſtriacorum familiam intemperantius ſe geſſiſſet. Ceterum Conringius ne tacuiſſe videretur, oppoſuit quidem aliquid, ſed profecto

non viſus eſt rem acu tetigiſſe, Marinique liber ab omnibus cordatis in pretio habetur. Iam antea quoque Poloniam contra Barclaium in Icone animorum, multo eam ſale imo felle perfricantem, defenderat LVCAS OPALENIVS, vir illuſtris, cuius *Polonia defenſa* 1648 prodiit Dantiſci in 4. Paene oblitus fueram Hiſtoriam Poloniae Bernardi Connor, doctoris medici ex ſocietate regia anglicana, ſiue eiusdem epiſtolas anglico ſermone exaratas, in quibus ſtatus iſtius regni, geographice, hiſtorice, politice, phyſice & theologice exponitur Londini 1699 in 8; conuerſus deinde fuit in germanicum idioma, & Lipſiae an. 1700 in 8 typis exſcriptus.

§. III.

Ius polonicum edocebunt IOHAN. IANVSZOWSKY in *ſtatutis regni Poloniae*, 1600 Cracouiae latine & polonice in folio. IOHAN. NIXDORF in *compendio proceſſus iudiciarii regni Poloniae terrarumque Pruſſiae regalis*, Dantiſci 1655 in 12. IACOBVS IANIDLOVIVS in *Proceſſu iudiciario ad praxin fori ſpiritualis regni Poloniae* conſcripto & iterum recognito Cracouiae 1619 in 4. PETRVS MIESZKOWSKI canonicus Poſnanienſis, in *Polono iure polito*, Caliſii 1637 in 4. THEODORVS ZAWACKI eques Polonus, in *Memoriali proceſſus judicarii & floſculorum legum ſiue ſtatutorum*, *atque conſtitutionum regni*

Poloniae,

Poloniae, cui accedunt *Floſculi practici*, Cracoviae 1619 in 12. IOHAN. HENR. DAVBER, quem Chwalkouius laudat, in *Manuali fundamentorum iuris ciuilis ac polonici.* THOMAS DRESNERVS in *Collatione iuris polonici & romani, inſtitutionibus iuris polonici*, & *centuria legum polonicarum & gallicarum*, itidem a Chwalkouio laudatus. ANDREAS LIPSCIVS epiſcopus Luceorienſis Procancellarius regni, in *obſeruationibus iuris.* ALBERTVS MADALINSKY in *Inuentario conſtitutionum*, Warſchauiae 1631 in folio. PAVLVS SCZERBITIVS in *promptuario ſtatutorum omnium & conſtitutionum regni Poloniae*, 1604 Brunsbergae THEOD. ZAWACKI antea nominatus in *Compendio conſtitutionum* 1613 polonice in folio. Tandemque AVGVSTINVS KODLVCKY in *Promtuario legum & conſtitutionum regni polonici & magni ducatus Lithuaniae*, latine & polonice Poſnaniae fol. 1697. Pertinet huc quoque *Ius prouinciale ducatus Pruſſiae* (quae prouincia ante hos quadraginta, & quod excedit, annos ſub tutela regum Poloniae fuit, iam vero electori Brandenburgico vt ſupremo domino paret) publicatum a *Iohan. Sigismundo* electore Brandenburgico, Regiomonti fol. 1620 latine.

§. IV.

Genealogias polonicas opere ſpecioſo quidem, ſed ſi verum audimus, non vſque adeo

curato, *Orbe* ſcilicet *Polono* illuſtrauit SIMON OKOLSKY, Dominicanus monachus: Conſtat illud tribus tomis ordine alphabetico, quorum primus Cracouiae 1641, alter ibidem 1643, & tertius 1645 in folio prodierunt. Adiuuabunt etiam harum rerum curioſum STAROVOLSCII *Monumenta Sarmatarum*, Cracouiae 1655 in folio.

§. V.

Hiſtoriam polonicam vt omnem ita huius quoque ſeculi vſque ad exceſſum Michaelis & initia Iohannis III eleganter in compendium miſit vir, vt de litteris generatim, ita de hiſtoria polonica imprimis optime meritus IOACHIMVS PASTORIVS in *Floro polonico*, Gedani & Francofurti 1679 in 12 vltimum excuſo. Et *anonymus* Gallus *in Hiſtoria Poloniae & Lithuaniae, (Hiſtoire de Pologne & de Grand Duché de Lithuanie)* quae Amſtelodami 1698 in 12 prodiit. Res a Sigismundo III geſtas ſtilo ſignarunt REINHOLDVS HEIDENSTEINIVS *libris 12 rerum polonicarum*, ab exceſſu Sigismundi Auguſti vſque ad initia Sigismundi III Francofurti ad Moenum 1682 fol. qui ſcriptor neceſſe eſt, vt longe diuerſus ſit ab altero *Reinholdo Heidenſteinio*, qui res ſeculi XVI a Stephano Bathoreo in Liuonia contra Moſcos feliciter geſtas ſtilo longe elegantiore litteris mandauit. STANISLAI LVBIENSKII epiſcopi Plocenſis *operibus* Antuer-

Antuerpiae apud Iohan. Meurſium: 1643 in folio excuſis multa includuntur, quae hiſtoriam Sigismundi III mirifice illuſtrant, nempe de motu ciuili in Polonia, qui anno 1606 coeptus, ad annum 1608 perdurauit, lib. 4 f. 122-153; cauſſae, cur Sigismundus bellum Moſcis intulerit, & imperatorem Matthiam miſſae, f. 153-155; diſſertatio de iure regni Poloniae ad Ruſſicas Moſcouiticasque ditiones f. 178-184; Stanislai Zollkierii epiſtola deliberatoria de bello turcico in latinum verſa, vbi magnus ille ſenex imminentem ſibi exitum haud obſcure praeſagit f. 185-187; epiſtola nomine Sigismundi III ad Gregorium XV ſcripta, narrationem continens belli turcici ad Chotimum geſti. Narratio de eodem bello, imperatori Ferdinando II facta f. 190; querela & diſſertatio de rerum polonicarum ſtatu ac militari confoederatione, quae 1622 accidit f. 193-202; reſponſio ad proteſtationem nobilitatis Palatinatuum Poſnanienſis & Caliſienſis, nomine archiepiſcopi Gneſnenſis fol. 202-213; errata Iulii Belli, Laureae Auſtriacae ſcriptoris f. 225-241; vita & obitus Matthiae de Paczenin Tſtrokolski, epiſcopi Vladislauienſis & regni ſupremi cancellarii; & tandem ſalutatio gratulatoria nomine capituli Warſauienſis, cum Sigismundus III capta Smolensko 1611 Warſauiam rediret, ac laudatio funebris Sigismundi III f. 465-487; vt &

alia oratio in funere eius dicta fol. 488-494. Illuſtrabunt quoque Sigismundi & ſucceſſoris Vladislai IV hiſtoriam PAVLVS PIASECIVS, epiſcopus Premislienſis, in *chronicis geſtorum in Europa ſingularium* ab anno 1571 inchoatis & in anno 1645 deſinentibus, primo Cracouiae 1645 in folio impreſſis, & deinde in Hollandia ſine die ac conſule recuſis; in qua editione naeui, qui, quod ad res gallicas & belgicas attinet, in Piaſecii hiſtoria irrepſerant, ad calcem operis adnotantur. Commendandus alioqui venit hic ſcriptor ob maſculam in ſcribendo libertatem, qua vt nemini, ita ne regibus quidem ſuis parcet. Porro ad hiſtoriam Sigismundi III faciunt STANISLAIVS KOBIERZYCKI in nitidiſſime ſcripta *hiſtoria Vladislai principis*, Dantiſci 1655 in 4 impreſſa, quam Conringius in ſcholis hiſtoricis mſctis Liuianum candorem & vbertatem exprimere, rectiſſime iudicat. Optandum modo foret, vt vir illuſtris eodem habitu Vladislaum nobis regem dediſſet. IACOBVS SOBIESCIVS, caſtellanus Cracouienſis, primus regni inter profanos proceres ſenator, & quod his titulis longe maius eſt, Iohannis III regis pater, ſtilo plane lacteo ac florente *Belli Chotimenſis cum Turca geſti*, cui pacando ipſe adhibitus fuit, *commentarios* libris tribus ſignauit: quod opus poſthumum Georgius Förſterus Dantiſci typis venuſtiſſimis & tanto

ſcriptore

ſcriptore digniſſimis 1646 in 4 publicauit. IOHAN. INNOCENTIVS PETRICIVS idem bellum deſcripſit, quod Cracouiae 1636 in folio prodiit. Pertinet huc quoque SAMVELIS KVSCEWIZ *Legatio Zbarauiana, & rerum apud Ottomannos 1622 geſtarum ſeries* Dantiſci 1645 in 12. Minoris commatis ſunt WAASSENBERGII *Hiſtoria Vladislai* partibus duabus Dantiſci 1643 in 4 & eiusd. *Iohan. Caſimiri Carcer gallicus*, ibidem 1644 in 4. Nec omittendum eſt IOHAN. LABOVREVRII *Iter Mariae Gonzagae Polonorum reginae ex Gallia in Poloniam ſuſceptum*, gallice conſcriptum & in 4 anno 1648 ni fallor vel 47 editum. Proderit quoque euoluiſſe, cui haec felicitas obtigerit, STANISLAI ZOLKIEVII *commentarium belli moſcouitici* ſub Sigismundo rege; & CAROLI CHOTKIEVICII *rerum a ſe cum Sueco, Muſco & Turca geſtarum commentarios*, lingua vernacula ſcriptos, Chwalkouioque laudatos, verum, vt puto, nondum editos. Caſimiri regnum infelix illud & calamitoſum litteris mandarunt VESPASIANVS KOCHOWSKY in *Climactêribus tribus*, a viro militari ſtilo ſatis aſpero, ſententiis tamen eximiae prudentiae plenis commendabili, ſcripti & Cracouiae in folio 1683, 1688 & 1689 editi. IOACHIMVS PASTORIVS, cum in *Bello ſcythico-coſatico*, quod Dantiſci 1652 in 4 prodiit, tum in *hiſtoria polonica pleniore*, quae

ab exceſſu Vladislai IV vſque ad initia Caſimiri deducitur, librisque vndecim conſtat, quibus in fine diſſertatio poſthuma de *originibus Sarmaticis* acceſſit; prodiit Gedani 1685 in 8. ALBERTVS VIMINA in *Hiſtoria bellorum ciuilium Poloniae*, ſermone hetruſco exarata, & Venetiis 1671 in 4 excuſa; vbi Polonorum vitia liberrime tanguntur multaque leguntur, quae alibi non inuenies. *Anonymus Gallus in cauſſis tumultus coſatici*, Pariſiis 1674 in 12. BEAVCLAINIVS in *deſcriptione Vkrainiae* ſiue partis illius Ruſſiae, quae Moſcis Scythisque vicina eſt. Alius *anonymus Gallus* in *hiſtoria belli coſatici*, Pariſiis 12 anno 1663: quas etiam turbas *Biſaccionius*, alias nobis laudatus, in *hiſtoria bellorum ciuilium* italice ſcripta ſatis operoſe perſequitur, quamuis interdum veritati non ſatis litaſſe videatur, Rotomagi 1660 in 4 gallice. KOBIERCZICKI in *Obſidione Clarimontis* Dantiſci, 1659 in 4. Cum quo coniungi debet AVGVSTINI KORDECKII eiusdem *Clarimontis prioris*, *noua Gigantomachia*, Cracouiae 1657. Breue Michaelis regnum ſtilo, vt verum fatear, ſatis perplexo, CASIMIRVS ZAWACKI in *hiſtoria arcana* ſeu annalibus polonicis 1699 Dantiſci 4 complexus fuit, qui iam antea ediderat *Diarium electionis regis Michaelis* ſub titulo *Gloria orbi Sarmatico conſenſu monſtrata*. Iohannem III tradiderunt DALLERACVS Gallus

in

in *hiſtoria arcana regni Poloniae*, duobus tomis Amſtelodami 1699 in 8; & qui idem eſt ac ipſe, quod ſtilus ac ratio ſcribendi arguunt, BEAVIEV in tribus libris *commentariorum polonicarum*, (*Memoires du Cheualier de* BEAVIEV) Amſtelodami 1700 in 12, qui profecto interdum ea ſcribit, quae Polonis exiguo cedunt honori. Quae poſt obitum Iohannis durante interregno acta fuere, explicantur tum in HAVTEVILLEI *Narratione hiſtorica de regum Polonorum poteſtate, electione & inauguratione*, Pariſiis 1697 in 12 gallice, tum in BISARDIERII *hiſtoria comitiorum regalium apud Polonos*, Lutetiae 1697 in 12, tum denique in *anonymi Hiſtoria ſucceſſionis* 1699 in 12 gallice, vbi rex Auguſtus, qui nunc ſceptra tenet, virulenter perſtringitur.

§. VI.

Ad Poloniam pertinuit olim *Pruſſia*, de qua, antequam ad acta pergamus, monebimus euoluendos eſſe HARTKNOCHIVM in *Boruſſia antiqua & noua*, partibus duabus Francofurti 1695 fol. tum quod ad Dantiſcum attinet, REINHOLDVM CVRICKENIVM in *deſcriptione vrbis Dantiſci*, Amſtelodami 1687 fol. Vterque liber ſermone vernaculo ſcriptus multisque figuris aeneis illuminatus comparuit.

§. VII.

Inter acta locum tenebunt principem mſcta

quaedam, quae noſtri ſunt iuris. Nempe cum Guſtauus Adolphus anno 1621 & ſeqq. Poloniam inuaderet, compoſita fuere ſchediaſmata, quae ſequuntur: 1) colloquium inter Sigismundum III & Guſtauum Sudermanniae ducem, vt Poloni tunc temporis contemptim Sueciae regem vocabant; 2) Wolffgangi a Kreitzens apologia ob Pilauiam Suecis deditam; 3) diſſertatio de vectigali ciuitatibus Pruſſiae adimendo; 4) acta inter Guſtauum & electorem Brandenburgicum, Iohan. Sigismundum die 13 iunii 1625; 5) acta legationis Pruſſicae ab ordinibus ad Suecum miſſa; 6) diurna nuptiarum Vladislai IV & Coeciliae Renatae; 7) Radziuilii conſilium de equeſtri ordine, quem Vladislaus inſtituere meditabatur, differendo. Incidit quoque in manus noſtras beneficio theologi Dantiſcanorum celeberrimi, Samuelis Schelwigii, exemplum legum illius, quem Vladislaus meditabatur, ordinis equeſtris latino ſermone exaratum, quod, iuuante DEO aliquando *Hiſtoriae ordinum equeſtrium a nobis recenſitae*, inſeremus, vbi plura de hoc ipſo ordine videri poterunt. Cum Carolus Guſtauus dein Poloniam inuaderet, Conringius bellum illud defenſurus ſeu potius belli cauſſas redditurus (nam tunc temporis nondum erat moris, vt reges nulla edita cauſſa inſtar latronum vicinos inuaderent) ſub nomine CYRIACI THRASYMACHI epiſtolam

epiſtolam compoſuit, in qua *iuſtitiam armorum ſuecicorum* demonſtrare conatur. Cui tamen ſe mox oppoſuit, tum qui LVCAE DE GABRIIS nomen aſſumſit, in *Iniuſtitia armorum ſuecicorum in Polonos* 1657 in 4; tum *alius* in *reſponſione ad enumerationem cauſſarum, ob quas rex Sueciae Polonos bello adoriri quaſi coactus ſit*, 4 anno 1656. FRISCHMANNVS, tunc temporis Argentinae orator gallicus, ſtilo ſibi familiari, lapidari nempe, *Motus animorum in Europa & Aſia de bello ſuecico* expreſſit. IOHANNES AMOS COMENIVS, variis de re ſcholaſtica operibus abunde notus, neſcio qua de cauſſa Carolo Poloniam adeunti *panegyricum* compoſuit, qui poſtea dicitur feralis excidii, quo vrbs Leſna periit, cauſſa fuiſſe. Exſtat quoque *refutatio illius panegyrici*, in quo auctor acerbe notatur. *Leſnae excidium*, cuius ipſe cauſſa fuerat, deſcripſit COMENIVS 1656 in 4 latine. Et SIGM. FRID. WARTMANNVS, *euentus illius temporis* congeſſit partibus tribus, quos ſub nomine *Poloniae ſuſpirantis* Francofurti ſermone germanico 1656 emiſit. Adeantur quoque *Dialogus de ſtatu Dantiſci*, 1658 germanice: *Orationes Nimericiorum in comitiis habitae* 1659 ex polonico in germanicum ſermonem translatae: & diſſertatio politica de *cauſſis & remediis ſtatus Poloniae* 1663, vbi imprimis expulſio Socinianorum ex regno Poloniae perſtringitur,

ſermone latino 12 anno 1661. Addatur *deductio ciuis Boruſſi de damno, quod ex moneta deprauata, imprimis autem ſolidis enaſcatur*, 1661 in 12. Ad ſequentia tempora pertinent *Cenſura candidatorum regni Poloniae*, 1669, cuius auctor fuiſſe creditur OLSZOVIVS FLORIANI DE GVRRY GVRSKI *Examen Sarmaticum* 1699 in 4. *Vlicouius* ſiue potius IOHAN. CHRIST. L. B. BOINEBVRGIVS in *demonſtratione politica pro eligendo rege Poloniae* 1669 in 12. Quem librum merito ſuo magni facit Boeclerus, cuius verba ex diſſertatione de Vtilitate hiſtoriae vniuerſalis p. 180, 181 hic proponemus: „Indagauit ille vtilitates regni Poloniae tam „exquiſito ratiocinationis ac demonſtrationis „genere, vt ſimile exemplum forſan nomina„ri nequeat. Defuit tamen conſilio, quo re„gnum Neoburgico hero ſuo conciliare co„gitabat.„ Vnde iterum Boeclerus: “Mul„tum negotii fruſtra ſuſcepturus erat, qui ante „electionem noui regis contradicere inſtituiſ„ſet, ſed poſt electum Piaſtum, fortaſſe non „defuturae eſſent rationes, quibus argumen„ta ante valere viſa in contrarium verti pot„erant; adeo commutabilis eſt ſapientia, „quae de regnorum commodis incommodis„que demonſtrationes ſectatur.„ Huc pertinent etiam volumina duo *Actorum in cauſſa Lubomirskiana*, regnante adhuc Iohanne Caſimiro, in magni illius exulis, Lubomirskii

nempe

nempe gratiam edita, & hic Vratislauiae in folio impreſſa. Michaele regnante publicata fuit 1672 in 4 *deductio innocentiae archiepiſcopi Gneſnenſis.* Regnante Iohanne, cum bellum turcico-polonicum duraret, elegans ſcriptum, quo Chriſtiani principes ad bellum hoſti publico inferendum excitabantur, titulum praeferens *Tuba verum ſpargens ſonum ſupra ſceptra nationum* 4. Sub interregno poſt obitum Michaelis *apoſtrophe ad sereniſſimos Poloniae candidatos* 1674. Vt omittam, quae nuper poſt obitum Iohannis pro factione gallica & contra eam, vt & pro rege recens electo a variis varie ſcripta fuere: quae cum in omnium adhuc manibus verſentur, recenſere iam non vacat.

§. VIII.

Inter oratorias operas nominamus GEORGII OSSÓLINII, regni Poloniae ſupremi cancellarii oratoris fere purpurati, *orationes*, ſtilo magnifico habitas & Dantiſci typis nitidiſſimis 1648 editas. Prima habita fuit anno 1633 die 6 decembris, cum Vladiſlai IV nomine, Vrbano VIII obedientiam, vt loqui amant, praeſtaret. Secunda ad Ferdinandum III d. 26 ſeptembr. 1637, ſeptemuirosque romani imperii principes Ratisbonae congregatos. Tertia vlt. martii 1621 Londini ad Iacobum I M. Britanniae regem nomine Sigismundi III auxilium aduerſus barbaros poſcentis. Quarta

ad reginam Ludouicam Mariam die 10 martii 1646, in qua orator eam, Vladislai IV ſponſi nomine, ſalutat. Quinta 14 ianuarii 1633 ad ſereniſſimum Venetiarum principem & ſenatum. Sexta Thorunii 28 auguſti 1645 cum Vladislai IV nomine publico in colloquio, quod *charitatiuum* vocant, legatione fungeretur. IOHAN. MOCHINGERVS, Gedanenſium rhetor anno 1649, Iohanni Caſimiro diadema regium *oratione* in folio excuſa gratulatus eſt. Idem Sigismundi III funus celebrat, anno 1635. Inducias Boruſſicas laudauit, 1649. Exequias Vladislai IV VALENTINVS THILO orator Regiomontanus 1649 *vota publica* pro felici expeditione Iohannis Caſimiri aduerſus ſeditioſos ciues profecti ſuſcepit. IOACHIMVS PASTORIVS, orator vere ciuilis, *Palaeſtrae nobilium*, Francofurti ad Moenum 1678 in 12 editae, quaedam adiunxit *ſcripta panegyrica*, ex quibus huc pertinent gratulatio ad Andream Leczinskium, epiſcopum Culmenſem, cum anno 1650 magni cancellarii munus adiret; item panegyricus Sibyllae Margaritae, comiti Denhouiae, duci Sileſiae, ſcriptus. Seorſim quoque prodiere eiusdem *Calendae regiae*, qua Thorunium expugnatum Iohanni Caſimiro gratulatur; & *Oliua pacis*, ſiue oratio ob pacem Oliuae prope Gedanum ſancita, 1661 habita. IOHANNES KWIATKIEWICZ in *Oratore peripatetico*, Caliſii

Caliſii 1680 edito, publica vt plurimum argumenta perſecutus eſt: nempe in coronationem Michaelis Sarmaticam ſiue *patriam coronatam*: in Sobieſciana ſiue Iohannnem III, *Martem Poloniae coronatam*. Eidem Iohanni dedicatur *Laurus prodroma* ſiue carmen triumphale de victoriis turcicis. Caſimiri Floriano Czartowski archiepiſcopo Gneſnenſi conſecratur *inſula princeps ducali tiarae annexa*. Andreae Olszowskio item archiepiſcopo Gneſnenſi, *Honorem non plus vltra*, ſtilo maximam partem lapidari exarata. In obitu Caſimiri Leonis Sapieha compoſita fuit ab eodem *Meta ſagittae Sapiehanae*, inſcriptionibus quatuordecim conſtans. Iohan. Wielebolskio, regni procancellario, & Marianae marchionis Tarquianae reginae ſororis nuptias inſcriptione honeſtauit, cui titulus *Gemma annuli*. Iohan. Stanislao a Sbaszyn, epiſcopi Presnislienſi in primo Cathedrae aditu obtulit *Zodiacum Poloniae* ſeu faſciam infulatam. Stanislao autem de Lubraniec Daski, duci Orienſi & Preſtenſi epiſcopo, *Infulas ſecundas*. IOHAN. SARTORIVS profeſſor Thorunienſis nuptiis Iacobi Sobieskii & Hedwigis Eliſabethae Amaliae comitis Palatini Rheni gratulatus eſt *Scuto Sobieſciano*, Thorunii 1691. Huc etiam refero ALBERTI INES mox iterum commemorandi *Lechiadem*, ſiue elogia ducum, principum ac regum Poloniae, ab

vſque Lecho deductorum, quibus accedunt *panegyres lyricae*, primo cum figuris aeneis Cracouiae 1659, & deinde absque iisdem Francofurti ad Viadrum 1680 editae. Et SIMONIS STAROVOLSCII *Sarmatiae bellatores*, centum & triginta elogiis hiſtoricis comprehenſos, Coloniae Agrippinae 1631. Iohanni III triumphale funus deduxit ſocietas Ieſu polonico panegyrico, Lublini 1697 excuſo. Friderico Auguſto Poloniarum regi ſolennia gratulationis habuit nomine academiae Wittenbergicae 1697 *Schurtzfleiſchius*. Eodem anno prodiit panegyricus academiae Lipſienſis a *D. Valentino Alberti* conceptus; & Hallenſis item Magdeburgicae, perorante ibi Iohanne Sigfrido a Beuchlingen. Ex poëtis vnice commendandus venit Polonorum Horatius SARBIEVIVS, qui libro I ode 9 Nicolaum Weierum Palatinidem Culmenſem, ode 15 equites Polonos: lib. 2 ode 2 Sigismundum III, ode 18 Vladislaum tunc temporis adhuc principem: libro 3 ode 9 Annam Radziuiliam, ode 10 iterum Vladislaum principem, ode 20 Visnouium equitem Polonum: libro 4 ode 1 equites Polonos, ode 4 Polonorum de Osmane victoriam, ode 6 Konieckbolii polonicorum exercituum legati (ſiue campiductoris vt loquuntur illi, unter-feldherr) lauros, ode 8 Dantiſcum, ode 16 iterum equites Polonos, vt & ode 29,

ode

ode 30 Barbaram Palatinam Trocenſem, ode 39 Vladislaum IV regem: epodon libro ode 7 Aquilam Radziuiliam celebrat: ex epigrammatibus inſpice 69 in Paulum Sapieham, 71 & 72 in Iohannem Carolum Chotkieuicium, 79, 80, 81, 82, 88 & 89 in eundem, 90, 91 & 92 in Euſtachium Vollouicium, praeſulem Vilnenſem, 93 in Hier. Vollouicium, 94, 95, 96 in Stanislaum Ciskam praeſulem Samogitiae, 97 in ſtemma Chodkieuicii, & tandem 90 in ſtemma Iohan. Rudominae equitis Lithuani. ALBERTVS INES ſupra dictus ode 4 lyricorum equites Polonos commendauit, & generoſae gentis libera genethlia cecinit: idem ode 6 bellorum ciuilium calamitatem deplorat, ode 9 monuit equites Polonos, vt armis & ſcientia ad immortalem gloriam annitantur, ode 15 directa eſt ad Aquilam Polonam, vt bellicoſos aeui noſtri heroas toto orbe celebrandos differat, ode 21 deſcribit Lechiam pacatam ab anno 1638 ad 1648, ode 29 monet equites Polonos, cum Tartarorum irruptio in Poloniam nunciaretur, vt eorum multitudine contemta fortiter rem gerant, ode 34 Sarbieuii exemplo eosdem hortatur, vt Graeciae prouincias liberent, ode 61 Ladislao IV paeana canit, ode 62 eſt panegyris lyrica Caeciliae Renatae Auſtriacae Polonorum reginae, Vladislai IV coniugis, ode 62 Sigismundo Caſimiro Polonorum

& Suecorum principi recens nato omen genethliacum dedicat, ſucceſſu tamen carens. Nam is velut ſolſtitialis herba terris tantum oſtenſus fuit, & mox exaruit, ode 66 ad eundem directa eſt, & eiusdem inſtituti eſt ode 62 vt & 80, ode 81 extinguit florem regalem ex amoeniſſimis Poloniae regum hortis, ſuburbio Cracouienſi ſitis, tandem ode 91 Polonos ſuos explodit, quod patriis nominibus neglectis, exoticis & inuſitatis delectentur. Idem edidit Cracouiae epigrammatum centurias ſex Vratislauiae 1687 in 12 excuſas: ex quibus centuria 3 commendamus epigramma 1 in tempus interregni Caſimiriani, centuriae 5 epigramma 118-123 illuſtrat ſtemma Ruszinczkianum, & epigramma 64, 65 ſtemma Lipskianum, epigramma 81 & 84 ſtemma Marszweskianum: centuria 7 exornatur ſtemma Wittowskianum, & epigrammate 51 Lubomirskianum. MICHAEL ANTONIVS HACKI, abbas Oliuenſis, poëta non infelix, Iohannem III carmine heroico doctiſſimo commendauit; exſtat in eius *Apolline heroico & lyrico*, Oliuiae 1692 excuſo. Pertinet huc carmen acroſtichicum, ſingulari artificio contextum, in eundem Iohannem, vt & *Hilaria Auguſta*, nuptiis Sobieskianis & Palatinis dedicata; Iacobi principis tyrocinium triumphale; Radiczouii cardinalis & archiepiſcopi Gneſnenſis honor purpuratus;

Denhofii

Denhofii cardinalis eminentia; ſummus Proximus; Pandora vrbium ſarmaticarum, & alia in regem domumque. PETRVS FRANZIVS poëtarum in Belgio nunc princeps, 1687 *Lauram* dedit *Europaeam*, in qua ode 2 Iohannis III victorias facunde celebrat.

CAPVT XI.

DANIA.

§. I.

SI PETRI IOHANNIS RESENII, conſulis Hafnienſis, elegantiſſimus *Atlas danicus*, vndecim tomis conſtans, in lucem prodiiſſet, vix opus eſſet, vt Daniae topograghiae notitiam ſibi comparaturus alios conſuleret; debebat enim illud opus praegrande tomis vndecim conſtare, omnesque regum Daniae provincias imaginesque regionum, praeterea civitatum, arcium aliarumque rerum notabilium aeri inciſas continere. Iamque ab anno 1685 editio ab auctore, ſumtibus regiis apparabatur; ſed poſt mortem manſit ineditum hoc opus, ac bibliothecae regiae Hafnienſi fuit illatum; adeoque tantum publice proſtat, vnicum eius ſpecimen, nempe *deſcriptio inſulae Samſonae* ſiue Samibalticae, Hafniae 1675 in folio latine. Itemque *delineatio Hafniae topographica*, aeri inciſa, cum breui locorum enarratione, danice & germanice Hafniae 1674. Interim hoc damnum reſarciet IOH. ISAACIVS PONTANVS in *chorographica Daniae deſcriptione*, hiſtoriae danicae, quae anno 1631 Amſtelodami editae ſubiuncta. CAROLI OGERII *Iter danico-ſuecico-polonicum*, Lutetiae Pariſiorum 1656 in 8 latine nitidiſſime ſcriptum.

ſcriptum. *Deſcriptio Daniae & Norwegiae* (nam iſtud regnum Daniae ſubiunctum eſt) *inter Reſpublicas Elzeuirianas* prodiit, vt & alia, quae *Zeilero* attribuitur, 1656 in Batauia lucem adſpexit. PETRVS quoque CLAVDII paſtor Vndalinus in Noruegia, *veram deſcriptionem Noruegiae & vicinarum inſularum*, omniumque quae ſcitu fide digna, occurrunt, Hafniae 1632 in 4 danice publicauit. *Islandiam*, quae & ipſa Danis paret, diſſertatione academica illuſtrauit Wittebergae 1686 THEOD. THORLACIVS, & auctor *anonymus Gallus* in *deſcriptione regionum Aquilonarium* 1698 in 12 gallice. *Groenlandiam* deſcripſit PEYRERIVS notiſſimus prae-adamitarum auctor, in *Itinere*, gallice primum ſcripto, ſed deinceps in germanicum ſermonem verſo, & Hamburgi in 4 edito. Quo etiam pertinet MARTENSII Hamburgenſis *Iter groenlandicum*, germanice in 4; & RVDOLPHI CAPELLI *Orbis arcticus*, germanice in 4. Tandem LVDOVICVS IACOBVS TEBESIVS lingua danica compoſuit *Feroam reſeratam*, quae primo Hafniae 1673 danice in 8, & dein anglice Londini 1677 eadem forma prodiit. Ceterum hiſtoriam Daniae, Noruegiae & vicinarum inſularum illuſtrabunt, quae paſſim in actis medicis Hafnienſibus, opera *Thomae Bartholini* ſenioris, medici & polyhiſtoris celeberrimi, Hafniae ab anno 1671-1679 digeſtis, & in 4 editis

inueniuntur. Inſpiciantur parte 1 obſeruatio 13, 35, 49, 59, 123, 127, 130, 135, 138; parte 2 obſeruatio 8, 23, 31, 36, in qua varie antiquitates danicae illuſtrantur, 43, 44, 80, 90, 130; parte 3 obſeruatio 87, 88, 92, 94 & 95; parte 4 obſeruatio 6, 7, 32, 35, 38, 78; parte 5 obſeruatio 85, 90, 113 & 117.

§. II.

Notitiam reipublicae danicae quibusdam videtur ſatis curate repraeſentaſſe MOLESWORTHIVS Anglus, cuius *Respublica danica* ſiue facies regni danici, *(An Acconat of Denmark)* qualis anno 1692 fuit, anglice primo Londini 1694 in 8 prodiit, & deinde bis gallice editus, magno cum applauſu diſtractus fuit. Verum quia ſcriptor iſte regum abſolutae poteſtati nimis iniquum ſe probat (quod vel ex praefatione luculenter patet) inde etiam profectum videtur, vt paſſim veritati non ſatis litet, virulentumque in Danos, qui 1661, quod ad clerum & plebem attinet, regibus talem in ſe poteſtatem detulerunt, animum exerat. Vnde etiam in Dania ſeuere prohibitus eſt, atque anonymo ſub titulo *defenſe de Dennemark* anno 1694 refutatus, addita praefatione, in qua multa de Molesworthii moribus inconditis & ferocibus traduntur. Conſtat autem hic Daniae ſtatus 16 capitibus, quorum hic breuem indiculum exhibebo: Agitur nempe cap. I de omnibus prouinciis regi

Daniae

Daniae ſubiectis: cap. 2 de Dania ſpeciatim, deque Seelandia inſula, eiusque ac regni capite Hafnia: cap. 3 de freto maris Baltici: cap. 4 reliquis inſulis & Iutlandia: cap. 5 de ducatu Slesuicenſi, Holſatico, comitatu Oldeburgico, Noruegia, Islandia, & iis, quae Dani in vtraque India poſſident: cap. 6 de forma regiminis: cap. 7 qua ratione regnum Daniae ex electitio in hereditarium tranſierit: cap. 8 de moribus Danorum: cap. 9 de reditibus regiis: cap. 10 de exercitibus, claſſe & munimentis: cap. 11 de aula regia: cap. 12 de vicinis: cap. 13 de electione & reſtitutione ducis Holſatiae: cap. 14 de ratione ſtatus, vt vulgo loquuntur, danica, ſeu quomodo cum reliquis principibus ſeſe gerat & gerere debeat: cap. 15 de legibus & tribunalibus, quae, licet Danis infeſtior ſit, tamen laudat: cap. 16 de clero, religione & ſtudiis: cap. 17 accedit inſuper alius tractatus breuis, vbi imprimis in clerum Lutheranum regibus, vt ipſe vult, addictiorem inuehitur.

§. III.

Quod ad hiſtoriam huius ſeculi danicam attinet, pauca certe habemus. VITVS enim BERINGIVS, IOHAN. ISAACIVS PONTANVS, IOHAN. MEVRSIVS, ERASMVS MICHAEL LAETVS, NICOLAVS HELDNADERVS & alii Danorum hiſtorici intra ſuperioris ſeculi limites ſe coërcuerunt. Commendamus

tamen IOH. HENRICI BOECLERI *hiſtoriam belli ſueco-danici* 1643 ſequ. geſti; quod opus poſthumum Argentorati 1679 prodiit. ANDR. VOSSII, epiſcopi Bergenſis in Noruegia, *genealogiam regum Daniae & Noruegiae, ducumque* (auctor debebat dicere comitum) *Oldenburgenſium*, qui poſt ſinceram religionem floruerunt. IANI LAVRENTII WOLFFII *diurnum*, ſiue calendarium eccleſiaſticum & politicum, 1648 itemque *chronologiam*, ab orbe condito ad annum 1648 danice 1662 in 4. IOHAN. PAVLLSEN *ſtemmata familiae regalis & ducalis Dano-Holſaticae e domo Oldenburgica*, Lubecae 1657 in 12 latine. IVARII HERTZHOLMII, hiſtorici regii, ſcriptum de *praecellentia regni Daniae*, Hafniae 1662 in 4. BVNONIS *defenſio contra Roſenkrantzium pro regno Daniae haereditario*, Luneburgi 1683 in 4. *Anonymi obſidionem Hafnienſem cum praelio ad Oreſundam*, Hagae Comitum 1662 in 4. VITI BERINGII *Obſidionem Hafniae*, 1676 in 4. *Cornificii Vhlefeldii machinamenta* latine 12, ſine die & conſule, quorum auctor fuiſſe creditur *Iacobus Henricus Pauli*, Simonis archiatri regii, filius. OROSII ANNILONIS (nomen fictum) *diſſertatio de bello danico-anglico* in 4. Quibus omnibus acceſſionis loco adiungi poſſunt PETRI IOHAN. RESENII *Inſcriptiones Hafnienſes*, Hafniae 1668 in 4. Et

THOMAE

THOMAE BARTHOLINI patris diſſertat. de *ordine Danobrogico* 1678 fol.

§. IV.

Ad acta pertinet *dialogus* germanicus de *inuaſione Suecorum*, qua 1644 in Daniam & Holſatiam impetum fecerunt. Eodem anno in 4 *diſſertatio* germanica, in qua diſquiritur, *an Sueci Danos rite inuadere potuerint*, & negatiua aſſeritur. *Epiſtola* equitis Sueci ad equitem Franconicum, Francofurti ad Moenum 1644 in 4. *Dialogus batauus de bello dano-ſuecico* 1657; cuius auctor eſt theologus Hamburgenſis magni nominis, IOHANNES BALTHASAR SCHVPPIVS; vnde etiam inter eius opera legitur, quamuis ſub *Antenoris* nomine ſeorſim prodiit. Habemus quoque *anonymi Ius feciale armatae Daniae*, Hafniae 1657 in 4; & *Manifeſtum belli dani-ſuecici* 1658 in 4; itemque GVNDAEI ROSENKRANTZII, ſenatoris regni Daniae, diſſertationem iuridico-politicam de *legato ſuecico durante obſidione a rege Daniae iure detento*, 1659 in 12. Praefixa ſunt litterae nominis initiales G. R. K. Eiusdem ſunt *Dania ad exteras de perfidia Suecorum*, Hafniae 1644 in 4. *Speculum fidei danicae & perfidiae ſuecicae* 1659 in 4. *Tela ſuecici aranei disrupta* 4 anno 1660. Et *boni ciuis ad ciues fidelem admonitionem* de neceſſitate coniunctionis danicae & belgicae claſſis 1657 in 4

latine & danice. Alius etiam anonymus edidit *Mercurii europaei diuinationem de pace ſeptentrionali* anno 1661.

§. V.

Inter oratores commemoramus ALBERTI BARTHOLINI *panegyricum* in obitum Chriſtiani Daniae principis, Hafniae 1648 in folio. Et orationem gratulatoriam ad Fridericum III Daniae regem, 1649 fol. CORNIFICII TROLLII *parentationem* Chriſtiani principis Daniae, Sorae 1647 in 4. ERASMI BROCHMANNI *orationem* in exequias Chriſtiani IV Lugduni Batauorum 1649 in folio. ERICI *panegyrin* in coronationem Friderici III, Hafniae 1648 in folio. HENRICI ERNESTI *panegyricum*, Friderico III dictum, Hafniae 1660 fol. IACOBI ROSENKRANTZII *panegyricum* ad Fridericum III, Hafniae 1657 in folio. IOHAN. FABRI *memoriam Chriſt. Thomaei Sehſtedii*, cancellarii regii, Sorae 1658 in folio. IOHAN. RESENII orationem in obitum Chriſtiani Fries de Kragerup, Daniae cancellarii, in 4 anno 1640. PETRI WINSTRVPII, *regem Danorum Dauidicum*, ſiue orationem in obitum Chriſtiani IV; eiusdem *leſſum ſynodicum* in obitum Chriſtiani principis Daniae; eiusdem *belli ſuecico-danici thaumaſiam*. IOHANNES RAVEN ſcripſit orationem gratulatoriam ad Chriſtianum IV de

magno

magno climacterico exacto, Hafniae 1640 in folio excuſam. IOHAN. STEINMANNVS iuſta funebria Chriſtiani IV celebrauit, Bremae 1648. Applauſu gratulatorio auſpicia Friderici III decorauit IOHAN. RHEDERVS, 1648. Laudationem funebrem eiusdem Friderici habuit BARTHOLVS BARTHOLINVS Hafniae 1670. *Sacratam Palladem* in funere eodem compoſuit MATTHIAS FOSS. Natalem ſexageſimum eidem gratulatus eſt IACOBVS HENRICVS PAVLI.

§. VI.

Inter poëtas Danos, quorum optimos ſub *deliciarum* nomine collegit, & Lugduni Batauorum 1693 duobus tomis publicauit FRIDERICVS ROSTGAARD: tomo primo HENRICVS ALBERTVS a p. 8-21 laudes Chriſtiani IV celebrauit, vnde etiam libro titulum impoſuit *Regia Clio:* idem in anagrammatibus p. 23-27 eundem Chriſtianum; p. 28 eius filium Vlricum; p. 30 alterum filium Chriſtianum; p. 33-54 varios regni Daniae ſenatores atque proceres celebrat: idem in odis p. 142 de electione Chriſtiani V, Chriſtiani IV filii, triumphauit. IOHANES HOPNERVS inaugurationem Chriſtiani V nuper defuncti, carmine heroico, cui eſt titulus *Titan arctous*, illuſtrauit: eiusdem eſt *Venus Palatina*, in nuptias Caroli principis, tunc

temporis electoralis palatini, & Wilhelminae Erneſtinae Daniae principis: idem Friderici, qui nunc regnat natalem ſub titulo *Atlantiadum* illuminauit; eiusdem eſt panegyricus Petri comitis Greiffenfeldii, qui poſtea ſupremo faſtigio honorum deiectus, in carcere obiit, 1673 ſcriptus: itemque Chriſtianus Auguſtus carmen heroicum. CHRISTIANVS AGAARDVS *laurum Cimbricam*, ſiue victoriam Chriſtiani IV aduerſus claſſem ſueco-batauam 1644 d. 16 maii reportatam cecinit, & *Manibus Cimbricis* funus Chriſtiani Danorum principis, vt & *Threnis hyperboreis* obitum Friderici III defleuit; eiusdem carmen heroicum in carminibus variis; p. 501 luſit in congreſſum Friderici III Daniae regis & Caroli Guſtaui Sueci, quem etiam epigrammate ſeorſim compellauit; pacem etiam ruptam 1658 victoriam Danorum 1659; Schackii exercituum danicorum ſummi ducis & rupti foederis poenam p. 503-506 exſecutus eſt; & p. 507 Fridericus III Daniae hereditario regi ſacramentum 1660 dictum illuminauit: *tomo ſecundo* VITVS BERINGIVS, poëta excellens & magni ſpiritus p. 15 in obitum Oligeri Roſenkrantzii, p. 31 in funus Nicolai Kragii regni Daniae ſenatoris, p. 34 in Friderici III imaginem, p. 54 in Friderici III inaugurationem, p. 60 in Chriſtianum V regna hereditate ſuſcipientem, carmina compoſuit: eiusdem eſt p. 61-70 inſcriptio

inſcriptio elegans in Chriſtianum V, p. 75 in Samſoam inſulam, p. 79 in imaginem Chriſtiani Daniae principis, p. 80 & 81 in imagines Chriſtophori de Gabel, Oligeri Wind, Arnoldi Huitfeldii, in effigiem Georgi Braahe, Reginae Sophiae Amaliae Chriſtiani V vxoris, itidemque p. 87 in principis Georgii & Vldarici Friderici Guldenloeuii (ita *Daniae regum filii nothi* vocantur) epigrammata; leguntur quoque p. 95 carmina in effigiem Chriſtierni comitis Ranzouii, p. 99 in effigiem Petri Reedtz Daniae cancellarii, p. 100 in effigiem Chriſtoph. a Koerbiz regi Daniae a conſiliis, in effigiem Hilarii Hoolok, Croneburgiae arcis praefecti, p. 101 in Olai Roſenkrantzii imaginem, & Conradi Adeleri, rei per Daniam maritimae praefecti, p. 103 in imaginem Henrici Ruſſe, ſupremi vigiliarum praefecti, p. 104 in Tagonem Tottium, regni Daniae ſenatorem: carmina in eiusdem obitum, quem praeceſſerat p. 106 ſcazon in obitum Ottonis Tott regni Daniae ſenatoris, p. 117 effigiem Friderici III honeſtat, & p. 125-128 iter Chriſtiani V in Holſatiam deſcribit, p. 128 effigiem Hannibalis Seeheſtedii, & p. 138 effigiem Ioh. Schackii, p. 139-144 nuptias Seeheſtedii cum Chriſtiana Chriſtiani IV filia condecorat, p. 112-189 raro exemplo, carmine latino natalitias choreas, cum ſacro fonte Friderica Amalia, Friderici III filia, tingeretur, repraeſentatas depingit, p. 190 Chriſtiano V

tum Daniae principi cultum & obſequium refert: Henricus Harderus libro 2 epigrammatum in obſidionem Hafnienſem exhibet; eiusdem carmen eſt heroicum Hafnia arctiore obſidione liberata, & panegyricus eodem metri genere Griffenfeldio compoſitus: OLAVS BORRICHIVS tandem p. 433 homagium Chriſtiano III dictum, & p. 446 funus Ioachimi Gerstorffii, ſummi Danorum regis miniſtri celebrat, p. 469 habes eiusdem carmen gratulatorium ad Fridericum III Daniae regem, p. 477 Gabelium regis Daniae conſiliarium & natalem ſexageſimum Friderici III illuſtrat; conf. p. 480: deinde p. 481-515 exhibet Amagriam, quae inſula eſt Hafniae vicina, ductu & auſpiciis Friderici III vindicatam, p. 516 Arcton pullatam ſiue epicedion Friderici III, & p. 68 Arcton ſub auſpiciis Chriſtiani V reſpirantem, pag. 565 inuenies epigramma in effigiem Curtii Adeleri, regni Daniae archithalaſſi, & p. 567-573 panegyricum Griffenfeldii, p. 574 elegiam in laudem Friderici ab Ahlefeld, regni Daniae cancellarii, p. 576 aliam in obitum Hahnii equitis aurati, p. 577 Wismariam diu refractariam tandem domitam, p. 587 exſtant epigrammata in imaginem Chriſtiani V, in cancellarium Kielemannum, & in Wismariam debellatam.

CAPVT

CAPVT XII.

SVECIA.

§. I.

IN topographia Sueciae vtramque paginam faciunt ANDREAE BVRAEI *regni Sueciae geographica & politica deſcriptio*, quae in commentario politico de Suecia inter *Reſpublicas Elzeuirianas* 1633 excuſo producitur. Huic adiungimus MARTINI ZEILERI *deſcriptionem regnorum Sueciae & Gothiae*, Amſtelodami 1656 in 12; IACOBI CONANDRI *deſcriptionem Weſtgothiae*, 1646 in 4 Aboae, quae eſt vrbs Finlandiae. Ex prouinciis regno Sueciae ſubditis *Lapponiam* ſermone latino accuratiſſime deſcripſit IOHAN. SCHEFFERVS Francofurti 1673 in 4; *Liuoniam*, quae nunc ſedes feralis belli eſt, illuſtrauit CASPAR à CEIMEREN in *theatridio liuonico*, Rigae 1690 in 4 germanice; & CAELCHIVS in *annalibus liuonicis* Lipſiae & Francofurti in 4 anno 1695 germanice. Notitiam Sueciae politicam exhibuit idem, qui danicam *Molesworthius*, 1693 editam, ac deinde in gallicam belgicamque linguam translatam; modeſtius tamen ſe gerit in ea, quam in danica, licet cap. 9 p. 83 non admodum probet, quod ordines regni omnem ſenatoribus auctoritatem adimerent. MICH. etiam VEXIONIVS, doctor iurium & profeſſor

Aboenſis, poſt aſſeſſor tribunalis regii in Finlandia, cognomine *Gildenſtolpii* nobilitatus, *politicam* edidit, ad modernum gotho-ſuecicum ſtatum accommodatam, primo impreſſam Aboae 1674 in 4, poſt Lubecae plurimis mutilatis excuſam, & ibi ſecundum recognitam ab auctore, & denuo editam Aboae per Petrum Hanſonium in 8 anno 1657. Idem edidit *deſcriptionem Sueciae* 1650 in 8, quae, vti Müllerus in hypomnematibus ad Schefferi Sueciam litteratam p. 394 monet, quod auctor arcana quaedam regni patrii in eo propalaſſet, vendi regia auctoritate eſt prohibita, & publica deinde lege cautum, ne quid tale in poſterum publicaretur.

§. II.

Ius ſuecicum addiſcere cupido aditum pandet IOHAN. STIRNHOECK de *iure Sueciae & Gothiae vetuſto*, libris duobus Holmiae 1682 in 4. IOHAN. LOCCENII *ſynopſis iuris publici & priuati ſueo-gothici*, Gothaeburgi 1672 in 8. Eiusdem *Leges prouinciales regni Sueciae*, traductae & notis illuſtratae Londini Scanorum 1675 in 8. Eiusdem *Leges ciuiles regni ſuecici ſecundum Guſtaui Adolphi mandatum* 1610 publicatae, latine redditae & notis illuſtratae Holmiae 1672 in folio. Tandemque eiusdem *lexicon iuris ſueo-gothici*, Holmiae 1674 in 4. VEXIONIVS publicauit Aboae 1650 in 8 *iſagogen ad ſtudium iuris ſueo-romani*,

CLAV-

CLAVDIVS RAELAMB ſcripſit ſermone ſuecico *obſeruationes practicas*, Holmiae 1679 in 4 excuſas.

§. III.

Genealogias Suecorum egregie illuſtrauit IOHAN. MESSENIVS tum in *genealogiis Sigismundi & Caroli regum*, Holmiae 1610, tum in *amphitheatro*, in quo, conatu tamen ſatis ridiculo, Guſtaidum proſapiam continua ſcaturigine ab Adamo derivat, atque cuiuslibet regis facinora diſticho comprehenſa proponit, Holmiae 1610 in 8, tum in *tumbis*, *inſcriptionibus ſepulcralibus Sueciae*, Holmiae 1611 in 8, tum denique in *theatro nobilitatis ſuecanae*, ibidem 1616. Monuit tamen Boeclerus in disſertatione de peregrinatione germanici, (quae prima eſt diſſertationum academicarum 1658 in 8 editarum) p. 18, exteros quidem ſecurius hoc theatro vti; at in Suecia multos fuiſſe, qui plurimos auctoris errores annotarunt: & matronam illuſtrem CATHARINAM BOOT, grande ſexus ſui ornamentum, alios de *nobilitate ſuecana* commentarios magno ſtudio, miraque diligentia ac diſpoſitione ſua manu exaraſſe, & quantum ad inſignia attinet, depinxiſſe, vt comparatum his laboribus theatrum Meſſenii vel defectu notitiae plenioris vel tractationis ſecuritate plane vileſcant.

§. IV.

Inter ſcriptores, qui hiſtoriam vniuerſalem

regni ſuecani, inque ea hoc etiam ſeculum illuſtrarunt, familiam ducit IOHAN. LOCCENIVS, cuius *hiſtoria ſuecana* primo Vpſaliae in 8, deinde vero Francofurti & Lipſiae 1676 in 4 prodiit, cui editioni *antiquitatum ſueo-gothicarum libri* acceſſerunt. SAMVELIS PVFENDORFFII *ſecunda pars introductionis hiſtoricae*, Francofurti 1686 in 8 edita, ſolum complectitur Sueciam, eiusque hiſtoriam vſque ad noſtra tempora curate enarrat. Nec ſpernendum eſt *inuentarium Sueciae* IOHANNIS LVDOVICI GOTHOFREDI, Francofurti 1633 in folio. Vltima Caroli IX & initia Guſtaui Adolphi explicat IOHAN. WITTEKINDVS in *hiſtoria belli ſueco-muſcovitici*, ab anno 1607-1617 geſti, Holmiae 1672. Ipſe REX CAROLVS, quod probe notandum, ſcripſit teſte Scheffero p. 13 in Suecia litterata, *chronicon regum Sueciae*, a primo rege ad vſque noſtra tempora, ſermone populari: habetur mſctum in quorundam bibliothecis; laudatur Loccenio inter ſcripta ea, per quae fuit adiutus in componenda hiſtoria ſuecica. *Idem compoſuit* quoque *rythmis ſuecicis hiſtoriam vitae propriae, rerumque a ſe geſtarum*, qui libri certe digni eſſent, vt proſtarent publice. IOHANNES MESSENIVS Holmiae 1610 edidit *detectionem fraudis ieſuiticae contra Carolum nonum.* Guſtaui Adolphi res, praecipue in Germania noſtra geſtas, iam

iam ante expoſuimus in adparatu ad hiſtoriam germanicam, cum ſcriptores belli ſueco-germanici recenſeremus, adeoque hic actum agere nolumus. Poſſunt tamen addi *anonymus*, qui de *expugnatione ciuitatis Rigenſis*, Liuoniae metropolis, a Guſtauo Adolpho ad deditionem compulſae, idiomate latino germanico ſcripſit, Rigaeque 1622 in 4 edidit. Itemque alius *anonymus*, qui Holmiae 1625 in 4 publicauit *acta & litteras*, ab anno 1624-1625 inter regni Sueciae & Poloniae ſenatores ac officiales. Chriſtinae res geſtas expoſuerunt PETRVS CHANVTVS legatus gallicus, in commentariis ſiue *memoriis (Memoires de ce qui s'eſt paſſé en Suede & aux provinces voiſines depuis l'an 1645 jusqu'en 1655)* gallice ſcriptis, & a LINAGE DE VAVCIENNES Coloniae, aut potius in Batauia 1677 in 12 editis. GVALDVS comes in *vita Chriſtinae*, italice ſcripta Romae 1656 in 4. *Auctor gallicus ſylloges hiſtoriae auctorum ad vitam Chriſtinae pertinentium* 1677 in 12. Alius *anonymus Gallus*, qui ſtilo ſatis ſatyrico *arcanam Chriſtinae hiſtoriam (Hiſtoire ſecrete de la reine Chriſtine)* 1696 in 8 in publicum protruſit. HAQVINVS FLORIANDER in *encomio iuſtiſſimae & illuſtriſſimae militiae Hornianae*, quo explicantur res a Guſtauo Hornio, ſummo militiae praefecto, in Scania geſtae Vpſaliae 1648 in 4. Carolum Guſtauum repraeſentant BRODAEVS

in *hiſtoria eiusdem*, cui hiſtoriam Guſtaui Adolphi praemiſit, Pariſiis 1685 in 12, quamuis non vſque adeo magni ſit momenti. Faciunt huc quoque equitis TERLONII, Gallorum oratoris, *commentarii*, (*Memoires du Chevalier de* TERLON,) in quibus res a Carolo Guſtauo aduerſus Polonos & Danos geſtae exponuntur, Pariſiis in 12 an. 1682 gallice. Ad Carolum XI refer *faſtos hiſtoricos*, eiusdem Caroli vitam complectentes, & Lipſiae 1697 in 8 editos.

§. V.

Ad acta quod attinet & ſchediaſmata miſcella, vidimus *Occupationem Rigae in Liuonia*, cum variis epiſtolis eam illuſtrantibus, Wittebergae 1622. MELCHIORIS MICHAELIS MEINERII *genealogiam Guſtaui Adolphi*, Noribergae 1632. MATTHIAE BERNEGGERI *ius bellicum Suecorum* 1632 in 12. *Speculum Suecicum* 1658 germanice in 4, in quo Sueci acerbe traducuntur. *Appendicem ſpeculi ſuecici* 1659 in 4. Epiſtolam amici ad amicum de *cauſſis renaſcentium diſſidiorum ſueco-danicorum*, Hamburgi 1658 in 4. *Pamphagum ſuecicum* & *medicum Lapponem* 1659. CHRISTIANI BONDII *epiſtolam ad regem Sueciae, Carolum Guſtauum, de commerciis in mari Baltico*, 1658 in 4, vbi Bataui acerbe perſtringuntur. *Cronwellii, Oxenſtirnii & Silenſtroemii diſſertationes politicas in regia Platonis*, 1658 in 4 germanice.

Poſſis

Poſſis huc quoque referre SOSAE, legati in Suecia luſitanici, *iudicium politicum* ad nobile Sueciae regnum, Holmiae in 12 anno 1655 hiſpanice ſcriptum, niſi iuſti potius libri, quam ſchediaſmatis formam referret. Accedit colophonis loco ERASMI FRANCISCI diſſertatio de *praeſtigiis magicis in Suecia ſeptentrionali exercitis*, quam ſub nomine *Theophili Sinceri* Noribergae 1677 in 4 publicauit.

§. VI.

Ad oratores gradum promouentibus inter multos praecipue veniunt recenſendi, qui GVSTAVI laudes facunde ſunt exſecuti: quos inter agmen ducit DAN. HEINSIVS in ſublimi panegyrico, vbi tot fere pondera, quot verba inuenimus. Hunc excipit AVG. BVCHNERVS in gemina oratione, quarum prior a Guſtauo, Guſtaui M. filio, poſt victoriam Lipſienſem 1631 recitata, altera ab ipſomet 1632 dicta. MICHAEL VIRDVNGVS, profeſſor Noricus, 1633 *Alexandrum nov-antiquum* ſiue comparationem Alexandri M. cum Guſtauo compoſuit. IANI GEBHARDI de *victoria Lipſiaca* oratio panegyrica lectu digniſſima eſt. PIERII WINSEMII *oratio* in exceſſum Guſtaui, nec non IOHAN. GESBERI KRVVSII *laudatio funebris*. Omnes iſtae orationes Lugduni Batauorum 1637 praefixo *elogio Guſtaui M.* iunctim prodierunt. Ex

Boeclerianis orationibus commendo panegyricum Chriſtinae ſcriptum, cum inſignia regni capeſſeret; orationem ad eandem, feriis natalitiis 1643 habitam; tertiam ad eandem in auſpicium anni 1650; quartam in eiusdem natalem 27, anno 1652; elogiumque Dorſtenſohnii tumulo dicatum, 1651. CONRADVS CHRISTOPHORVS a KÖNIGSMARCK Argentorati 1652 ſolennia vota pro ſalute Chriſtinae dixit. IOHAN. FREINSHEMIVS vir celeberrimus, *Chriſtinae panegyricum* dixit anno 1647 cum natalem alteram & vigeſimum celebraret. LINDEMANNVS Argentorati 1660, Carolo Guſtauo officium pietatis praeſtitit. MATTHIAS MAXIMILIANVS a PARASIN orationes edidit Malmogiae 1660 in folio: *prima* agit de pace Germaniae ad Chriſtinam; *ſecunda* proſequitur Carolum Guſtavum Gothoburgo in Germaniam abeuntem; *tertia* eidem Carolo Guſtauo diadema regium ſuſceptum gratulatur; *quarta* eundem reducem compellat. PETRVS SCHVLTZIVS Carolum Guſtauum oratione panegyrica celebrauit Lubecae 1650 in fol. IOHAN. vero VALENTINVS REHTE Chriſtinam ſub nomine inclutae ſuecanae Bellonae exornauit. Tandem IOHAN. FRIDERICVS MAYERVS theologus Hamburgenſis, funus Caroli XI oratione ſolemni honeſtauit. Pene obliti fuiſſemus, IOHANNIS SCHEFFERI, qui ſcripſit orationem fune-

funebrem in obitum Iacobi Ponte de la Gardie, Vpſaliae 1652 in folio; orationem in diſceſſum Chriſtinae 1654 in folio; titulum ſepulcralem in obitum Caroli Guſtaui, 1660 in folio; memoriam Iacobi Auguſti & Iohan. Caroli de la Gardie, fratrum, 1682 in folio; orationem ad Carolum XI regem, cum primum Vpſaliam veniſſet, 4; memoriam Iohan. Canuti archiepiſcopi Vpſalienſis, 1669 in 4; & epiſtolam ad Axelium Oxenſtiernam, poſtquam Vpſaliae valedixiſſet.

§. VII.

Inter poëtas praeter illos, quos in hiſtoria germanica commendauimus, occurrit nobis rarus ſcriptor, nempe EWARTIVS IOLLQVETVS Aurelianenſis, qui ſub titulo *Fulminis in aquilam* libros duodecim carmine heroico, de bello ſuecico-germanico compoſuit, Pariſiis 12 anno 1636. NICOLAVS deinde HEINSIVS a Chriſtina ingentibus affectus beneficiis, eximiis quoque eam laudibus exornavit: ſyluarum nempe liber primus totus impenditur Chriſtinae, quam variis carminum generibus exornat.

CAPVT XIII.

MOSCOVIA.

§. I.

MAiori parte laboris noſtri exhauſta, iam minorem ordimur. Minorem certe & faciliorem ea de cauſſa dico, quia iam ſolae enumerandae erunt topographiae, hiſtoriarum volumina, eaque ſi cum procedentibus comparentur, non admodum multa. Laborat enim haec hiſtoria, quantum ad orbis europaei incolas attinet, hoc defectu, vt admodum pauca de ipſis & ipſorum libris ſciamus, quamvis non defuerint, nec adhuc deſint inter ipſos, Turcas praeſertim, Perſas, Seres & vicinos populos, qui geſta regum ſuorum litteris conſignent, quorum tamen libri, tum ob itinerum difficultatem, tum ob linguarum imperitiam minus adhuc nobis innotuerunt, adeoque paucis Catonibus contenti erimus, praeſertim cum hic ſchediaſmata, orationes & poëmata plane nos deſtituant.

§. II.

Inter haec imperia *moſcicum* ſane primum obtinet locum, tum quod chriſtianum, tum quod non adeo longe a nobis remotum, neque, credo, Moſci aegre ferent, ſe a nobis hoc loco recenſeri. Quamuis enim hodie omnem

omnem operam nauet Petrus ipſorum imperator, vel vt appellari vulgo ſolet *magnus dux*, vt ad elegantiam & humanitatem traducantur, neque ſegniter conatus iſte aut infeliciter procedat; attamen plerorumque nondum ita emollitus eſt animus, vt inter cultiores populos referri poſſint.

§. III.

Ceterum moſcicam huius ſeculi hiſtoriam cognoſcere deſiderantibus commendamus ante omnia ADAMI OLEARII *itinerarium moſcico-perſicum* ſermone germanico exaratum, ac primum Sleſuici 1647 poſteaque locupletius longe anno 1656 ibidem excuſum, ex quo exemplo noua deinde editio Hamburgenſis, ante paucos annos edita, expreſſa fuit. Ibi enim non tantum libro 1 & 2, vt & libro vltimo, multa ad Moſcouiam pertinentia perſpicue & docte explicantur; ſed libro etiam tertio integro Ruſſiae ſiue Moſcouiae, morumque totius gentis accuratiſſima deſcriptio repraeſentatur. Gallis certe hoc iter tantopere placuit, vt a *Viquefortio* in ſuam linguam traductum, & anno 1659 in 4 editum duobus voluminibus ſumma cum voluptate legant. Oleario adiungimus SKYTTII Sueci *legationem ad Danos, Belgas, Anglos*; cui acceſſit *deſcriptio Ruſſiae* PETRI IANSONII, prodiit in Belgio anno 1619 in 4. *Tomum ſeptimum Itinerum hiſtoricorum* Lutetiae 1698 gallice in 12

editum, qui *Moſcouiae* impenditur. *Tragoediam moſcouiticam*, ſiue de vita & morte Demetrii impoſtoris (qui miras ſub initium huius ſeculi apud Muſcos turbas dedit,) narrationem, Coloniae 1608 in 8. MARGARETI centurionis Galli, *narrationem de rebus moſcicis*, & illis, quae ibi anno 1580-1606 acciderunt, Pariſiis 1607 in 8 gallice. Narrationem admodum curioſam *de ſtatu Rußiae*, ab anonymo Anglo ſcriptam, gallicaeque conſuetudini traditam; cui acceſſit *hiſtoria motuum ruſſicorum ſub Boriſio & Demetrio*, Pariſiis 1679 in 12 gallice. *Ruſſiam* ſiue *Moſcouiam* inter Reſpublicas Elzeuirianas anno 1630 excuſam, aliam ibidem *Moſcouiae rempublicam* ibidem apud Iohannem Mairium 1630 impreſſam, quae diuerſa eſt a priori & hoc imprimis eximium habet, quod ANTONII POSSEVINI Ieſuitae *diatriben de Moſcouia* contineat. *Moſcouiam* latino ſermone ab anonymo ex variorum narrationibus deſcriptam, & Pataui anno 1687 in 8 editam. DANIELIS PRINTZ a BVCHAV *deſcriptionem Moſcouiae*, Niſſae 12 non ita pridem ſermone latino editam. SCHLEVSINGII *Anatomiam Ruſſiae deformatae* anno 1688 in 12, eiusdemque *Siberiam*, quae in ditione Moſcorum vaſta eſt prouincia, quo exules & facinoroſos magno numero deportari ſolent, Dantiſci 1692 in 8. Quamvis iſti libelli nihil ferme ſingulare contineant, niſi

niſi hiſtoriam motuum & tumultuum nuperorum, quam tamen alii forte rectius explicabunt. Auctor enim mihi hic Vratislauiae probe cognitus, nihil aliud his libellis ſuis agebat, quam vt pecuniam ab illis, quibus eos offerebat, extorqueret, hocque modo inopiae ſuae conſuleret: vnde etiam in Siberia paſſim ſatis inepte repetit, quae in Anatomia iam antea protulerat. Alt melioris genii ſunt, & diutius aetatem ferent comitis CARLILII, legati Angli, *commentarii de legationibus, a ſe nomine Caroli II ad Suecum, Danum & Moſcum ſuſceptis*, quorum ego editionem gallicam anno 1699 in 12 poſſideo. ALBERTI VIMINAE ſupra memorati, *Irruptio Moſcorum in Poloniam*, & *Notitia Moſciae*, quae vna cum *Sueciae notitia* ſupra a nobis, neſcio quibus de cauſſis, omiſſa; Hiſtoriae bellorum ciuilium polonicorum appendicem conſtituunt. AVGVSTINI L. B. DE MEIERSBERG, Legati caeſarei, *Iter moſcicum*, latine 1679 in folio, cui acceſſere *ſtatuta moſcica*, nunquam antehac, quod ſciam, impreſſa; traductus quoque fuit hic liber ob eximiam vtilitatem in linguam gallicam, prodiitque Lugduni Batauorum 1688 in 12. Narratio ADOLPHI LYSECK de iis, quae anno 1675 a legatis caeſareis in Moſcouia geſta fuere, Salisburgii 1676 in 8. NEVVILLII *Status Moſcouiae nuperrimus*, *(L'Etat de Moſcouie)*

Lutetiae 1698 in 8 & 12; cuius libri verſio belgica, quae anno 1699 in 4 prodiit, ea de cauſſa commendabilis eſt, quod epiſtola acceſſerit, in qua teſtis oculatus de capta Aſopho, & conſiliis Moſcorum principis nunc regnantis multa ſingularia profert. Extremos Ruſſiae fines, qua Seribus affines ſunt, nemo curatius deſcripſit, quam AVRILIVS Ieſuita Gallus, in Itinere, Pariſiis in 4, & 12 anno 1692 ſermone gallico edito; cum quo coniungi debet ADAMI ISBRANDI *legatio nomine Moſcorum imperatoris ad imperatorum Sericum ſive tartaricum*, quae anno 1697 germanice in 12 edita. Qui poſt hos ſcriptores faſtos ſive ephemerides Lipſienſes, (vulgo moſcowitiſcher geſchichts-calender) 1698 in 8 editos legere volet, meo iudicio, vix operae pretium faciet.

CAPVT

CAPVT XIV.

IMPERIVM TVRCICVM ET TARTARIA.

§. I.

Circa hoc imperium verſantibus, rem ita diſpeſcere viſum eſt, vt primo de illis dicturi ſimus, qui itineraria, tum per vniuerſum ferme imperium turcicum, tum per ſingulas eius partes confecerunt, adeoque tum chorographiae, tum hiſtoriae multum lucis affudere. Secundo autem loco de illis agamus, qui notitiam reipublicae turcicae tradiderunt; quo etiam illos referemus ſcriptores, qui conſilia de bello contra Turcas feliciter adminiſtrando ſuppeditarunt. Tertio denique hiſtoriae tum generalis, tum ſpecialis, quantum quidem ad hoc ſeculum attinet, digeramus.

§. II.

Inter *Itinera huius ſeculi* (praeterita enim omittimus) primum facile locum occupant BREVESII, oratoris gallici apud Turcas, *iter Conſtantinopolitanum*, *Hieroſolymitanum & Aegyptiacum*, Pariſiis 1630 in 4 gallice. HENRICI BARONIS BELLOVACI *Iter in orientem ſuſceptum*, Tuli 1608 in 8 gallice. *Petri de valle*, equitis romani, *Itinerum tomus 1*, qui imperio turcico integer impenditur, quorum eſt optima editio romana in 4 anno 1650,

quamuis deinde Venetiis quoque minori forma prodierit, & ſermone germanico in folio lucem adſpexerit. LESLEI comitis *Legatio turcica*, a Paulo Tauernierio ſcripta ſermone latino, & Viennae 1672 in 8 impreſſa. IVSTINI COLIERII, oratoris ad tyrannum Byzantinum bataui, *Legatio turcica*, Geneuae in 12 gallice. *Domini des* HAGES *Iter turcicum* Pariſiis 1645. LOIRII ſimile *Iter*, ibidem 1654. FERMANELII, FAVVELLII, BALDVINI & STOCHOVII *hodoeporica*, Rotomagii 1662 in 4. *Iter & obſeruationes itinerariae* BOVLLAGE LE GOVTZ *per Turciam, Perſiam & Indiam*, Pariſiis 1657 in 4 gallice. THEVENOTI *Itinerum tomus 1*, in quo prouinciae Turcis ſubditae accurate repraeſentantur. EDVARDI BROWNII *Iter* anglice, gallice & germanice editum: optima eſt editio ſecunda, quae lingua anglica Londini 1685 in folio prodiit; neque tamen ibi ſolum imperium Turcarum, ſed varia quoque Germaniae, Hungariae & Italiae loca illuſtrantur. SPONII *Iter italicum, dalmaticum, graecum & turcicum*, cuius editio Lugduni Gallorum 1678 longe praeferenda eſt Amſtelodamenſi, quae anno ſequenti prodiit. Oppoſuit ſe quidem ei GVILLETVS mox nominandus; ſed SPONIVS *apologia*, Lugduni anno 1680 edita, Iter ſuum egregie defendit. TAVERNIERII *Itinerum tomo 1* varia quoque imperii turcici loca deſcri-

deſcribuntur. *Sponiani* itineris comes GEORGIVS WHELERVS, & ipſe *itinerarium* confecit, Sponiano non abſimile, cuius optima editio eſt anglicana, quae in folio Londini prodiit; nam gallica, quae Amſtelodami lucem adſpexit, longe deterior eſt. MONCONISII *Itinera per integrum ferme imperium turcicum ſuſcepta*, primum gallice 4 anno 1666, & deinde iterum Pariſiis 1695 in 12 quinque voluminibus prodierunt, & iam cura *Iunckeri*, conrectoris gymnaſii Schleuſingenſis, germanice loqui didicerunt. *Itinerarium orientale* PHILIPPI A SANCTISSIMA TRINITATE, carmelitae excalceati, latino ſermone conſcriptum, & Lugduni 1645 in 8 editum, pauca imperii turcici loca, pleraque viciſſim perſica & indica attingit. MONTII *Iter per Germaniam, Galliam, Italiam & Turciam ſuſceptum* hic vtique cum cura dicendum eſt, quia geminae eius proſtant editiones: prior prodiit Hagae Comitum 1694, conſtatque epiſtolis ad exemplum Petri de Valle ſcriptis viginti nouem; aſt poſterior ibidem anno 1699 impreſſa & in quatuor tomos digeſta longe quidem auctior eſt priore, neque tamen ideo illam poſſidentibus, vt eam ſeponant, ſuaſerim; nam ſunt quaedam in priore, quae non legas in poſteriore, e. g. quae p. 3 editionis primae de Spirenſium deliciis dicuntur, quae p. 16 de centurionis Coccheimenſi praeſidio praefecti

negligentia proferuntur, quae p. 17 in Bouflerium & eius dimachas, quae p. 19 de Durlacenſi bibliotheca, p. 21 de auctoris captiuitate Argentinenſi, p. 23 de Vxellio Moguntiae, cum Gallicam tenerent, gubernatore, p. 25 de Argentoratenſium ob religionem periculis, occurrunt, in poſteriori editione omnino non leguntur. Sic quoque deficit p. 45 hiſtoria ridicula de Fertilladeo, equitum tribuno, & archiepiſcopo Lugdunenſi, Villaregio, (vbi in transcurſu moneo, alios velle hoc ipſum colloquium inter Aleſium comitem prouinciae pro-regem & Alfonſum Richelium, Iohannis Armandi Richelii cardinalis, rerum gallicarum arbitri fratrem, habitum fuiſſe,) quae p. 51 & 52 de mendico narrantur, quae p. 70 auctori Ciſteroni in Prouincia acciderunt, quae p. 77 de regis Galliarum aſpero in ſubditos ſibi populos imperio obſeruantur. Nec etiam in poſteriore legas characterem epiſcopi Maſſilienſis, quem p. 87 prioris inuenis; p. 105 in priore exſtat hiſtoria de duobus peregrinis, & p. 109 ſeq. alia de ſpectro Nemauſenſi ridiculo, quas in ſuperiore fruſtra quaeras. Eadem eſt ratio eorum, quae p. 122 de Alexandro VIII, p. 126 de tumultu in aede Ludouici Romae, p. 143 de voto equitum Rhodiorum, p. 147 de veſtitu equitum Melitenſium quorundam factis ſceleratis, pag. 158 de quaeſitorum fidei in illa inſula iudicio formi-

formidabili, p. 188 de bello Quercetani in Poloniam itinere, p. 196 de oratoris gallici cum Caimacano colloquio, p. 208-209 de Gallorum cum Turcis amicitia traduntur. Sic quoque multum in ſecunda editione immutata ſunt: quae p. 172 editionis primae, de conſule, quem vocant, Belgarum Smirnenſi, eiusque laudibus legas, quae p. 207 ridicula de iudicis cuiusdam turcici iniuſtitia commemoratur, ſiue fabula ſiue hiſtoria, in poſteriore iterum omiſſa eſt: vide quoque quae p. 374 & 378 in priore narrantur, & quae p. 385 ſeq. de oratore gallico habet, in longe aliam formam in ſecunda transfuſa; conf. 391 de Stephano quodam, p. 396 de principe Brunſuicenſi, p. 406, 407, 445, 457, 459, 462, 463, 466 de moribus & luxu Venetorum: Ad ſummum, non ſperno editionem ſecundam, nec tamen libenter caruerim priore. POVLLETI & QVICLETI *Iter* inter ſelectiora referendum eſt: prodiit duobus tomis gallice Pariſiis 1688 in 12; quamuis ipſius Quicleti ſeorſim quoque anno 1666 in 12 ibidem lucem adſpexit; ſed vt hoc non magni eſt momenti, ita in altero multa leges, quae haud facile alibi inuenies, ſtilo tamen obſcuro, & multa inſuper continet phyſica, quae auctor rectius in alium locum confeciſſet. Videtur etiam Turcarum errores & delirium nimium excuſare & fabulis eorum allegorica

interpretatione, ſtudio homine chriſtiano haud ſatis digno, auctoritatem aliquam conciliare; quae cum animum eius ad ſuperſtitionem turcicam ſatis propenſum facile arguant, vna cum illis, quae de Quicleti tragico ibi exitu narrantur, ex Schardini Itinerum tomo I p. 16 & 17 lucem accipient. HENRICVS BLOVNT Anglus *hodoeporicon* edidit *turcicum & ſyriacum*, cuius octaua editio Londini 1671 anglice prodiit: germanice a Iohan. Georg. Schochio hic liber verſus & in 4 editus eſt, qua verſione vix vllam magis nitidam & exactam vidi; vnde talium librorum ſtudioſis optimo iure commodari poteſt. ALBERTI CAPRARAE, legati caeſarei ad aulam turcicam, *Iter* a Iohan. Benaglia deſcriptum, & Venetiis 1688 in 12 editum, vt & MICH. BENVENGAE *Iter turcicum* ibidem 1688 in 12; CORNELII MAGNI *Itinera* duobus tomis 12 italice; GEORGII SANDIS *hodoeporicon* Francofurti 1696 in 12 germanice ex anglico redditum, & antea ſaepius editum, non ſunt omitenda, vt & *Iter gallicum iuſſu regis Ludouici XIII anno 1621 per Dominum D. C. ſuſceptum*, quod altera editione Pariſiis 1632 in 4 prodiit; vbi praeſertim delineationes praecipuarum vrbium & arcium ſatis accurate inueniuntur. PALERNVS etiam quidam Gallus initio huius, quod finimus hoc anno, ſeculi, *Iter in prouincias*

turcicas,

turcicas, quod cum GEORGII CHRISTOPHORI a NEITSCHÜTZ Noribergae 1674 in 4, OTTONISque FRIDER. a GRÖBEN *Peregrinatore brandenburgico* Marienwerderae 1693 in 4, ſi placet, conferri poteſt; quanquam inde non multum, fateor, lucis lectori ex prioribus libris res turcicas edocto accedat. MELCHIORIS SCHMIDII pellionis Dresdenſis *Captiuitatis turcicae*, anno 1684 in 8 editae, vix meminiſſe decebat, niſi monendi eſſent auditores, vt ab homine inſulſe mendaci ſibi caueant. Fingit ille, non narrat, ſe anno 1640 in Hungariam contendiſſe, & ibi a Turcis captum fuiſſe; addit, paullo ante Strigonium in Turcarum poteſtatem deueniſſe, impudentiſſimeque mentitur delegatum Caeſaris Conſtantinopoli 1664 litteras ad ſe dediſſe, in quibus referat, Osmannem Turcarum regem paullo ante ſtrangulatum fuiſſe; aſt quam vera haec ſint, qui vel primis labris hiſtoriam turcicam deguſtarunt, abunde ſcimus, quos non fugit, Strigonium 1604 in Turcarum poteſtatem veniſſe, & Oſmanni caedem 1622 accidiſſe, nec vnquam circa annum 1640, Caeſari Auguſto Ferdinando III bellum cum Turcis interceſſiſſe. Equidem & ſcriptorem & editorem pudor commentorum ſubire debebat; ſed inuenies homines profligati pudoris, qui in media luce haud erubeſcere didicerunt, quos inter etiam hic

Schmidius noſter. Poſtliminio huc reuocamus CORNELII BRVYNII ſcriptoris batavi *Itinera*, per potiſſimas imperii turcici prouincias, quae Delphis 1698 ſermone belgico in folio lucem adſpexerunt, & plus quam 200 figuris aeneis, iisque ad ſtuporem elegantiſſimis, illuſtrantur.

§. III.

Gradum promouemus ad eos, qui ſingulas prouincias turcicas ſtilo ſignarunt, & hic nominamus IOSEPHVM GRELOTIVM Gallum, qui *Iter ſuum Conſtantinopolitanum*, cum iconibus praecipuorum aedificiorum, ſermone vernaculo Pariſiis 1681 in 12 publicauit, ac plura ſe editurum promiſit, quae tamen ſpes hactenus decollauit. Aegaei maris inſulas luculenta deſcriptione illuſtrauit FRANCISCVS PLACENTIA in *Mari Aegeo rediuiuo*, quod anno 1688 in 4 italice cum tabulis geographicis publicauit. *Status maris Aegei*, vt nunc ſe habet, quatuor voluminibus in 12 Pariſiis 1678 prodiit. *Conſtantinopoleos* luculentam exhibet *notitiam* THOMAS SMITH, ſermone primo latino vna cum epiſtolis infra commendandis, Oxonii 1674; & *ſeptem Aſiae eccleſiarum notitiam* 12, ac deinde Traiecti locupletius 1698 in 8 editam. *Obſeruationes de boſphoro* italice ſcripſit LVDOV. FERDIN. MARSIGLIVS comes Italus, Romae 1681 in 4. Et huc quoque pertinet PETRI GALANDI, antiquarii

antiquarii regii gallici curata *deſcriptio geographica boſphori thracii. Hiſtoria ducum maris Aegei cum deſcriptione inſularum rerumque in illis memorabilium ab anonymo* compoſita & tomis duobus ſermone gallico Lutetiae 1698 in 12 publicata. *Anonymi Galli Iter graecum & italicum*, Lutetiae 1698 in 12 gallice. GVILLETIERII *Athenae veteres & nouae* Pariſiis 1676 in 12. *Eiusdem Lacedaemon vetus & nova*, cum ſelectis, de rebus geſtis Mahumedis IV, & ſeceſſu eius theſſalico, obſeruationibus, Pariſiis 1676 gallice in 12; quamuis multa ibi ſubleſtae fidei & vera falſis interpolata ſint. CORONELLVS geographus Venetus, Venetiis 1688 deſcriptionem *Rhodi* dedit, cui & vicinae inſulae acceſſerunt; prodiit ſermone italico in 8: ſucceſſit anno 1689 *Euboea* ſiue *Nigropontus*. Cum Veneti *Chium* 1694 occupaſſent, Noribergae 1695, *deſcriptio huius inſulae & Natoliae ſiue Aſiae minoris* in 12 germanice prodiit. DAPPERVS ſermone belgico *deſcriptionem inſularum archipelagi* ſiue *maris Aegei* & *Peloponneſi* compoſuit, Amſtelodamique in folio edidit. IOSEPHVS GEORGIRENES Graecus, inſulas *Samum*, *Nicariam* & *Pathmum*, vt & *Atum montem* deſcripſit, qui liber germanice in 12 anno 1681 prodiit. Et huc etiam referenda eſt *deſcriptio germanica montis Olympi* ſiue *Graeciae & maris Aegaei*, quae Auguſtae Vindelicorum 1688 germanice cum

aeneis figuris non inelegantibus prodiit, vt & *Cyanearum* ſiue *Boſphori thracii, Propontidis, Ponti euxini, Cyprique* & *Cretae*, anno 1687 in 8. Itinerum in Palaeſtinam ſuſceptorum tanta eſt copia, vt nauſeam ferme concitent, & plerique quidem, qui ſupra iam dicta hodoeporica per potiſſimas imperii turcici provincias ediderunt, non omiſere Palaeſtinam, e. g. Theuenotus, Monconiſius, Bruynus, &c. Sed ſunt etiam, qui ſeorſim hanc prouinciam adminiſtrarunt, quos inter familiam ducat FRANCISCVS QVARESMIVS in *Elucidatione terrae ſanctae*, quae Antuerpiae latina lingua duobus voluminibus folio 1639 prodiit. Sequuntur IOHAN. COTOVICI *Itinerarium hieroſolymitanum & ſyriacum*, Antuerpiae 1619 in 4 latine. *Fratris Auguſtini Siculi Peregrinatio in Palaeſtinam*, Panormi 1632 in 8. *Patris Nau S. I. Iter in Palaeſtinam* 1683 in 12 Pariſiis. *Didaci de Cea Theſaurus Terrae S.* Romae 1639 in 4. Eugenii Rogeri *monachi Franciſcani Iter hieroſolymitanum*, multis ac ineptis ſcatens fabulis, Pariſiis 1664 in 4. IOHAN. DOVBDANI *Iter hieroſolymitanum* 1666 in 4. ODOARDI DAPPERI *Syria & Palaeſtina* 1681 Amſtelodami fol. typis nitidiſſimis germanice & belgice editae, compendium quaſi eorum exhibens, quae plures alii ante eum ſcripſerant, figuriſque nitidiſſimis inſuper exornata, qui Dapperus reliquas itidem imperii turcici

turcici prouincias, puta Aſiam minorem, Arabiam, Meſopotamiam, Babyloniam vna cum Perſia & India illuſtrauit; prodiit Noribergae apud Hoffmannum in folio 1681. IOHAN. IACOBI BEVNINGII *Iter*, Argentorati 1612 in folio. Pertinent huc quoque HIERONYMI DANDINI *Iter in montem Libanon*, Ceſenae 1656 in 4. Quod deinde *Richardus Simon*, tot ſcriptis famoſus, Pariſiis 1675 gallice cum notis in 12 publicauit. FAVSTVS NAIRONVS de *origine Maronitarum*, Romae 1699 in 8. IOSEPHI BESSONI *Syria ſacra* Romae 1662 in 4 italice. BERNHARDI *Iter hieroſolymitanum* Pariſiis 1621 in 8. *Anonymi Iter in terram ſanctam* Pariſiis 1688 in 8. *Anglorum anonymorum duo Itinera hieroſolymitana*, ſermone anglicano Londini 1692 in 12. Addantur GABRIELIS SIONITAE *Arabia*, quae Amſtelodami 1633 prodiit. MICH. VANSLEBII *Itinera aegyptiaca*, quae italice, Pariſiis 1671, & gallice 1677 in 12 prodiit; vt & COPPINI *Iter aegyptiacum & ſyriacum*, Pariſiis 1686 in 4 gallice. Exſtat quoque in *collectione itinerum*, quae gallico ſermone, Pariſiis apud Auguſtum Courbeum 1651 prodierunt in 4, *Narratio Caeſaris Lamberti Maſſilienſis de iis, quae Memphi Alexandriae, & in aliis Aegypti vrbibus obſeruauit*; confecit autem iter iſtud 1627, 28, 29, 32. Hanc narrationem ibidem excipit *Notitia Aegypti a Iacobo*

Alberto 1634 ſcripta: & *Reditus Aegyptiaci a S. Seguezzio 1635 conſignati.*

§. IV.

Deſcriptionibus geographicis ſuccedat notitia ſtatus & aulae Turcarum. Et hic commendo praeter *Rempublicam turcicam Elzeuirianam* 1634 in 24, *theatrum turcicum* MICH. FEBVRII gallice in 4, Pariſiis 1682 & italice Bononiae 4 anno 1683. THOMAE SMITHI *epiſtolas duas de inſtitutis ac moribus Turcarum:* Oxoniae 1674 in 12. *Speculum imperii turcici comitis Magdalenaei*, Baſileae 1681 gallice. *Notitiam potentiae ottomannicae*, vt nunc ſe habet, cum cauſſis incrementi & deminutionis, auctore VIGNAN, qui legato gallico ab epiſtolis arcanis fuit, prodiit Pariſiis 1687 in 12, & inſigne gallicae arrogantiae ſpecimen ac inuidiae erga Germanorum in Hungaria progreſſus exhibet. TAVERNIERII *deſcriptionem palatii regii Turcarum*, quae Pariſiis 1678 in 4, ſeorſim prodiit & Amſtelodami 1679 tomo tertio Itinerum inſerta fuit; ſunt tamen, qui haud abs re hanc hiſtoriam pro ſuſpecta habent. Sed ante omnia meminiſſe debebam *Status turcici*, quem PAVLVS RIGALTIVS, conſul (vt vocant) Anglorum Smirnenſis, infra nominandus, 1669 primo anglice in lucem emiſit, quique Londini 1687 folio recuſus fuit;

fuit; tantopere enim ille placuit, vt non modo a Brioto 1671 gallice longe melius accuratiusque 1677 a Besbierio, & linguae turcicae & arabicae peritiſſimo, cum notis ac figuris accuratiſſimis, ſed etiam a Conſtantino Bello italice redditus, & Venetiis 1672 in 4 editus fuerit. Faciunt huc quoque *Bernhardi* Itali monachi Franciſcani *Notitia Conſtantinopolis*, ſermone hiſpanico Neapoli 1633 in 12. *Anonymi Aula ottomannica*, Pariſiis 1669 gallice. OCTAVII SAPIENTIAE *nouus de Turcia tractatus, & deſcriptio Byzantii*, Mantuae Carpetanorum 1622 hiſpanice in 4. ANTONII GEROBOLDI, nobilis Epirotae, *Trutina hiſtorico-politica imperii ottomannici*, Venetiis 1686 in 4 italice. *Secretarius turcicus* VIGNAVSII continens artem exprimendi cogitata, ſine viſu, ſermone & ſcriptura: cui accedunt plurima aulae turcicae notitiam illuſtrantia, Pariſiis 1688 in 8. IACOBI NAGY DE HARSANI *Status turcicus loquens*, ſiue colloquia turcico-latina de regimine turcico, Berolini 1672 in 8. Poſſes etiam huc referre HAGECII ANATOLII *Herothetem*, ſiue de regni turcici imperio, Hamburgi 1611 in 8. ALBERTI BOBOVII Poloni ex-chriſtiani *tractatum de Turcarum lithurgia, & peregrinatione Meccana*, quem *Thomas Heyde* bibliothecarius Oxonienſis Itineribus, Brizolidae 1691 in 4 editis, adiunxit. IOHAN.

BAPT. DONATI, ſenatoris Veneti & oratoris apud Turcas, (vulgo *Baiulum* vel *Bailo* vocant) obſeruationes *de re Turcarum litteraria*, Venetiis 1685 in 12 italice. Referendi inſuper ſunt in hunc cenſum, qui de bello cum Turcis gerendo ſcripſerunt; quorum quidem ſuperiore ſeculo magnus exſtitit numerus, vt teſtatur *collectio Reuſneriana* duobus tomis conſtans, ſed hoc ſeculo materia iſta non adeo copioſe tractata fuit; habemus tamen CONRINGII de *bello cum Turcis gerendo collectionem*, Helmſtadii 1664; IOH. BAPT. COPPINI antea laudati *Clypeum Europae*, ſiue conſilium de bello turcico adminiſtrando, Pariſiis 1688; IOBI que LVDOLPHI *diſſertationem de bello turcico feliciter conficiendo*; acceſſerunt epiſtolae quaedam Pii V pontificis maximi, & alia nonnulla eiusdem argumenti, Francofurti 1688. Inſpiciendus quoque eſt IOHAN. HVMMEZZIVS de *Turcarum euerſione*, Spirae 1674 in 4. IOSEPHI MARIAE MARAVIGLIAE *Legatus ad principes chriſtianos pro euertendo Turcarum imperio*. Et anonymi *Suſcitabulum italicum ad Chriſtianos*, quo monentur, adeſſe opportunitatem, imperium turcicum aggrediendi, Lucernae Helvetiorum 1686. Supplementi loco adiicio LVDOVICI BASSANI libellum itidem italicum de *moribus Turcarum*, 1645 in 8. Et quas pene oblitus fueram ſummi momenti *Memorias*

CRVCII

CRVCII, Pariſiis 1684 gallice editas, vt & commentarium mſct. quem poſſideo, italicum de aula turcica.

§. V.

Ipſam Turcarum hiſtoriam generalem vſque ad hoc ſeculum, & res in eo geſtas deduxerunt VERDIERIVS Gallus, non vſque adeo magni momenti ſcriptor, Lugduni Gallorum voluminibus tribus in 12 anno 1667 gallice. Maioris pretii eſt *hiſtoria imperii turcici* cum vitis imperatorum ex lingua turcica in gallicam ab eodem *Crucio* traducta, tribus tomis in 12 Pariſiis 1695. RICHARDI KNOLLES *Hiſtoria turcica* a *Ricalto* & *Rogero Manlio* continuata, Londini 1687 in folio anglice. Vbi monendum eſt, Ricaltii continuationem etiam gallicae conſuetudini traditam eſſe. Laudantur quoque IOHAN. SAGREDI *commentarii hiſtorici de imperatoribus turcicis*, Venetiis 1673 in 4, ſaepius dein recuſi. *Hiſtoria Turcarum* ARTHVSII THOMAE & MEZERAEI, voluminibus duobus in folio Pariſiis 1662 cum figuris aeneis. SANSOVINI & BISACCIONI *hiſtoria turcica* Venetiis 1654 in folio. VANELII *compendium hiſtoriae turcicae*, 1689 quatuor voluminibus in 12 gallice Pariſiis. *Anonymi hiſtoria ottomannicorum imperatorum vſque ad Solymannum III*, Bruxellis 1689 in 12 gallice. FERD. SERVI *compendium hiſtoriae*

turcicae, italice in 4. Ad hiſtoriam huius ſeculi ſingularem pertinet *Clades Turcarum & expugnatio Leucadis per equites Rhodios*, Pariſiis 1625 in 8. BOBOVII ſupradicti narratio de *coniuratione contra Mahumedem IV adhuc puerum ab auia inita*, quae tomo quarto operum Iſaaci Baronii anglice editorum habetur. *Hiſtoria Mahumedis IV exauctorati*, Amſtelodami 1688 in 12. CRVCII *hiſtoria bellorum a Turcis nuper cum Polonis, Moſcis & Hungaris geſtorum*, liber certe non ſpernendus prodiit Hagae Comitum 1689 in 12. *Vitam Patris Dominici Ottomanni*, quem filium Ibrahimi IV Melitenſes & Dominicani ſeu ex vero ſeu ex falſo iactarunt, libris decem ſermone italico non ineleganter deſcripſit OCTAVIVS BVLGARINVS, multaque ad res turcicas pertinentia inſeruit: prodiit Neapoli in 4 an. 1689. Hiſtoriis vniuerſalibus addatur quoque liber germanicus ex Sagredo, Rigaltio, Foſcarino & aliis collectus, & ſub titulo *Portae ottomannicae*, Auguſtae Vindelicorum 1691 editus, cui nuper inſigne augmentum acceſſit.

§. VI.

Tartaros & Tartariam pauci deſcribunt: exſtat tamen *tomo primo Itinerum*, a *Theuenoto* lingua gallica Pariſiis 1663 editorum IOHANNIS DE LVCA, ex Dominicana familia monachi.

monachi, *relatio de Tartaris varii generis*, cui acceſſere ad marginem notae Poloni cuiusdam, & excerpta ex memoriis hiſtoricis Belloplani; vide fol. 14 vſque ad fol. 30. Poſſunt etiam ibidem fol. 31-51 inſpici ARCHANGELI LAMBERTI *narratio de Colchide & Mengrelia*, vt & PETRI DE VALLE *deſcriptio italica Georgiae*, quas regiones, Colchidem puta & Mengreliam, vt & Scythiam Crimenſem inſigniter quoque illuſtrauit CHARDINIVS in *Itinere perſico* fol. 60-248. PETRVS etiam BERGERON plurima collegit *Itinera in Tartariam* ſuſcepta, & Pariſiis 1654 in 8. edidit.

CAPVT XV.

PERSIA.

§. I.

IN hiſtoria perſica pauci ſane ſcriptores occurrunt, neque praeter itinerariorum & chorographicorum ſcriptores adhuc exſtitit, qui iuſto ordine hiſtoriam perſicam deſignarit, cum tamen inter ipſos non deſint, qui ſtilo eleganti, magna cum cura, hiſtoriam & annales gentis ſuae compoſuerunt. Interim cum nunc quidem his deſtituamur, conſulendus ante omnia erit OLEARIVS in *hodoeporico* ſupra laudato. Ante Olearium idem ſaxum non illaudabiliter voluit PETRVS DE VALLE *Itinerum tomo ſecundo & tertio*, cuius editionem Romanam anni 1662 commendamus. Coniungi cum eo debet GARZIAE DE SYLVA FIGVEROA *Legatio perſica ad Abam regem*, quam nomine Philippi III regis Hiſpani obiit; ex ſermone hiſpanico in gallicum a Viquefortio traducta, & Pariſiis 1667 in 4 edita. PETRI TECHERAE Hiſpani narrationes de *regibus Perſiae*, alias acuratiſſimae, quae cum itinerario eius Antuerpiae 1610 in 8 prodierunt hiſpanice, vt & latine & gallice, magis hiſtoriam ſuperiorum ſeculorum, quam hanc noſtram illuſtrant. PETRI DE VALLE libellus de *Abae I, Perſarum hoc*

ſeculo

ſeculo regis maximi, moribus; prodiit Romae 1628 in 4. THEVENOTI *Perſia* conſtituit partem ſecundam itinerum ab ipſo factorum; prodiit Pariſiis 1674 in 4. THOMAE HERBERTI *Iter perſicum & indicum*, ex anglica in gallicam linguam translatum, prodiit Pariſiis 1663 in 4. TAVERNIERII *Itinerum pars prior* complectitur *perſicum;* optima eſt Pariſienſis editio 1677 in 4. IOHAN. STRAVSSII *Itinera* belgice primo 1676 in 4 publicata, & deinde in germanicum quoque ſermonem translata, praeter Perſidem, Moſcouiam quoque deſcribunt, vnde iam ſupra eorum mentio fuerat iniicienda. Pariſiis ab anonymo edita fuit 1673 *deſcriptio eorum, quae in Perſide viſu digna ſunt*, 4 cum figuris aeneis. IOH. CHARDINII *Iter perſicum*, iam ſupra commemorauimus; dolendum vero eſt eius tantum priorem prodiiſſe partem, reliquas autem, neſcio quo fato, intercidiſſe, in quibus tamen annales perſicos ſe ex vernaculis ſcriptoribus repraeſentaturum eſſe promiſit. Eiusdem *Inauguratio ſiue coronatio Solymanni III, regis Perſarum nuper defuncti*, Pariſiis 1671 in 12 gallico ſermone prodiit, lectuque digniſſima eſt, quamvis *Crucius* in *epiſtola, quam Theuenoti Itinerum parti ſecundae* praefixit, eum in multis imperitiae arguat, quod tamen haud dubie ex liuore erga ſcriptorem proteſtantium partibus addictum euenit. Edidit etiam Viennae 1668

in 4 PETRVS BEDICK *Pers-armenus*, vt ſe ipſum vocat, ſermone latino in 4 librum in his oris admodum rarum, *Che Hil* nempe *Sutum*, ſiue explicationem vtriuſque celeberrimi & pretioſiſſimi theatri 40 columnarum in Perſide; cui adiecit *narrationem* copioſam, de religione, moribusque Perſarum, eorundem viuendi modo, populis vicinis, aliisque ſcitu dignis. SAMSONII *Status praeſens Perſiae*, prodiit gallice 12 anno 1695. Anno 1699 belgicae conſuetudini ex anglico ſermone traditum eſt *itinerarium perſico-indicum* FREILAERI medici, quod non pauca lectu digna complectitur. His omnibus adiiciatur *Perſia*, ſiue ſtatus regni perſici Lugduni Batauorum inter *Reſpublicas Elzeuirianas*, 1637 cura Iohan. Latii in 24 editus, qui inter illos libellos praecipuum ferme locum meretur, continet enim excerpta ex itineribus optimis variorum magna cum cura ſelectorum.

CAPVT

CAPVT XVI.

IMPERIVM MAGNI MOGOLIS, ET ALIA INDIAE, QVA AD ORIENTEM VERGIT, REGNA.

§. I.

VAſtum illud magni Mogolis imperium, & res hoc ſeculo geſtas illuſtrarunt IOHAN. LAET in *Republica* 1631 ab Elzeuiriis edita, ſiue *commentario de India vera.* FRANCISCVS BERNIERIVS, medicus Gallus, in *commentariis de imperio magni Mogolis*, Pariſiis 1672 in 12. HERBERTVS in *Itinerario* ſupra laudato. TAVERNIERIVS *Itinerum tomo ſecundo.* THOMAS RHOE legatus anglicus, cuius *narratio* in *collectione itinerum Theuenotiana* inuenitur. MANDELSLOVS in *Itinere indico.* Addendi ſunt, qui reliquas Indiae prouincias magno numero deſcripſerunt: & Aubrii quidem fratres ſermone latino & germanico 1609, 1622 *Itinera in Indiam, quae ad orientem iacet, ſuſcepta* iunctim ediderunt. DAPPERVS tomo primo *Aſiae*, Noribergae 1681 edito, regnum magni Mogolis cum Perſia, Georgia Mengreliaque, vt & Meſopotamiam, Babyloniam, Aſſyriam & vicinas regiones deſcripſit. GWALTERVS SCHVLTZ, chirurgus

Harlemenſis, *Iter a ſe in Indiam factum libris tribus* expoſuit, prodiit germanico ſermone Amſtelodami 1676. Acceſſit *narratio de naufragio nauis Batauae admodum horribili.* FRANCISCVS, carmelitanus monachus, edidit *Iter indicum*, Romae in folio 1672 italice. PETRVS DE VALLE *tomo quarto Indiae maximam partem* exhibet. SEBASTIANVS MANRIQVEZ Hiſpanus idiomate ſibi vernaculo *hodoeporicon indicum* edidit, Romae 1649. ABRAHAMI ROGERII *Gentiliſmus reſeratus* prodiit Noribergae ſermone germanico 1663 in 8, cum eruditis annotationibus *Chriſtophori Arnoldi.* GEORGII ANDERSOHNII & VOLQVARDII IVERSENII *Iter orientale*, ab Oleario 1669 editum eſt. IOHAN. IACOBI SAARII *Militia indica quindecennalis*, Noribergae 1662 ſecundum in folio prodiit, quae editio longe auctior eſt priori. IOHAN. NEVHOFII *Iter in Indiam*, ſermone belgico 1682 Amſtelodami in folio prodiit. VINCENTII LE BLANCK *Itinera* Pariſiis 1658 in 4 gallice prodierunt. Laudanda quoque eſt PHILIPPI BALDEI *deſcriptio littoris Malabarici, Coromandelici, & Zeilonis inſulae*; acceſſit *appendix* luculenta de *idololatria Indorum* 1672 belgice & germanice. *Zeilonem* quoque *inſulam* curate deſcripſit RICHARDVS KNOX Anglus; prodiit ſermone anglico Londini 1678; qui deinde liber germanice

editus

editus fuit 1691. Regnum Golcondae & vicinas prouincias luculenter HAVARDVS D. medicus deſcripſit in libro belgico, cui titulus *ortus & occaſus Cormandelii*, Amſtelodami 1693 in 4. Conſulantur inſuper *hodoeporica* CHRISTOPHORI FRICKII 1694 germanice in 8. ELIAE HESSI germanice 8. CHRISTOPHORI SVICERI germanice & belgice 4. RENNEFORTII, Lugduni Batauorum 1688 gallice. DELLONII, Pariſiis 1685 tomis duobus gallicis 12, quod nuper denuo in Belgio recuſum eſt. *Narratio de ſocietate indica a Gallis erecta*, Pariſiis 1666 in 4. IOHAN. MOQVETI *Iter*, ex gallica in germanicam linguam translatum, Luneburgi 1618 in 4. *Iter epiſcopi Berytenſis* ex gallico germanice redditum, Lipſiae 1671 in 4. HOFFMANNI *Iter indicum*, Caſellis 1680 in 8. OLISCHII *Iter indicum in Sumatram*, Lipſiae 1690 in 8. BERII *Iter*, Ienae 1661 in 4. CHRIST. BVRCKHARDI *hodoeporicon*, Hallis 1693 in 12 germanice. DANIEL PARTHEYS *Iter indicum & perſicum*, Noribergae 1697 in 12 germanice, non magni momenti. HERPORTI & RICHOVERI *Itinera*, quorum illud Bernae 1669, hoc Argentorati 1677 lucem adſpexit. EDVARDI TERRYI *Iter indicum* Londini 1655 in 8 anglice. Accedant hiſce ſcriptoribus HAYI *Iter indicum*, Aureliis 1697 in 12 gallice. IOSEPHI DE S. MARIA, carmelitae excalceati, *prima ad Indiam orientis*

expeditio, Romae in 4 anno 1668. CLEMENTIS TOSII *Paganiſmus erroris conuictus, & deſcriptio Indiae geographica & hiſtorica*, Romae 1669 in 4 duobus voluminibus italice. VINCENTII MARIAE DE S. CATHARINA SENENSI, procuratoris, vt vocant, generalis Carmelitarum excalceatorum, *Iter in Indiam orientis*, quinque libris conſtans, Romae 1673 in folio. *Narratio germanica de itinere nauium quinque danicarum in Zeilanum* 1621 in 4 germanice. CARREI *Iter indicum*, Amſtelodami 1699 gallice in 4. ELIVDI NICOLAI (quod nomen eſt fictum) de *ſocietatibus indicis & ſtatu illarum regionum*, Monachii 1619 germanice, vbi Belgae acerrime traducuntur. VERMEVLII *Iter indicum*, Amſtelodami 1677 in 4. *Iter Alexii de Menezes archiepiſcopi Goani*, auctore ANTONIO DE GOVEA, Conimbrae 1606 in folio luſitanice. THEVENOTI *Iter indicum* Pariſiis 1684 in 4. *Hiſtoriam Indiae vtriusque medicam & naturalem* ſtilo ſignauit librisque quatuordecim incluſit GVILIEL. PISO; Amſtelodami prodiit 1658 in folio: ex quo & variis ſimul aliis collector diligentiſſimus ERASMVS FRANCISCI *Florilegium*, ſiue, vt ipſe vocat, *Viridarium indicum* concinnauit, & ſermone germanico Noribergae 1668 in folio germanice publicauit.

§. II.

Gallorum in Aſiam nauigationibus maxime innotuit

innotuit maximum regnum *Siamenſe*, de quo praeter SCHOVTENIVM Belgam & IEREMIAE VLITII *hiſtoriam motuum Siamenſium* 1647 ſcriptam (quarum prior Varenii Iaponiae, poſterior editioni gallicae Itinerum Herberti, loco ſupplementi acceſſit) SCHOVTENIVS etiam CARONII *Iaponiae*, ſuo loco commemorandae, adiectus fuit; conſulendi erunt CHAVMONTIVS eques, legatus ad regem Siami gallicus, in HODOEPORICO, Amſtelodami 1686 in 12 gallice. ABBAS CHOISIVS in *diario eiusdem itineris*, feſtiuiſſime ſcripto, ibidem 1687 in 12 gallice. TACHARDVS S. I. in *Itinere primo* & *ſecundo*: quorum illud Pariſiis 1686 in 4, (quae editio pulcerrima eſt,) & Amſtelodami 1687 in 12; hoc vero 1689 in 12 gallice prodiit ibidem. NICOL. GERVASIVS in *hiſtoria naturali & ciuili regni Siamenſis*, partibus quatuor conſtante Lutetiae 1688 in 4 gallice. LOVBERII ablegati extra ordinem gallici ad regem Siamenſem *commentarii* duobus conſtantes tomis, in quorum altero plurima ſcripta miſcella ad hiſtoriae Siamenſis illuſtrationem pertinentia continentur, Amſtelodami 1691 in 12 gallice. *Vita Conſtantii*, ſummi regis Siamenſium miniſtri, Pariſiis 1692 in 12. Cui opponi debet *narratio de motibus Siamenſibus*, quibus anno 1688 regnum illud exarſit, Amſtelodami 1691 in 12 gallice, cuius libelli auctor eſt FARGIVS, auxiliariorum gallicorum

praefectus, teſtis oculatus, adeoque fide dignus, qui paſſim ſatis aperte innuit, patres Ignatianos Conſtantino, qui in his ipſis motibus miſere periit, nimium tribuiſſe, ſpesque ſatis immaturas, quae nimium quantum poſtea decollarunt, aluiſſe.

§. III.

Indiae quoque regnum accenſetur Tibeth, regnum Lao, regnaque Tunchinenſe & Cochinginenſe: Ac regnum quidem Tibeth gallica narratione illuminatum eſt, quod Pariſiis 1629 in 8 prodiit; poſteriora vero regna deſcripſit *Tauernierius* Itinerum tomo tertio gallice. ALEXANDER DE RHODES, cuius *hiſtoria Tunchinenſis* ſermone latino libris duobus 1652 in 4 prodiit. IOHAN. PHILIPPVS MARINI ſermone italico Romae 1671 in 4, qui liber quoque gallice verſus.

CAPVT

CAPVT XVII.

SERES ET IAPONIA.

§. I.

IMperium *ſericum*, quod (ſi Iſaacum Voſſium in obſeruationibus ad Pomponium Melam audimus) minus recte *ſinicum* vocatur, rite cognituris, imprimis quod ad chorographiam attinet, proderit MARTINI MARTINII *Atlas ſinicus*, charta auguſta, primum latine & dein variis linguis Amſtelodami apud Blauium 1656 editus; de quo libro moneo, optime ſibi conſulturos, qui editionem latinam comparauit, cum verſiones, praeſertim germanicae, inemendatae ſint nulliusque momenti. Hiſtoriam ſimul cognituros iuuabunt eiusdem MARTINII *enarratio belli tartarici hoc ſeculo geſti*, 1661 Amſtelodami in 12 ſermone latino. Legitur quoque in calce Atlantis iam commemorati ATHANASII KIRCHERI *Sina illuſtrata*, Amſtelodami 1667 in folio. IOHAN. NEVHOFII *Legatio bataua ad imperatorem ſericum*, variis linguis edita; latine verſa fuit a *Georgio Hornio*; prodiit Amſtelodami 1688 fol. *Legatio Batauorum ſecunda & tertia ad Seres*, Amſtelodami 1676 in folio. Acceſſit DAPPERI *deſcriptio regni Sinenſis*. Chinarum deſcriptio ex variis auctoribus, imprimis NICOLAO TRIGALTIO, concinnata, Lugduni

Batauorum apud Elzeuirios 1639 in 24. *Artificia hominum & miranda naturae in Sina & Europae* collecta ab *anonymo*, & Francofurti ad Moenum in 12 anno 1655 publicata. Patris ALVARI SEMEDI *Imperium chinenſe*, Mantuae carpetanorum 1642 in 4 hiſpanice. FRANCISCI DE ROVGEMON *hiſtoria tartarico-ſinica*, Louanii in 8 anno 1673 latine. THEOPHILI SPIZELII de *re litteraria Sinenſium* commentarius, Lugduni Batauorum 1686 in 12 latine. DOMINICI FERNANDEZ DE NAVARRETA *tractatus*, ſiue *opuſcula potius hiſtorica, politica, ethica & theologica, res ſericas maxime illuſtrantes*, quae inter etiam comparet *Iter indicum*, obſeruationibus ſelectis refertum, hiſpanice folio Madriti 1676. Eximie hoc libro vſus fuit *Antonius Arnauldus* D. theologus Pariſienſis, Ieſuitarum hoſtis acerrimus, aduerſus hoſce patres, ſupra modum de expeditionibus ſinicis gloriantes. Conſtat vero nobis ex eiusdem Arnauldi ſcriptis, ſecundam quoque opuſculorum Nauarretae partem prodiiſſe, quam nobis nondum videre licuit. Interim gratulari ſibi debent euangelicae veritatis profeſſores, extitiſſe in media Hiſpania virum, ex Dominici familia religioſum, qui patrum Ignatianorum vanas gloriolas, quibus ipſi interdum noſtrates decipiuntur, audacter retunderet, optandumque eſſet, vt haec opuſcula in latinum vel vernaculum ſermonem verterentur, quo

haberent

haberent linguae hiſpanicae & gallicae imperiti, quae de conuerſione tot gentium fruſtra gloriantibus opponere poſſent. Porro Serum hiſtoriam illuſtrant ADRIANVS GRESLONIVS in *hiſtoria Sinarum*, vt iam ſub Tartarorum dominatu ſe habent, Pariſiis 1671 in 8 gallice. PALLAFOXII *hiſtoria belli ſinico-tartarici*, hiſpanice ſcripta primum, & dein gallice reddita, Pariſiis 1670 in 8. PETRI IOSEPHI Aurelianenſis *hiſtoria duorum imperatorum tartaricorum, qui Seres debellarunt*, Pariſiis 1688 in 8 gallice. PHILIPPI COVPLET *hiſtoria foeminae cuiusdam chriſtianae ſinenſis*, vbi de moribus gentis multa inſeruntur, Pariſiis 1688 in 12 gallice. ADAMI SCHALLII Germani *hiſtorica narratio de ortu & progreſſu fidei orthodoxae in regno Chinenſi ab anno 1581-1669*, Ratisbonae in 8 anno 1672. *Confucius Sinarum philoſophus*, ſiue ſcientia Sinenſis tribus libris latinis expoſita; accedit *tabula genealogica trium familiarum imperialium monarchiae ſinicae*, & *tabula chronologica illius monarchiae ab anno ante Chriſtum 1982, poſt Chriſtum natum 1682*, Pariſiis 1687 fol. ANDREAE MÜLLERI ſcriptum germanicum de *Sinenſium libris ac typographia*, Berolini 1680. GABRIELIS MAGAILLANZ *notitia Sinarum* 1688 compoſita, & ex luſitanico ſermone in gallicum traducta, Pariſiis 1689. MICH. BAVDIERII narratio de *aula regis ſerici* 1681 in 8. LVDOVICI COMITIS,

S. I. *noui commentarii de ſtatu Chinae*, Amſtelodami 1697 in 12 gallice. BOVVETI *Character imperatoris ſinici*, Hagae Comitum 1699 in 12 LEIBNIZII *Nouiſſima ſinica*, 1699 in 8. Pertinent quoque ad res ſericas, quae ISAACVS VOSSIVS, rerum ſericarum maximus admirator, libro *obſeruationum*, Londini 1685 in 4 impreſſo c. 13 primae obſeruationis p. 56 ſeq. & c. 14 p. 69 de *artibus & ſcientiis Sinarum* inſeruit.

§. II.

Iaponicas res deſcribit VARENIVS in *Iaponia ſua*, primum 1648 in 12, & dein Londini in 8 recuſa. NICOL TRIGAVTIVS in *rei chriſtianae apud Iaponias commentario* ex litteris annuis Ieſuitarum annorum 1609, 1610, 1611, 1612 collecto, Auguſtae Vindelicorum 1614 in 8. PONTANVS in *Legatione Batauorum ad tyrannum iaponicum*, 1669 germanice folio, & gallice 1688 in 12 duobus voluminibus. FRANCISCVS CARON, cuius *Iaponia* vna cum HAMELII *Corea*, quae Chinae adiacet, & MERCLINI *Itinere indico*, Noribergae 1672 in 8 prodiit. Auctarii loco addatur *Formoſae iactura* ab ipſo COIETO, qui inſulae praefuit, enarrata, & Noribergae 1672 in 8 edita.

CAPVT

CAPVT XIIX.

AFRICA.

§. I.

SCriptores rerum africanarum perluſtraturi, primum eos conſiderabimus, qui piratarum respublicas tyrannicas deſcripſere, tunc ad imperium Fezzae & Marocci accedemus; ſequentur, qui de Abyſſinia & ſuperiori Aethiopia egere, quibus tandem promiſcue adiungemus eos, qui alia Africae & loca & vicinas inſulas illuſtrarunt. Hoc tamen monemus, ante omnia, vniuerſam *Africam* a DAPPERO peculiari volumine quod Amſtelodami 1670 ſermone germanico in folio prodiit, deſcriptum eſſe. Quem ſecutus eſt aut potius exſcripſit CRVCIVS Gallus, cuius *Africa vetus & noua* quatuor partibus Lugduni Gallorum 1688 in 12 prodiit. Quibus addi poteſt IOHAN. BAPTISTAE GRAMAY *Africa illuſtrata*, libris decem conſtans, Dornaci 1622 in 4 latine.

§. II.

Piratarum respublicas, *Algeriam* nempe, *Tripolim*, *Tunetum*, & quae ſub *Marroccani tyranni imperio* eſt, *Saleam*, curate nobis repraeſentauit PETRVS DAN, Pariſiis 1649 in folio. Cui adiungi debet EMAN. ARANDAE *Captiuitas*, tertium edita Bruxellis 1656 italice. Angli *anonymi Notitia Algeriae*, quae deſcriptioni inſularum americanarum 1679 in 8 editae,

apponitur. Et ROCQVEVILLII *Notitia reipublicae Algeritanae*, Pariſiis 1686 in 12, nec non anonymi *Angli Iter africanum* Londini 1672 in 12 anglice; vt & *Theatrum barbariei ex Aranda & aliis germanice conſtructum*, & Hamburgi 1694 recuſum.

§. III.

Imperii *marroccani* notitiam exhibent SANTOLONIVS, orator regis Gallorum, in *Statu illius imperii*, Pariſiis 1694 in 12. MOVETTVS tum in *hiſtoria captiuitatis ſuae*, Pariſiis 1682 in 12, tum in *Vita Mul.ii & Ismaelis regum Marocci*, ibidem 1683 in 12 gallice. ROLANDVS FREIVS, legatus gallicus ad Taffiletam, in *Itinere mauritanico*, Pariſiis 1670 in 12, in cuius libri calce multa de hoc imperio inueniuntur. LANCELLOTI ADDISONII Angli *Barbaria ad occidentem verſa*, Noribergae 1672 in anglico traducta.

§. IV.

Hiſtoriam *Abyſſiniae* non parum iuuabunt HIERONYMVS S.I. Luſitanus, in opuſculis variis de *Abyſſina*, de *origiue Nili*, de *Monocerote*, de *Abyſſinorum rege*, de *mari rubro*, & de *variis palmarum generibus*, Noribergae 1670 in 12. BARTH. TELLEZ in *hiſtoria generali Aethiopiae ſuperioris*, quam *Emanuel de Almeyda* primus edidit, *Tellezius* vero in compendium miſit, Conimbrae 1660 in folio luſitanice. EMAN.

VEIIAE

VEIIAE *narratio de rebus aethiopicis* 1624 vsque ad annum 1626, Vlyſſiponae 1628 in 4 luſitanice. Et de *rebus aethiopicis* praeclariſſime meritus IOBVS LVDOLPHVS in *hiſtoria Abyſſina* 1681 in folio, & commentario ad eam 1691 latine in folio. Cui deinde duo acceſſerunt auctuaria.

§. V.

Regnum *Congenſe* & *Angolenſe* deſcribunt patres capucini CAVAZZVS & ALAMANDINVS, ſermone italico libris ſeptem, Bononiae 1687 in folio. DIONYS. CAROLVS in *Itineribus ſuis* ex italico ſermone germanice redditis, & edit. Auguſtae Vindelicorum 1692 in 4. *Madagaſcarem* ad Africae littora inſulam maximam, repraeſentarunt FLACCVRTIVS, Pariſiis 1641 in 4. Et FRANCISCVS CAVCHEVS, cuius *narratio* in collectione Itinerum Corbeana anno 1651 in 4 edita, primo loco comparet. *Inſulas Canarias*, *promontorium Capitis viridis*, *Senegalliam* & vicina loca illuſtrauit MEVRIVS in *Itinere ſuo*, Pariſiis 1695 in 12 gallice. MONTALBANVS, pirata Gallus, *hodoeporicon Guineenſe*, Burdegalae 1697 in 12; VILALTVS littora Guineenſia deſcripſit Pariſiis 1669 gallice.

CAPVT XIX.

AMERICA.

§. I.

AD metam properantibus occurrit tandem *orbis Americanus*, vaſtus ille & immenſus, de quo tamen ſi hiſtoriam huius ſeculi ſpectes, eadem vt apud Afros ratione parum aut nihil ſolidi deprehendes. Adeoque ſi pauciſſima exceperis, nauigationibus tantummodo & itineribus contenti eſſe cogemur.

§. II.

Vniuerſam *Americam* ex FRANCISCO HERRERA & aliis luculenter deſcribit IOHAN. DE LAET, quod opus nunc admodum rarum, Lugduni Batauorum 1633 in folio prodiit. Hunc excepit DAPPERVS, cuius *America* 1673 germanice in folio Amſtelodami publicata fuit. *Americae meridionalis* partes, imprimis qua Hiſpano paret, *regnum Mexicanum*, *Guatimalam* & vicinas prouincias accurate deſcribit THOMAS GAGE, cuius ego tertiam editionem poſſideo. Verſus fuit poſtea hic liber etiam gallice, per *Bellilocum* Hybernum, prodiit Pariſiis 1672 duobus voluminibus in 12. Verum & ex illo fonte

fonte promanauit verſio germanica, quam amicus olim noſter, nunc beate defunctus, curauit; aſt probe obſeruandum eſt, vtramque verſionem mancam atque mutilam eſſe, & in anglico codice longe plura, praeſertim de cleri romanenſis in illo regno tyrannide, contineri, quae gallicus interpres ſtudio partium, germanicus vero, quia Gallum preſſo pede ſequebatur, omiſit. Ad earundem prouinciarum hiſtoriam pertinent ALEXANDRI OEXMELINI, piratae americani, commentarii belgico, hiſpanico, gallico, anglico idiomate ob inſignem vtilitatem publicati. Poſſideo autem editionem germanicam Noribergenſem, quae 1676 lucem adſpexit, vbi ad calcem accurata *Americae hiſpanicae notitia* inuenitur. *Braſiliam*, Luſitanis nunc ſubiectam, CASP. BARLAEVS in *hiſtoria rerum a Mauritio Naſſouio comite in Braſilia & alibi geſtarum*, Amſtelodami 1647 in folio latine, cum figuris nitidiſſimis illuſtrat, quamuis quoque minori forma Cliuiae 1661 prodierit. SIMON DE VASCONELLOS Vlyſſiponae in 4 anno 1668 luſitanice. PETRVS MORELLVS in *hiſtoria belli in Braſilia geſti inter Luſitanos & Batauos*, gallice ſcripta, quae in collectione Corbeiana ſaepe laudata exſtat. Acceſſit BARONIS *Iter ad Tapuios*, ferociſſimam Braſiliae gentem. IOHANNES IOSEPHVS a S. THERESIA, carmelita excalceatus, in *hiſtoria*

eorundem bellorum, Romae 1698 in folio italice. NEVHOFIVS in *Itinere braſilico* belgice ſcripto, quod vna cum Itinerario indico ſupra laudato prodiit. Et huc pertinent varia ſchediaſmata belgica, quae 1644-45-46-47 lucem adſpexerunt; e.g. 1) conſideratio vel cenſura reſponſi a ſocietate indica orientis ordinibus batauis circa coniunctionem duarum ſocietatum dati Hagae Comitum 1647 in 4; 2) oratoris luſitanici propoſitio ad ordines Belgii foederati 1647; 3) repraeſentatio perfidiae luſitanicae 1647; 4) vicinia luſitanica 1646; 5) ephemeris rebellionis luſitanicae, Arnhemiae 1647; & tandem 6) ſocietatis Indiae occidentalis libellus ſupplex principi Auriaco & ordinibus foederatis oblatus, Hagae Comitum 1644. Nec parum etiam huc conferet IOHAN. LAETII *hiſtoria Indiae occidentalis*, ſermone belgico ſcripta, Lugduni Batauorum 1644 in folio. Addatur FROGERII Galli *Iter americanum per fretum Magellanicum, Braſiliam, Caiennam, & inſulas Americae oppoſitas (Antillas* vulgo vocant) Lutetiae 1698 in 12 gallice. ACARETI *Iter ad fluuium argenteum, & inde in Peruuiam*, Lutetiae 1672 folio gallice. PALAFOXII *Character Indorum*, ibidem 1672 folio gallice. LVSSANI *Iter ad mare auſtrale*, Pariſiis 1698 in 12 gallice. NICOLAI DEL TECHO *hiſtoria prouinciae Paraquariae*, Leodii 1673 latine folio.

folio. *Deſcriptio Franciae aequinoctialis*, ſiue *Caianae*, Pariſiis 1666 in 4. TERTREI *hiſtoria vniuerſalis Antillarum*, *tomis quatuor conſtans*, Pariſiis 1667 & 1671 in 4 gallice; qui liber regis dein iuſſu, quod multis nimis libere ſcriptus videretur, ſuppreſſus fuit. RVPEFORTII *hiſtoria naturalis & ciuilis earundem inſularum*, Roterodami 1665 in 4. POINTII *narratio de expugnatione Carthagenae, quae anno 1697 contigit*, Amſtelodami 1698 in 12. LIGONII *hiſtoria inſulae Barbadis, Anglis ſubiectae*, quam inuenies in collectione Itinerum Billainiana Pariſiis 1674 edita. Adde BORDEI *narrationem de Antillis*, & *anonymi deſcriptionem Zamaicae & reliquarum inſularum Anglis in America ſubiectarum*, quae ibidem occurrit. Habemus etiam *Americam anglicanam* Londini primo a Blomio 1678 in 8, & deinde in folio auctius editam, ſed ab ineptiſſimo homine gallice anno 1688 verſam, ex qua tamen verſione, vt fieri paſſim ſolet, germanica expreſſa fuit. Euoluere quoque iuuabit CHRISTOPH. ACVNNAE *deſcriptionem fluuii Amazonum*, a *Gomberuillio* viro erudito gallice redditam, Pariſiis 1682 in 12 editam. Et DAMPIERII *hodoeporicon* ſiue *Iter circumnauigato terrarum orbe obitum*, Amſtelodami 698 in 12; cuius ſecunda pars 1699 Londini in 8 prodiit, & deſcriptionem Campechiae continet. Iunge LIONELLI

WAFERI *deſcriptionem iſthmi americani*, ibidem 1699 in 8, & anonymi *Caledoniam* ſiue *Darienen*, Scotorum irritis expeditionibus famoſam, ibidem 1699 in 8. Poterit quoque addi GVIL. SCHVTENI *Iter*, Amſtelodami 1619 in 4.

§. III.

Septentrionales Americae prouincias adituro proderunt MARCVS LESCARBOTVS in *hiſtoria nouae Franciae*, Pariſiis 1618 in 8 gallice. FRANCISCVS CREVXIVS in *hiſtoria Canadenſi* Pariſiis 1664 in 4 latine. HENNEPINVS in *Ludouiciana*, Pariſiis 1683. Idem in *detectione vaſtae prouinciae in America ad ſeptentrionem verſa ſitae*, Vltraiecti 1647 in 12 gallice. GABRIEL SAGARDVS in *Itinere ad Hurones ſuſcepto*, Pariſiis 1632 in 8. OTTONIS KEIENS *ichnographia* ſiue *delineatio noui Belgii* Lipſiae 1672 in 4 germanice. CHRISTIANI CLERICI *nouae Gaſpeſiae* (quae prouincia *Canadae* vicina eſt) *chorographia*, Lutetiae in 12 anno 1691 gallice. Eiusdem CLERICI *fidei chriſtianae ab Americanis ſuſceptae aquilonaribus & coloniarum ſimul gallicarum hiſtoria*, duobus voluminibus in 12 ibidem 1691 gallice. Equitis FONTII praefecti arcis Ludouiciae, *prouinciarum nuper in America ſeptentrionali detectarum hiſtoria*, Lutetiae 1697 in 12 gallice. DIONYSII, pro-regis in America ſeptentrionali gallici, *deſcriptio*

littorum Americae ſeptentrionalis, & hiſtoria ſimul illarum prouinciarum naturalis, gallice 1672 in 12, quibus tandem addatur DONCKERI *Nouum Belgium* belgico ſermone ſcriptum, & IOHANNIS IOSSELYNI *Itinera duo in Angliam nouam* ſuſcepta, Londini anno 1674 in 12, vt & GABRIELIS THOMAE *Penſiluania*, Londini 1698 in 8. FRANCISCI PASTORII *Penſiluania*, Francofurti 1700 in 8 germanice, ſed ineptiſſime ſcripta.

F I N I S.

INDEX AVCTORVM.

IOh. Franc. *Abela* 478
Ioh. Phil. *Abelinus* 18
Acaretus 596
Wilh. *Actonus* 418
Chriſtoph. *Acunna* 597
Lancellotus *Addiſonius* 592
Ioh. *Adlzreitter* 85. 111
Raph. *Admiratus* 434
Didacus *Aëdo* 191
Georg. *Aelurius* 173
Chriſtianus *Agardus* 544
Vinc. *Agnellus* 477
Franc. Didacus de *Ainſa* 185
Leo ab *Aitzema* 384
Alamandinus 593
Valent. *Alberti* 532
Henr. *Albertus* 543
Iac. *Albertus* 572
Ant. *Albizius* 454
Nic. *Alemannus* 422
Alexander VIII Pontif. 498
Caeſar *Alixius* 434
Guido *Allardus* 214
Eman. de *Almeyda* 592
Vinc. *Alſarius* 445
Blaſius *Altimarus* 444
Bernh. *Altingius* 398
Ioh. *Altouitus* 193
Vinc. Gonzalez *Aluareſius* 190
Amatus 424
Leuinus ab *Amber* 153. 154
Peregrinus Simplicius *Amerinus* 411
Henr. *Amersbachius* 84
Scipio *Amiratus* 443. 474
Theod. *Amydenus* 423
Hagecius *Anatolius* 573
Georg. *Anderſohnius* 582
Ioh. Valent. *Andreae* 126
Ioh. *Andreas* 475
Paulus de *Angelis* 412
Hieron. *Angelita* 434
Ioh. Franc. *Angelita* 434
Franc. *Angelonus* 433
Pompeius *Angelotus* 433
Angleſcius 346
Angliae Leges 307
Statuta 307
Oroſius *Annilo* 540
Anonymi abbregé de l' hiſtoire d' *Angletterre* 310
Status maris *Aegaei* 568. 569
Notitia *Algeriae* 591
I. V. S. N. *Altenburgum* 84
Origines famil. *Alſat.* Lotharing. &c. 42
America Anglicana 597
de aedificiis *Amſtelodamenſium* 375

Anony-

Anonymi idea hiſtoriae *Andegauenſis* 144
collect. de coronat. Regis *Angliae* 356
deſcriptio *Angliae*, Scot. & Hibern. 300
epiſtolae procerum *Angliae* 356
hiſtoria motuum *Angliae* 328
introd. ad hiſt. *Angliae* 310
Nobilitas *Angliae* 308
vitae regum *Angliae* 310
tr. de familia *Archinta* 440
Durchlauchtiges *Archiv* 160
Aulicus coquinariae 312
Mauſoleũ *Aurei Velleris* 401
genealogia *Auriaca* 377
hiſtoria principum *Auriacorum* 389
Phoſphorus *Auſtriacus* 80
conſulum *Barcinonenſium* querela 192
Ariſtarchus in conſ. *Barcin*. querel. ib.
Theatrum *Barbariei* 592
Bellum *Batauicum* 232
ephemeris expedit. *Bauaricae* 65
Belgium turbatum 385
Bellum *Belgicum* 381
cum Anglis & Epiſc. Monaſt. 385
hiſtoria belli *Belgici* 386
Notitia *Belgii* foederati 373
Comment. de ſtatu *Belgii* foederati 373
Anonymi acta *Bohemica* 173
Turnus *Bohemicus* 162
fluminum *Bononienſ*. inundatio 436
Gloria *Bononiae* 436
Boſcouellus 315
Gens *Boufferia* 210
Brabantia ſacra & profana 370
Sepulcra conſiliariorum regum *Brabantiae* 389
epiſtolae apolog. pro duce *Bragantino* 202
Britannia recens armata 229
triumphans 361
Speculum *Britanniae* 306
tragoedia *Britannica* 328
Britannicorum motuum verax Cushi 320
iudicium equeſtre *Budisſae* inſtitutum MS. 176
compend. hiſt. *Burgundicae* 246
hiſtoria *Cabillonii* 246
deſcriptio *Cajanae* 597
Calcedoniae 598
Calendaria hiſtoria 74
de Origine *Cardinalium* 430
de matrimonio *Caroli II* Hiſp. cum Maria Ludovica 196
ſatyrae in *Carolum II* & *Iac. II* 360
ſylloge opuſculorum pro *Carolo I* 331

Anonymi Carcer gallicus Ioh. *Caſimiri* 523
Caſtellae gentis elogia 440
narratio de rebus in *Catalaunia* geſtis 232
cauſa *Charnoki* & Kingii 330
deſcriptio inſ. *Chius* & Natoliae 569
hiſtoria arcana *Chriſtinae* reginae 551
ſylloge auctorum ad vitam *Chriſtinae* pertin. 551
Conclauium hiſtoria 425
Conclaue Clement. IX ib.
Innoc. XI ib.
hiſtoria rerum a Lud. *Condeo* geſtarum 240
Confucius Sinarum philoſophus 589
cauſae tumultus *Coſatici* 524
hiſtoria belli *Coſatici* ib.
expeditio gallica in *Cretam* 466
deſcriptio *Cyanearum* 570
Daniae armatae ius feciale 541
ſtatuta *Delphinalia* 216
origo *Dignitatum* in regn. Legionis & Caſtellae 182
Diſſertationes hiſtorico-politicae 376
Carcer *Eduardi* duc. Bragant. 203
deciſiones de carcerat. *Eduardi* 204
Anonymi ſeries *Equitum* a Ludov. M. creatorum 265
narratio de creatione *Equitum* D. Georgii 355
catalogus *Equitum* D. Georgii 355
l'Eſpion de Turc 34
Europaea fabula heroica 283
hiſtoria compendiaria *Europaea* 27
Europa geloſa 429
C. H. *Farrago* hiſtorica 26
Faſti hiſtorici 74
Faſti hiſtorici Caroli II reg. Hiſp. 192
Caroli XI reg. Svec. 552
Heluetici 412
Moſcouitici. 412
D. M. R. I. T. P. E. M. panegyr. in *Ferdin. II* victoriam Bohem. 160
Electio & inauguratio *Ferdin. II* 167
Forma Auſtriaca ſ. *Ferdin. II* vita 76
Flandria nobilis & generoſa MS. 377
Beſchr. der *Flüſſe* Deutſchlands 41
C. B. ephemerides *Fori* 215
G. G. ephemerides *Fori* 215
Etat de *France* 211
theatrum regni *Francici* geograph. 208

Anonymi Freiburgenſis obſidio 231
Funus Henrici Cambriae princ. 356
Funus Rob. comit. Eſſexii 356
Fuora Villaco 202
animadv. & diff. contra *Fürſtenerium* 58
Angli obſerv. itineris *Gallici* 209
Belgae Iter *Gallicum* 178
chorographia *Galliae* 207
vrbium *Galliae* ichnograph. & ſcenograph. 207
deſcriptio *Galliae* & Italiae 416
viatorium *Galliae*, German. & Italiae 418
viatorium legum *Galliae* 223
Galli iter *Gallicum* 178
hiſtoria *Gallica* annorum 1619 & ſq. 226
hiſtoria iuris *Gallici* 215
C.Q.B. *Gallo*-Batauus veredarii curſus 231
Gattiorum familia 474
morbi reipl. *Genuenſis* 475
perfidia *German*, & Caſtellan. detecta 203
amores Caroli *Gonzagae* 477
obſidio *Graßae* 386
hiſtoria *Guilielmi III* 329
obſidio *Hafnienſis* 540
Anonymi chronicon *Hamburgenſe* MS. 88
teſſerae gentilitiae *Haſſiacae* 86
Hattigia 361
amores *Henrici IV* 225
obſeruat. ad hiſt. *Henr. IV* Lud. XIII & XIV 223
Henricopolis 410
Heutelia ſ. iter Heluetîcum 411
analecta de rebus catholicorum in *Hibernia* 366
commentarius de *Hiſpania* MS. 178
hodoeporicon *Hiſpanicum* 178
Inuentarium hiſtoriae *Hiſpan.* 180
iura ſuccedendi in *Hiſpan.* 202
hiſtoria huius temporis 21
moris ciuilis & aulici 35
Hodoeporicon 418
myſteria *Hollandica* 388
motus *Hungarici* 507
Hungaria vindicata 507
Annales *Iacobi I* & Caroli I 313
theatrum *Iacobi I* & Caroli I 313
Hiſtoria *Iacobi I* 314
Iacobi I aduentus ex Scotia 356
actiones memorabiles *Iacobi* Duc. Eborac. 329

Anonymi I. G. de geſtis *Iacobi* March. montis roſarum 364
diſſ. de electione *Imperatoris* 56
diſſidia inter *Iohannem* Auſtriacum & Mariam Annam 192
deſcriptio *Italiae* 416
theatrum ciuitatum *Italiae* 416
Paradiſus deliciarum *Italiae* 417
obſeruationes itineris *Italici* & Gall. 418
commentarii de bellis *Italicis* 420
ſuſcitabulum *Italicum* ad Chriſtianos 574
Iter Africanum 591
Anglicum Frid. Elect. 167
Ferd. Alberti Duc. Brunſu. 168
per Galliam & Italiam 417
Gallicum 178. 207
Graecum & Italicum 569
Hieroſolymitanum 571
Reginae Hiſpanorum 179
Hiſpanicum 177
Hollandicum Guil. III 329
Italicum 418
Anonymi Iter Italicum Condei principis 416
Italicum & Graecū 418
Melitenſe 479
per Prouinciam 209
in Terram ſanctam 571
Itinera hiſtorica 32
Iudices iudicati 326
Iudiciorum capitalium ſynopſis 327
Iuditia capitalia Colemanni & Staffordi 327
Praeſtoni & Aſtoni 330
apparatus *Iuris publici* & Hiſt. Germ. 37
Leopoldi M. electio & inauguratio 167
pompa nuptialis 167
I. D. M. D. R. caſtigatio Greg. *Leti* 230
Lettres hiſtoriques 21
obſidio & victoria *Leucatenſis* 228
Litterae de huius temporis negotiis 21
Londinenſe incendium 304
obſeruationes de *Londino* vet. & nouo 303
G. G. D. M. hiſt. phil. Eman. Ducis *Lotharingi* 294
Ludouici M. expeditio in Belgium 232
hiſtoria *Luſitanica* 199

Anonymi panegyris apologet. pro *Luſitania* liberata 202
querela de epiſcopatibus *Luſitanicis* 202
T. S. epitome annal. *Magdeburgicorum* 87
narratio de *Maiorca* MS. 186
de rebus *Mantuanis* 476
de rebus *Marchicis* 84
Martyr regius 320
ſtemma *Maſtinae* gentis 456
de *Matrimonio* morganico 60
Mauriennae princ. & Sabaud. duc. ſucceſſio 470
Mauritii Haſſiae Landgr. monum. ſepulcr. 167
obſeruationes ad hiſtoriam *Mazarini* 240
Mazarinus a Flandro deluſus 385
tabula geneal. familiae *Mediceae* 473
Meditationes hiſtoricae de rebus noſtri temp. 22
deſcriptio *Melitae* 479
Memoires d'un favory de D. d'Orleans 238
du Duc d'Orleans 238
pour ſervir a l'hiſt. de Louis de Bourbon 239
Anonymi Memoires or the Reign of K. Iames 314
Memorabilia Thuringiae 83
Mercure hiſtorique 20
Mercurius Batauus 386
Gallo-Belgicus 19
Hiſpanicus 179
Miles ſubalpinus 228
hiſtoria obſidionis *Montalbani* 226
Miles *Montisferrat.* 477
de marchionatu *Montisferrat.* 477
tragoedia *Moſcouitica* 518
analecta *Muſarum* Anglicanarum 360
de ſeditione *Neapolitana* MS. 448
de *Nobilitate* Imperii libera 59
annales *Norici* MS. 85
Northamtoniae incēdiū 304
Nuncius a mortuis 336
Oliuareſiani miniſterii hiſtoria 191
deſcript. mortis *Olympi* 569
de *Olympia* Maldachina MSta 428
Angli *Orbis* imperans 28
index conuentuum *Ordinis* S. Spiritus 266
leges *Ord.* S. Michaëlis 266
obſidio *Oriſtaniae* in Sardinia 450
aula *Ottomannica* 573
hiſtoria *Ottomannica* 575
porta *Ottomannica* 576

Anonymi Papiae obſidio 439
index *Pariſiis* baptizatorum, mortuor. &c. 208
ſeries *Parricidii* diuinitus patefacti 314
funus *Pauli V* 480
tr. de bellis *Pedemontan.* & Montferr. 471
notitia *Peloponneſi* 468
deſcriptio memorabilium *Perſiae* 579
Plato rediuiuus 307
Politicus ſine exemplo 324
diſſ. de regimine *Poloniae* 515
hiſtoria *Poloniae* & Lithuaniae 520
Pompa funebris Balthaſaris Hiſp. princ. 195
Henrici Cambriae princ. 356
Iſabellae Reg. Hiſpan. 194
Pauli V 480
Roberti comit. Esſexii 356
natalitia Philippi Proſperi Hiſp. 195
nuptialis Frid. Elect. 167
Leopoldi M. 167
de familia *Ponzona* 440
Princeps venditus 203
A. P. *Proceres* legales 308
comment. de ſtatu *Prouinciarum* foederat. 372
Anonymi antiquitas familiae *Puteanae* 470
Receſſus Imperii 45
recueil de div. piéces concernant la *Regale* 213
relation de l'affaire de la *Regale* 213
de iure Regum circa iura *Regaliae* 214
commentationes de *Regalia* collectae 214
M. T. S. T. D. reſponſ. ad Nat. Alexandri diſſ. de iure *Regaliae* 213
expugnatio ciuit. *Regienſis* 551
Regiae occupatio 552
beſchr. des heil. Röm. *Reichs* 55
hiſtoriſche *relationes* 1.9
ideae *Rerumpublicarum* 13
Respublica Belgii foederati 372
Daniae & Norwegiae 537
Hungariae 505
Luſitaniae 198
Moſcouiae 558
Poloniae 514
Turciae 572
hiſtoria incendii pontis ſuper *Rhodanum* 414
Roma antiqua & noua 421
Roma vt ſe habuit ſemper 424
effigies *Romae* antiquae & nouae 421

Anonymi

Anonymi de ſpectaculis *Romae* exhibitis 195
legatio *Romuli* ad Romanos 429
narratio de ſtatu *Ruſſiae* 558
theatrum *Sabaudiae* 468
Sabaudica prima & ſecunda 471
notitiae aulae *Sabaudicae* 472
bellum *Sabaudicum* Henr. IV 471
archiuum geneal. & hiſt. domus *Saxon.* 77
notitia *Scotiae* 363
hiſtoria rerum *Scoticarum* 364
varia *Scotica* 364
medulla hiſtoriae *Scoticae* 364
duo *ſecula* ferrea 26
Batauorum legatio ad *Seres* 587
memoriae comitis *Shaffburii* 329
artificia *Sinenſium* 588
Souverainen von Europa 29
Staats-Cantzeley 160
ſpeculum *Suecicum* 552
chorographia vallis *Tellinae* 413
hiſtoria vallis *Tellinae* 414
Teſtamentum Caroli V Lothar. Duc. 295
Colberti 240
Louuoeſii 240
Richelii 237
Anonymi Theatrum pacis 27
tragicum 320
ſupplem. hiatus inter collect. *Townſendii* & Rushworti 315
obſidio *Traiecti* ad Moſam 386
Trutina politica 429
hiſtoria bellorum foederatorum contra *Turcas* 507
comment. MS. de aula *Turcica* 575
Vaticanum languens 429
de regimine *Venetorum* 452
Veritas detecta 313
Verruccae obſidio 470
ephemeris incendii *Veſuviani* 446
hiſtoria *Vicariatuum* imp. Germ. 58
Villa Pamphilia 422
Vita Alberti Archiducis 387
Areſii Comitis 439
March. Badenſium 78
Guil. Bedellii 330
March. Borbonii 468
Bullionii 240
Caroli I Reg. Angl. 317
Caroli V Lothar. Duc. 294
Colberti 240
Conſtantini R. Siamenſ. 585
Cromwellii 324

Anonymi Vita Duſſonii 235
Faberti 239
Friderici duc. Schombergii 241
Petri Gironis 188
Guil. Henr. princ. Auriaci 389
Matth. Halaei 330
Ioh. Auſtrii 192
Mauritii princ. Auriaci 388
Mazarini 241
Montbrunii 466
Montmorencii 238
ducis Nouocaſtrenſis 330
Ioh. Oldenbarnefeldii 388
Philippi III reg. Hiſp. MS. 188
Poroni March. 439
Gualt. Rauleigii 330
Reuteri 388
Richelii 237
Rupetti Palatini 330
Ioh. Comit. Ruffenſis 331
com. Shaffsburii 331
Mariae Stuartae 330
Toeckelii 507
Corn. Trompii 389
Wittiorum fratrum 388
MSta de rebus *Vrbani VIII* 427
hiſtoria vexationis *Walden ſium* 472
Anonymi W. R. *Wallographia* ridicula 305
R. B. Hiſtoria *VValliae* 305
VVappen-buch 30
arcana pacis *VVeſtphalicae* 71
Anshelmus abbas 367
Ant. *Anshelmus* 210. 217. 377
Sertonacius *Anticanus* 466
epiſcopus *Apameenſis* 212
Ioh. *Apfelbachius* 110
Caſp. de *Aquila* 189
Franc. *Areco* 193
Bertrandus d'*Argentre* 216. 244
Carolus d'*Argentre* 244
Vinc. *Armannus* 485
Ioh. *Arndius* 98
Ioſua *Arndius* 78
Chriſtoph. *Arnoldus* 582
Gotthardus *Artuſius* 19. 506
Dominicus *Arumaeus* 48
Fulv. *Arzurus* 477
Elias *Ashmolius* 300. 354
Lucas *Aſſarinus* 192. 200. 420
Iuſtus *Aſterius* 129
Lud. Donius d'*Aticbius* 431
Nic. *Auancinus* 161
Auauxius 158
Ant. *Auberius* 146. 213. 234. 236. 240. 430
Ioh. Henr. *Auberius* 282
Lud. *Aubery* de Maurier 383
d'*Aubigné* 221
Theod. *Aubignius* 254
Aubrii fratres 581
Audebertus 417

Ioh. Saluator Baptiſta de *Aſellano* 185
Dominicus de *Auengochea* 185
Franc. *Auguſtinus* 469
AVGVSTVS dux Brunſu. 39
Aegid. Gonſalez de *Auila* 183
Aumadenus 427
d'*Aunoy* 178. 192. 361
Corn. *Aurilius* 560
Bernh. *Autumnus* 215
Stanisl. Reinhardus *Axtelmeyerus* 154
Lud. Marinus de *Azeuedo* 204
Hieron. *Aznar* 189

B

Henr. *Bacius* 269
Nath. *Baco* 306
Ioh. de *Bado* 355
Petr. *Baelius* 169
Baglionius 421
Bened. *Bahrius* 130
Rich. *Bakerus* 308
Bohusl. *Balbinus* 170. 171
Iac. *Balde* 164. 165
Phil. *Baldeus* 581
Lud. *Baldo* 187
Balduinus 562
Ioh. *Balneus* ſ. Ballinus 381
Steph. *Baluzius* 187
Ioh. Lud. *Balzac* 173. 289
Laur. *Banck* 417
Leander von der *Bandt* 202
Ianus Bordecherus *Banningius* 406
Ioh. Steph. *Barberius* 461
Ioh. *Barclaius* 2. 285
Petrus *Bardetus* 215
Ioh. *Baretus* 513
Petrus *Barieus* 233
Caſp. *Barlaeus* 34. 165. 173. 359. 404. 406. 595
Caeſ. *Baronius* 458
Franc. *Baronius* 449
Alb. *Bartholinus* 541
Thom. *Bartholinus* 537. 541
Bartolus *Bartolinus* 543
Abrah *Bartolus* 107
Henr. *Baſnagius* 216
Lud. *Baſſanus* 574
Baſſompetra 222. 235
Ferd. de *Baſtida* 461
Georg. *Bateus* 317
Guil. *Baudartius* 383. 395
Mich. *Baudier* 236. 471. 589
Domin. *Baudius* 381. 389. 403
Mich. Ant. *Baudrand* 32. 187. 207
Frid. *Baumannus* 103
Iul. Caeſ. *Beatianus* 30
Ioh. Bapt. *Beau* 291
Beauclainius 524
Marquis de *Beauvau* 294
Beauvieu 525
Guil. *Becanus* 402. 407
Ioh. Chriſtoph. *Becmannus* 9. 10. 84. 150
Petrus *Bedick* 580
Marquis de *Bedmar* 452
Petrus a *Beeck* 87
Ioh Ferd *Bebamb* 505
Adr. *Beierus* 83
Petrus *Bekler* 43
Belgii Statuta & Edicta 378

Scripta de induciis belli *Belgici* 389.ſqq.
Bellarinus 439
Rob. *Bellarminus* 458. 462
Bellilocus 594
Henr. Baro *Bellovacus* 561
Ant. *Bellus* 471
Conſtant. *Bellus* 573
Nic. *Bellus* 64
Martha Salome a *Belta* 99.116
Octav. *Beltranus* 440
Mondonus *Belualerius* 355
Anton. de *Bembellona* 116
Ioh. *Benaglia* 566
Marcellus *Bencius* 473
Guido *Bentiuoglius* 381.382.431
Mich. *Benuenga* 566
Rutilius *Benzonius* 462
Nic. *Bereganus* 507
Theodoſius *Berenicius* 114.157
Petrus *Bergeron* 577
Elias *Bergerus* 511
Nic. *Bergier* 244
Vitus *Beringius* 539. 540. 544
Berius 583
Matth. *Berneggerus* 114.157.552
Bernhardus 571. 573
Franc. *Berni* 483
Franc. *Bernierius* 581
Dominicus *Berninus* 419
Ioh. *Bertauld* 222
Ioh. *Berthollotus* 462
Bebierius 573
Chriſtoph. *Beſoldus* 61
Henr. *Beſſaeus* 231
Ioſeph [illegible] 571
Ioh. *Beiklemus* 507
Max. *Bethunius* 66.233
Ioh. *Bettus* 266
Sigism. *Betulius* vid. *Birken*
Ioh. Sigfrid a *Beuchlingen* 532
Ioh. Iacob. *Beuningius* 571
Laur. *Beyerlingius* 188
Carol. *Beyſius* 273
Bidermannus 496
Iacob. *Biaeus* 218
Franciſc. de *Bilches* 185
Ioh. *Bilgramus* 106
Chriſt. *Billich* 156
Franc. *Biondus* 166.466
Paſqualis *Biondus* 468
Ioh. Bapt. *Biragus* 20. 199
Petr. de *Bireri* 191
Sigism. von *Birken* 76 81
Maiolinus *Biſaccionius* 16. 447. 449. 524. 575
Biſardierius 525
Ed. *Biſſaeus* 355
Ioh. *Biſſelius* 23.166
Bizottus 386
Ioh. *Bleau* 30. 369. 440
Thom. le *Blanc* 85.470
Vinc. le *Blanc* 581
le *Blanc* 292
Audiquerius *Blancourt* 210
Conr. *Blarerus* a Geyersberg 172
Iaimus *Bleda* 189
Theoph. *Bleichrecht* 110
Rich. *Blome* 298
Dav. *Blondellus* 134. 218 398
Henr. *Blountius*. 308. 566
Gerh. *Boate* 365
Alb. *Bebouius* 573. 576

Traia-

Traianus *Boccalini* 179
Sam. *Bochartus* 335
Laur. *Bochellus* 215
Syluius *Bocone* 502
Ioh. Frid. *Boeckelmannus* 56. 145
Ioh. Henr. *Boeclerus* 6. 37. 38. 48. 49. 53. 59. 63. 140. 144. 147. 158. 540. 554
Henr. *Boëthius* 341
Motus *Bohemici* 97
Emundus *Bohunus* 311
Deſpreaux *Boileau* 288
Ioh. Chriſt. L. B. a *Boineburg* 528
du *Bois* 294
Petrus *Boiſſat* 474. 479
Octav *Boldonius* 483
Edmundus *Boltonus* 355
Paulus *Bombinus* 180
Zach. de *Bonacaſa* 153
Bonairius 80
Phil. *Bonanni* 422. 426
Ioh. *Bonanomus* 439
Chriſtianus *Bondius* 552
Leonh. *Bonettus* 512
Petrus *Bonfonius* 208
Iac. *Bongarſius* 157
Abbas *Boninus* 429
Hyacinthus *Bonifacius* 216
Ioh. Ioſeph. *Bonnerue* de S. Romain 422
Chriſtoph. *Bonnoirſius* 382
Catharina *Boot* 549
Petrus *Bor* 381
Thom. *Borbonius* 469
Bordeus 597
Camillus *Borellus* 196
Petrus *Borellus* 209
Franc. de *Borgia* 448
Borlaſius 366
Bornmeiſterus 75
Olaus *Borrichius* 546
Andr. *Boſch* 187
Petr. Paul. *Boſcha* 437
Marc. *Boſchinus* 467
Frid. *Boſius* 477
Iac. *Boſius* 479
Franc. Bedmar *Boſqueio* 185
Ant. *Boſſius* 484
Iac. Benignus *Boſſuetus* 233
Rud. *Botereius* 224. 244
Honoratus *Bouche* 247
Petrus *Boucher* 269
Ioh. *Bouchetus* 218. 219
Petrus le *Boucq* 371
Bouinus 217
Bouius 459
Nic. *Bourbonius* 271
Ioh. *Bourougbus* 361
Bouuetus 590
Ioh. *Bouuot* 216
Marc. Zuerius *Boxhornius* 23. 28. 375. 376. 384. 403. 404. 406
Iul. Caeſ. *Braccini* 445
Adolph. *Brachelius* 24
Franc. Maria Card. *Brancatius* 430
Branceus 372
Ant. *Brandaon* 199
Franc. Adam Com. *Brandiſius* 43
Gerh. *Brandius* 388

Ioh. Frid. *Breithaupt* 479
Scripta de controuerſia *Bremenſi* 138
Guido *Bretonneau* 210
Breueſius 561
Iac. *Breulius* 208
Henr. *Brewerus* 24
Germanus *Bricaeus* 108
Phil. *Brietius* 31
Briotus 573
Bernh. de *Brito* 199
Eraſmus *Brochmannus* 542
Baronius *Brockardus* 115
Iulianus *Brodeau* 215
Ianus *Brouckhuſius* 408
Henr. *Brouwer* 378
Chriſtoph. *Browerus* 81
Edwardus *Brownius* 562
Hieron. *Brücknerus* 46
la *Brunius* 410
Andr. *Brunnerus* 85
Scripta de controuerſia *Brunſuicenſi* 90
Hieron. *Bruſonius* 17. 410
Bruyerius 288
Corn. *Bruynius* 568
Aegid. *Bry* 243
Gabr. *Bucelinus* 38. 86. 413
Ioh. *Bucelinus* 371
Aug. *Buchnerus* 161. 553
Ioh. Franc. *Buddeus* 33. 430
Hieron. *Buiades* 187
du *Buiſſon* 239
Gottf. Ferd. *Bukiſch* 47. 57
Iul. Caeſ. *Bulengerus* 14
Octav. *Bulgarinus* 576
Ant. *Buliſonius* 441. 444. 445. 486
Bulla aurea 45
Iſm. *Bullialdus* 203
C. *Bulteau* 211
Ioh. *Buno* 24. 540
Greg. *Buonadiutus* 460
Ioſephus *Buonfiglius* 449
Andr. *Buraeus* 547
Franc. *Burchardus* 115
Barth. *Burchelatus* 456
Chriſt. *Burckhardus* 580
Phil. Andr. *Burgoldenſis* 46
Nic. *Burgundus* 111
Petrus Bapt. *Burgus* 68. 475
Franc. *Burmannus* 405
Gilb. *Burnettus* 214. 329. 346. 347. 362. 418
Ezech. *Burridge* 318
Guil. *Burtonus* 302
Ioh. *Buſſierius* 221. 273
Buſſingaltius 32
Rob. *Butcherius* 303
Abrah. *Bzouius* 427

C

Caelichius 547
Pius Felix *Caeſar* 96
Iac. *Cagna* 456
Caiſſelius 232
Ioh. *Caius* 300
Donatus *Caluus* 456
Ferd. de *Camargo* 180
Lucius *Camarra* 442
Guil. *Cambdenus* 297. 311. 313. 314. 357. 362
Ioh. de *Cambolas* 216
Cambraeus 233

Barth.

Barth. *Cambus* 459
Lud. *Camerarius* 160
Thom. *Campanella* 179
Ioh. Philibertus *Campanitis* 443
Bernhardinus ex Comit. de *Campello* 433
Thom. *Camperus* 108
Ant. *Campo* 438
Caniſius 150
Iac. *Cantelius* 504
Car. *Cantoclarus* 224
Franc. *Capecius* 444
Proſp. *Capella* 500
Marc. Ant. *Capellus* 460
Rud. *Capellus* 537
Franc. *Capra* 470
Petrus Ioh. *Capriata* 420
Caeſar de Eugenio *Caracciolus* 440
Carolus *Caraffa* 67
Georg. *Caraffa* 446
Placidus *Caraffa* 449
Embid *Cardona* 189
Ant. Georg. *Cardolus* 199
Rob. *Carew* 301
Alb. *Carillus* 197
Mart. *Carillus* 188
Budleius *Carletonus* 394
Carlilius 559
Guil. *Carmickius* 366
Lud. Iac. a S. *Carolo* 209
CAROLVS I rex Angl. 310
CAROLVS II rex Angl. 342
CAROLVS IX rex Sueciae 550
Bernh. *Carolus* 226
Dionyſ. *Carolus* 593
Franc. *Caronius* 585. 590
Ioh. *Carpentarius* 371
Bened. *Carpzouius* 135
Carreus 584
Carringthonius 324
Thom. *Carue* 168. 365
Carus 184
Ant. *Caſalis* 436
Iſ. *Caſaubonus* 460
Franc. de *Caſcales* 185
Iac. *Caſſanaeus* 211
Caſſanoua 187
Iac. *Caſtelhaueniae* comes 366
Petrus *Caſtellus* 445
Marchio *Caſtlemeirius* 466
Ferd. de *Caſtro* 183
Anna de *Caſtroega* 193
Sebaſt. Fantonus *Caſtruccius* 248
Guil. *Catelius* 147
Vinc. Maria de S. *Catharina* Senenſi 584
Sincerus *Catholicus* 154
Andr. *Catullus* 371
Cauazzus 593
Franc. *Caucheus* 593
Nic. *Cauſſinus* 269. 398
Didacus *Cea* 570
Caſp. a *Ceimeren* 547
Andr. *Cellarius* 514
Gerh. *Cellius* 417
Lud. *Cellotius* 268
Lud. *Centoflorenus* 434
Andr. *Cerinus* 195
Iac. *Cerlanus* 416

Ioh. *Cernitius* 77
Ioh. Eduard. *Chamberlainius* 306
Petrus *Chanutus* 551
Gabr. *Chappuis* 383
Sam. *Chappuzeau* 13
Ioh. *Chardinius* 577. 579
Lud. *Charondas* 215
Matth. *Charterius* 356
Iac. *Chaſtenet* 237
Chaualierius 329
Chaumontius 585
Boguslaus Phil. a *Chemnitz* 69
Ioh. *Chenu* 245
du *Cheſne*, vid. *Querceta-nus.*
Cheuillardus 211. 218
Cheuilletus 430
Lud. de *Chieſa* 470
Franc. Aug. della *Chieza* 471. 473
Ioh. *Chiffletius* 246. 291. 377
Ioh. Iac. *Chiffletius* 79. 196. 293. 401
Iulius *Chiffletius* 384
Childrey 299
Fabius *Chiſius* 131
Choiſius 585
Nic. *Chorierius* 235. 246
Carolus *Chotkieuicius* 523
Ioh. Bapt. *Chriſtinaeus* 387. 402
Paulus *Chriſtinaeus* 377
Winſtonius *Churchill* 308
Nic. *Chwalkouius* 514
Alph. *Ciacconius* 426
Ioh. Maria *Ciampinus* 432
Vincent. *Ciarlanti* 442
Felix *Ciattus* 434
Bapt. *Cicata* 442
Cyprianus *Cichonius* 417
Vincent. *Cimarellus* 437
Ioh. *Cirellus* 473
Ioſephus *Clamarnonius* 442
Scipio *Claramontius* 435
Comes *Clarendonius* 339
Petrus *Claudii* 537
Clementinus 434
Chriſtianus *Clericus* 598
Ioh. *Clericus* 33
Ioh. *Cleuelandius* 359
Petrus *Clodius* 107
Phil. *Cluuerius* 31. 173
Ioh. *Cluuerus* 23
Henr. *Cocceius* 56
Bened. *Cocchorella* 443
Car. Ant. *Coda* 438
Ant. Aug. *Codretus* 472
Coeleſtinus 456
Iac. *Cohellius* 430
Coietus 590
Rogerius *Coke* 312. 316. 325
Steph. *Coledgius* 342
Colemannus 337
Iuſtinus *Colierius* 562
Petrus *Colinus* 377
Franc. Perez de *Colla* 189
Didacus de *Colmenares* 183
de la *Colombiere* 265
de Electoratu *Colonienſi* ſcri-pta 153
Ioh. *Columbus* 291
Ioh. Bapt. *Columna* 450

Bernh. *Comenius* 129
Ioh. Amos *Comenius* 527
Lud *Comes* 589
Iac. a *Comite* 377
Commartinus 220
Caſp. *Commelinus* 375
Iob. *Commelinus* 388
Ioh. Bapt. *Commirius* 277
Iac. *Conander* 547
Herm. *Conringius* 11. 37. 45. 48. 56. 132. 139. 142. 148. 158. 425. 514. 526. 574
Caſp. *Contarenus* 455
Felix *Contelorius* 432
Aquilinus *Coppinus* 484
Ioh. Bapt. *Coppinus* 571. 574
Ioh. Vinc. *Coppius* 473
Aegid. *Coquillus* 245
Ioh. *Corbetus* 302
Sam. *Corbiacus* 216
Petrus *Coretinus* 484
Hayno *Corius* 483
F. *Corlieus* 245
Thom. *Cormerius* 215
Cornarius 306. 429
Petrus *Corneille* 276
Cornetus 472
Scripta de iure *coronandi* Reg. Rom. 142
Vinc. *Coronelli* 30. 451. 468. 480. 504. 569
Ant. *Corral* 190
Andr. de Pilka *Corycinius* 515
Gabr. *Coſſartius* 268
Margareta *Coſta* 474
Thom. *Coſtus* 444
Ioh. *Cotouicus* 570
Chriſtoph. *Cotterius* 107
Phil. *Couplet* 589
de *Cour* 400
Ioh. *Couſinus* 371
Cramallius 455
Ioh. Frid. *Cramerus* 12
Laur. *Craſſus* 34
Nic. *Craſſus* 456. 460. 468
Ioh. Petrus *Creſcentius* 419
Franc *Creuxius* 598
Caeſar *Criſpoli* 434
Georg. *Crittonius* 267
de la *Croix* ſ. Crucius 32. 575. 576. 591
Georg. *Crugerius* 172
Crumbkrügerus 175
Ioh. Gesberus *Cruſius* 161
Leuinus *Cruylius* 423
Lud. de *Cruzamonte* 253
Alph. de *Cueua* 452. 453
Franc. *Cumelus* 461
Frid. *Cunouius* 41
Ioach. *Curaeus* 173
Reinholdus *Curickenius* 525
Marchio *Cuſani* 442
Barth. *Cuſtos* 444
Leopoldus *Cyſatus* 412

D

Ioh. Nic. *Daglionius* 452
Ioh. *Dallaeus* 234
Dalleracus 524
Dalquiaeus 207
Iac. *Damianus* 165
Ioh. *Damoëthus* 186
Wilh. *Dampier* 597
Petrus *Dan* 209. 591
Iuſtus *Danckert* 31

Caſp. *Danckwertus* 41
Nic. *Dancquertus* 54
Hieron. *Dandinus* 571
Olfertus *Dapperus* 375. 569. 570. 581. 587. 591. 594
Petrus *Daretus* 265
Car. *Dati* 266
Ioh. Henr. *Dauber* 519
Alb. *Daugierius* 275
Deageant 235
Hieron. *Delbenius* 462
Dellonius 583
Publius *Demophilus* 398
Paulus *Deſpinoſa* 184
Verimundus *Deutſchmannus* 149
Diarium Europaeum 18
Franc. *Dias* 202
Chriſt. Lud. *Dilherrus* 61
Dillenius 388
Dillingenſes ICti 118
Dionyſius 598
St. *Disdierius* 232. 452
Ioh. *Doderidgius* 301. 305
Ioh. Baptiſta *Dohnius* 268. 432
Domſellarius 375
Alex. *Donatus* 421. 495
Ioh. Bapt. *Donatus* 574
Scripta de controuerſia *Donawerthica* 91
Donckerus 599
Donzellus 447
Ant. *Doria* 475
Leander *Dorias* 204
Claud. *Dormayus* 244
Caſp. *Dornauius* 104
Ioh. Georg. *Dorſcheus* 133
Petrus *Doſennus* 269
Ioh. *Doubdanus* 570
Thom. *Dreſnerus* 519
Guil. *Drummondus* 364
Mich. *Drydenius* 359
Franc. *Dückerus* 85
Wilh. *Dugdale* 303. 304. 305. 308. 319. 354
Rob. *Duglaſſius* 356
Barth. *Dulcinus* 439

E

Georg. *Earles* 320
Candidus *Eblanus* 104
Ant. de *Effectis* 433
Matthias *Ebingerus* 108
Wahremundus ab *Ehrenberg* 112
Mylerus ab *Ehrenbach* 53. 60
Iac. *Eindius* ab Haemſtede 390
Scripta de *Electione* Leopoldi Imp. 139
Electoratu a Palatino in Bauarum translato 111
Electoratu nono 155
Irenaeaus Philalethes *Eleutherius* 364
Reſpublicae *Elzeuirianae* 10. 39
Franc. *Emanuel* 205
Pomponius *Emigliani* 463
Vbbo *Emmius* 388
Georg. *Engelſüß* 70
Dux *Engoliſmenſium* 66
Caſp. *Ens* 382. 406

Didacus

Didacus *Equile* 80
Auguſtinus *Emht* 401
Dan. *Eremita* 43
Scripta de lite *Erffurtenſium* cum Moguntino 143
Adelarius *Erichius* 87
Ericus *Erici* 542
Henr. *Erneſtus* 542
Ant. Guil. *Ertelius* 40. 85. 166
Ianus Nicius *Erythraeus* 2. 485. 489. 491.
Caſp. *Eſcolanus* 185
Phil. l'*Eſpinoy* 377
de *Etrées* 235
Irenaeus *Eubulus* 132
Laur. *Euchardus* 365
Angelus de *Eugeniis* 445
Theodorus *Eugenius* 462
Erneſtus de *Euſebiis* 131
Iac. *Eyndius* 376
Ioh. Bapt. *Eyſen* 98
Mich. *Eyzingerus* 9

F

Chanterellus *Faber* 293
Ioh. *Faber* 542
Andr. *Fabricius* 117
Iac. *Fabricius* 107. 136. 137
Fagelius 343
Failleus 248
Ioh. Bapt. *Falda* 421
Celſus *Falernus* 436
Petrus *Falle* 363
Hiacynthus *Falletus* 444
Camillus *Fanuccius* 424
Fargius 585
Eman. de *Faria* 199
Andr. *Fauinus* 148
Ioh. *Faulhaberus* 135
Franc. *Faure* 270
Fauſtinus 436
Fauuelet du Toc 217
Fauuellius 562
Ant. *Faytus* 414
Mich. *Feburius* 572
Matth. *Fechnerus* 107
Federicus 475
Herm. Conr. Baro a *Feindenburg* 316
Petrus Martyr *Felinus* 421
Ioach. *Fellerus* 11
Nic. du *Fer* 30. 31. 187. 207. 208. 209. 365
Ferguſonius 349
Fermanelius 562
Alph. *Fernandez* 183
Ioh. *Feronius* 210
Ioh. *Ferrandus* 291
Octav. *Ferrarius* 269. 489
Phil. *Ferrarius* 32
Sigiſm. *Ferrarius* 168
Mich. *Fibigerus* 174
Nathan. *Fiennes* 324
Petrus *Firmianus* 286
Nic. *Fizherbert* 305
Henr. *Fizſimonius* 104
Flaccurtius 593
Amandus *Flauianus* 134
Eſprit *Flechier* 233. 270
Phil. *Flemmingius* 382
Hacquinus *Floriander* 551
Gebhardus *Florianus* 84
Damianus *Fonſeca* 190
Carolus *Fontana* 428

Vincent. Maria *Fontana* 432
Ant. *Fontanonus* 218
Fontius 598
Laur. *Forerus* 118. 128
Franc. *Forma* 187
Ioh. *Forqueſaulx* 85
Chriſtoph. *Forſtnerus* 157
Mich. *Foſcarinus* 467
Matthias *Foß* 543
Foulquet 241
Iac. de *Foumée* 479
Octav. de *Franceſci* 461
Eraſmus *Franciſci* 553. 584
Franciſcus 582
Petrus *Francius* 359. 407. 535
Leutholff von *Franckenberg* 12
Scripta de *Francofurtenſi* tumultu 96
Francopolita 151
Iac. *Francus* 19
Ioh. Frid. *Franzius* 77
Auguſtinus *Franzonius* 475
Marcus della *Fratta* 513
Marqu. *Freherus* 94 ſqq.
Sigiſm. *Freibergerus* 72
Freilaerus 580
Ioh. *Freinshemius* 57. 554
Ad. Mich. *Freiſtines* 335
Rolandus *Freius* 592
Caſim. *Freſchotus* 505. 513
Ioh. *Freſnaeus* 215
Phil. Canayus du *Freſne* 234
Chriſtianus *Freymundus* 152
Ant. *Freyra* 205
Chriſtoph. *Frickius* 583
Waremundus a *Frideberg* 46
Zach *Fridenreichius* 94
Ioh. *Friſchmannus* 139. 149. 527
Ahasuerus *Fritſchius* 46. 47. 50. 61
Petrus *Frizonius* 431
Leonh. *Frizonius* 274
Frogerius 596
Froidurius 209
Franc. Fuluius *Frugonus* 467
Ant. de *Fuertes* Biota 202
Ioh. Georg. *Fueslinus* 425
Guil. *Fullerus* 329
Thom. *Fullerus* 299. 301. 310
Fulmannus 305
Valerius *Fuluius* 463
Chriſtianus *Funccius* 11
Auguſtinus de *Funes* 479
Ferd. L. B. *Fürſtenbergius* 66. 499
Caeſarinus *Fürſtenerius* 58
Ioſeph. *Furtenbachius* 86. 416

G

Simon Abbes *Gabbema* 403
Lucas de *Gabriis* 527
Thom. *Gage* 594
Petrus *Galandus* 568
Auguſtinus *Galardus* 248
Iul. Caeſ. *Galeotus* 434
Gallardus 325
Scripta de bello *Gallo*-Germ.
priore 145
poſteriore 153
Angelus *Galluccius* 380

Tarqui-

Tarquinius *Gallucius* 489. 495
Dominicus *Gambertus* 482
Eugenius *Gamurinus* 474
Ioſeph. *Gamurinus* 380
Gandolfus 476
Ioh. *Gans* 29
Antonius *Gaza* 455
Ant. *Gariſſolius* 165
Alf. *Garſias* 184
Car. *Garſyas* 179
Ioh. *Gauden* 331
Petrus *Gazottus* 17
Ianus *Gebhardus* 161. 553
Aegid. *Gelenius* 81
Lud. le *Gendre* 229
Leges *Geneuenſium* 414
Gengenbachius 87
Iuſtinus *Gentilis* 154
Ioſeph. *Georgirenes* 569
Ioh. *Gerhardus* 128
Sincerus *Germanicus* 131. 262
Mich. *Germanus* 418
Ant. *Geroboldus* 573
Ioh. *Gerſon* 458
Nic. *Geruaſius* 585
Caſp. *Geuartius* 402
Chriſtoph. *Gewoldus* 95 ſq.
Conr. Blarerus a *Geyersberg* 112
Hieron. *Ghilinus* 438
Ioh. *Giacchettus* 423
Nic. Parthenius *Giannetaſius* 501
Emundus *Gibſonus* 297
Gilabert 187
Gratianus *Giraldus* 266
Ant. *Girardus* 110. 228. 238. 292
Phil. *Giſoltus* 439
Gobbelius 121
Erneſtus *Gockelius* 60
Abrah. *Guelnicius* 207
Barth. *Goericius* 116
Melch. *Goldaſtus* 47. 159. 172
Gomberuillius 597
Lud. *Gongorus* 474
Iac. *Gordianus* 443
Lamb. *Goris* 378
Mart. *Goskius* 77
Dion. *Gothofredus* 94. 211. 264
Iac. *Gothofredus* 253
Ioh. Lud. *Gothofredus* 9. 18. 550
Theod. *Gothofredus* 264. 293
Ant de *Gouea* 584
Gouſſancourtius 479
Boullage le *Goutz* 562
Ioh. Georg. *Graeuius* 359. 405. 432
Bapt. le *Grain* 223. 226
Gramallius 267
Ioh. Bapt. *Grammaye* 369. 370. 372. 591
Gabr. Barth. *Grammondus* 225
Ioh. Iac. *Graſſerus* 417
Theod. *Graswinckelius* 454. 465
Ioh. *Gratianus* 467
Franc. *Grauerolius* 216
Ioh. *Graunt* 304

Georg. *Greſlingerus* 310
Ioſeph. *Grelotius* 568
Adrianus *Greslonius* 589
Grey 304
Grimani 429
Car. Melch. *Grodnitius* 166
Otto Frid. a *Groeben* 567
Sim. *Groenwegen* 378
Ioh. *Groſſerus* 412
Guil. *Grotius* 378
Hugo *Grotius* 34. 273. 380. 383. 393. 405
Scripta de ſucceſſione *Grubenhagica* 97
Gruchmannus 84
Chriſtoph. Siegfrid. a *Grünenwald* 128
Andr. *Gryphius* 175
Chriſt. *Gryphius* 26. 35
Marcus de *Guadalaiara* 189
Galeatius *Gualdus* 17. 78. 192. 231. 240. 369. 439. 447. 473. 551.
Marc. Ant. *Guarinus* 436
Ioh. Maurit. *Gudenus* 83
Auguſtinus *Gudicanus* 516
Lud. Valeſius de *Guerra* 193
Ioh. Bapt. de *Gueſnay* 247
Iametus *Gueſſierius* 215
Ant. *Gueuarra* 71
Lud. *Guicciardinus* 368
Sam. *Guichenon* 246. 469
Allardus *Guido* 246
Ioh. *Guilinus* 356
Guilletierius 569
Guilletus 562
Scipio *Guillius* 470
Vincent. *Guiniſius* 496
Dux de *Guiſe* 446
Nic. de *Guiſe* 372
Ioh. Petrus *Guiſſanus* 440
Thom. *Gumbie* 326
Marc. Ant. *Gurgentis* 441
Florianus de *Gurry* Gursky 528
Didacus de *Guſmann* 190
Ioh. Sebaſt. *Guthe* 84

H

Andr. ab *Habernfeld* 64
Germanus *Habertus* 431
Ioh. *Hacketus* 318
Mich. Ant. *Hacki* 534
Ioh. Henr. *Hagelgans* 198
Gottlieb von *Hagen* 59
Ioach. *Hagenmeyerus* 60
des *Hages* 562
Marc. *Haltmeyerus* 412
Scripta de *Hamburgenſium* diſcordiis 152
nauigat. Albis 113
Hamelius 590
Herm. *Hamelmannus* 87
Andr. *Hamilthon* 366
Eberh. Guern. *Happelius* 329
Franc. *Haraeus* 379
Herm. von der *Hardt* 89
Gothofredus *Harniſch* 128
Alph. Lopez de *Haro* 181
Nic. de *Harouiis* 269
Iac. Nagy de *Harſani* 570
Georg. Phil. *Harsdörffer* 131
Chriſtoph. *Hartknochius* 515 525
Hauardus 583

Aug.

Aug. Adolph. *Haugwitzius* 176
Sr. de *Hauteuille* 515. 525
Georg. Chriſtoph. *Haynius* 9
Hayus 583
Iac. *Heath* 319. 321. 324. 326
Eitel Frid. ab *Heerden* 51
Tob. *Heidenreich.* 82
Reinholdus *Heidenſteinius* 520
Irenaeus *Heiland* 119
Anton. *Heimrichius* 88
Dan. *Heinſius* 161. 383. 404. 405. 553
Nic. *Heinſius* 360. 407. 498. 555
Heiſſius 40
Nic. *Helduaderus* 539
Ferd. *Helenus* 200
Chriſtoph. *Heluicus* 28
Claud. *Hemeraeus* 243
Balth. *Henckelius* 70. 157
Tob. *Henckelius* 110
Nic. *Henelius* 174
Lud. *Hennepinus* 598
Scipio *Henricus* 454
Herardus 242
Thom. *Herbert* 321. 579. 581
Eduardus *Herbertus* 227
Fabius *Hercynianus* 97
Heretierius 208
Rutgerus *Hermannides* 298
Ioh. *Hermannus* 104
Chriſtian. *Hermannus* 83
Alb. *Herportus* 583
Hyacinthus de *Herrea* 194
Franc. *Herrera* 594
Iuarus *Hertzholmius* 540
Mich. *Herzius* 36
Guil. *Heſius* 500
Elias *Heſſus* 583
Petrus *Heuinus* 216
Petr. *Heylinus* 311
Hieronymus S. I. 592
Thom. *Hobbeſius* 319
Matth. *Hoëi* lites 105. 117. 118
Hoëlius 361
van den *Hoff* 400
Ioh. Iac. *Hofmannus* 34
Pandolfus *Hofmannus* 459
Hofmannus 583
Theoph. *Hogerſius* 404
Gregor. *Holckius* 172
Petrus *Holderus* 388
Iodocus *Hondius* 30. 415
Petrus Corn. *Hoofdius* 224
Romanus de *Hooghe* 30
Benedictus *Hopferus* 44
Ioh. *Hopnerus* 543
Ioh. *Hornbeccius* 134
Georg. *Hornius* 10. 317. 587
Guil. *Hornius* 408
Frid. *Hortlederus* 89
Ioh. Henr. *Hottingerus* 409. 412. 413
Amelot de la *Houſſaye* 262. 452
Iac. *Howel* 303. 309. 357
Petrus *Hozierius* 219. 265
Vlricus *Huberus* 23
Conſtant. *Hugenius* 407
Herm. *Hugo* 383
Ludolph. *Hugo* 51

Huguetanus
Ioh. *Hummezzius* 574
Ioh. *Humoriada* 107
Ioh. *Hutleſtonius* 342
Germanus von der *Hutt* 135
Vlricus *Huttenus* 122
Thom. *Hyde* 573
Baſil. *Hypiretus* 12

I

IACOBVS rex Angl. 314
Iac. *Ianidlouius* 518
Ianius 233
Donatus *Iannotius* 455
Corn. *Ianſenius* 253
Ianſonius 344
Ioh. *Ianſonius* 30
Petr. *Ianſonius* 557
Ioh. *Ianuszowsky* 518
Petrus *Iardinius* 249
Ieannin 382
Dominus de *Iena* 58
Paulus *Ieniſius* 77
Rob. *Ieniſonius* 327
Dav. *Ienkind* 301
Ieſuitae Graecienſes 167
Ingolſtadienſes ib.
Viennenſes ib.
Iac. Wilh. *Imhoff* 29. 42. 217. 307. 419
Alb. *Ines* 531. 533
Franc. de *Ingenuis* 464
Auguſtinus *Ingeues* 449
Maria *Ioanellus* 473
Wilh. *Iocherus* 97
Petrus *Ioffredus* 469
Sam. *Iohnſonius* 342
Ewartius *Iollquetus* 555
Ioneſius 328
Caſp. *Iongelinus* 431
Gilb. *Ioninus* 282. 497
Arturus *Ionſtonus* 365
Ioh. *Ionſtonus* 164
Adr. *Iordanus* 218. 269
Petrus *Ioſephus* 589
Ioh. *Ioſſelinus* 599
Arnaudus *Irenaeus* 116
Franc. *Irenicus* 46
Rich. *Iſaacius* 301
Ad. *Isbrandus* 560
Ioh. Iac. *Iſchia* 151
Iac. *Isnardus* 227
Iſidorus *Iſolanus* 438
Nic. *Iſthuanſius* 506
Iudaeorum gratulat. in nativ. Ioſephi 168
Volquardus *Iuerſenius* 582
Lud. *Iuglaris* 481
Scripta de ſucceſſione *Iuliac.* Cliv. & Mont. 92
Ioh. Bernhardinus *Iulianus* 445
Chriſtianus *Iunckerus* 74. 563
Chriſtoph. *Iuſtellus* 210
Bernh. *Iuſtinianus* 180
Mich. *Iuſtinianus* 485

K

Henr. *Keepe* 304
Otto *Keiens* 598
Ioh. *Keilius* 138
Iac. *Kellerus* 97. 253
Abrah. *Kempis* 376
White *Kennet* 300
Kheuenhüllerus 171
Wolfg. *Kilianus* 42. 76. 77

Dan.

Dan. *King* 301
Caſp. *Kinſchotius* 174. 360. 407
Henr. *Kippingius* 23. 146
Athan. *Kircherus* 432. 587
Ioh. *Kitonich* de Koztanicza 508
Ioh. Conr. *Knauth* 84
Philippus *Knipſchildius* 59
Ioh. Ant. *Knobbaard* 377
Rich. *Knolles* 575
Rich. *Knox* 365. 582
Stanislaus *Kobierzicky* 522. 524
Veſpaſianus *Kochowsky* 523
Auguſtinus *Kodlucky* 519
Conr. Chriſtoph. a *Koenigsmarck* 554
Auguſtinus *Kordeckius* 524
Chriſtoph. *Kormart* 238
Henr. *Krefftingius* 139
Ioh. Gesberus *Kruuſius* 553
Ioh. Caſp. *Kuhnius* 270
Ioh. Georg. *Kulpiſius* 45. 52. 54. 60
Sam. *Kuſcewitz* 523
Ioh. *Kwiatkewicz* 530

L

Ioh. *Labardaeus* 228
Lud. Coello de *Labardua* 199
Petrus *Labbeus* 282
Ioh. *Laboureur* 70. 238. 292. 523
Ioh. de *Laet* 10. 177. 206. 580. 581. 594. 596
Eraſmus Mich. *Laetus* 539
Wilh. *Lambardus* 302
Petrus *Lambecius* 80
Ioh. Bapt. *Lambertinus* 180
Archangelus *Lambertus* 577
Caeſar *Lambertus* 571
Iac. *Lambertus* 268
Guil. *Lamormainus* 76
Iac. *Lampadius* 48. 132
Theoph. *Lampertus* 124. 125
Andr. *Lampius* 109
Auguſtinus *Lampugnanus* 439
Vincent. Blaſco de *Lamuza* 185
Secundus *Lancellotus* 416
Georg. *Landherr* 117
Iac. von *Landsberg* 371
Philippus *Landsberg* 68
Iulius a *Langenberg* 93
Hubertus *Languetus* 160
Hippolytus a *Lapide* 48
Sincerus Germ. a *Lapide* 43
Larrey 309
Rich. *Laſſelius* 417
Sigiſm. *Latomus* 19
Ioh. Bapt. *Lauarna* 193
Guil. *Laudus* 318
Scripta de *Lauenburgica* ſucceſſione 153
Launeus 416
Launius 303
Ioh. Franc. *Lauredanus* 166. 448
Ioh. Georg. *Layritz* 29. 292
Albertus *Lazari* 27
a S. *Lazaro* 26. 211
Lebrangius 327
Iac. *Lectius* 267
Sim. van *Leeuwen* 373. 376

Ioh. *Legerius* 469
Chriſtoph. *Lehmannus* 83. 84
Petr. Ambroſ. *Lehmannus* 29
God. Guil. *Leibniz* 590
Leicardus 97
Petrus *Leiceſtrius* 301
Ed. *Leigh* 298
Ioh. *Le!etus* 216
Car. de *Lellis* 443
Cyriacus *Lentulus* 149
R. Iuda *Leo* 173
Mart. de *Leon* 193
Marc. *Leſcarbotus* 598
Iac. *Leſcornaeus* 243
Lesleus 562
Greg. *Leti* 35. 40. 82. 223. 230. 306. 311. 325. 369. 414. 418. 420. 424. 427. 428. 429. 430. 439
Beni. *Leuberus* 110. 176
Dietericus *Leuswidus* 376
Petrus *Leyceſter* 365
Ed. *Lhwyd* 305
Anton. *Libanorus* 436
Frid. *Lichtſternius* 174
Ligonius 597
Ioh. *Limnaeus* 45. 46. 48. 49. 206
Petrus *Linage* de Vauciennes 26
Nic. Chriſtoph. *Linckerus* 55. 56
Lucas de *Linda* 8
Dav. *Lindanus* 371
Gregor. *Lindemannus* 106. 554
Georg. Mich. *Lingelshemius* 157
Scipio *Liponarus* 447
Andr. *Lipſcius* 519
Scripta de victoria *Lipſienſi* 125
Iuſtus *Lipſius* 370. 390
Ioh. a *Lipiiz* 107
Zach. *Liſieux* 286
Mart. *Liſterus* 208
Ioh. Caramuel a *Lobkowitz* 132. 196. 201
Alex. *Locatellus* 467
Ioh. *Loccenius* 548. 550
Dav. *Lodius* 330
Verrius *Loerius* 243
Logganus 300
Georg. *Lohmeierus* 29
Loirius 561
Ant. *Loiſelius* 243
Petrus *Lombardus* 365
P. du *Londel* 73. 223
Mich. Caſp. *Londorpius* 14. 22. 90
Mich. *Lonigus* 112
Alphonſus *Loſchus* 27
Ioh. Petr. *Lotichius* 67
Louberius 585
Petr. *Louuet* 243. 247
Hub. *Loyens* 377. 379
Stanisl. *Lubienskius* 100. 520
Stanisl. *Lubomirsky* 516
Iac. *Lubranus* 500
Ioh. Bapt. de *Luca* 424
Iac. *Lucaris* 513
Frid. *Lucas* 174
Ioh. de *Lucca* 445. 576

Gratia-

Gratianus *Lucius* 365
Ioh. *Lucius* 513
Edmundus *Ludlouius* 321. 326
Iobus *Ludolfus* 574. 593
Ioh. Petr. *Ludouici* 12. 74
Codex *Ludouicianus* 215
Lunadorus 424
Matth. *Lungwitius* 69. 70
Ioh. Chriſtian. *Lünigius* 22
Luſſanus 596
Wenc. Clemens a *Lybeomonte* 165. 355
Adolphus *Lyſeck* 559

M

Ioh. *Mabillonius* 418
Franc. *Macedo* 202. 499
Georg. *Mackenzie* 364
Ioh. *Madaira* 199
Alb. *Madalinsky* 519
Scipio Angellus *Maffaeus* 476
Gabr. *Magaillanz* 589
ſcripta de clade *Magdeburgica* 123
Nic. *Mager* 473
Ioh. Ant. *Maginus* 415
Corn. *Magnus* 566
Armandus *Maichinus* 245
Mailius 475
Comes *Maiolus* 386
Carolus le *Maire* 208
Ioh. Burch. *Maius* 21. 63
Lud. *Maius* 507
Thom. *Maius* 318
Ant. de *Malagonellis* 478. 490
Claud. *Malingré* 222. 226. 244
Saluator de *Mallea* 194
Alanus Maneſſon *Mallet* 31
Virgilius *Maluezzi* 190
Iac. *Mamillus* 423
Ioh. Phil. *Manardus* 461
Maria *Mancina* 241
Lud. *Mancius* 167
Ioh. Alb. *Mandelsloh* 581
Ioh. Andr. *Maneglia* 482
Chriſtoph. *Manlius* 176
Rogerius *Manlius*, 317. 575
Sebaſt. *Manriquez* 193. 582
Car. a *Mansfeld* 377
Franc. Ramos dal *Manzano* 203
Bernhardinus *Manzonius* 435
Coelius *Maphiolius* 484
Lud. *Maraccius* 423
Ioh. Paul. *Marannus* 475
Ioſeph. Maria *Marauiglia* 574
Petrus de *Marca* 186. 248
Guil. *Marcellus* 28
Franc. *Marchettus* 246
Iac. *Marci* 375
Philib. de la *Mare* 227. 245
Margaretus 558
Ioh. de S. *Maria* 192
Ioſeph. de S. *Maria* 582
Ioh. *Mariana* 179
Marinierius 431
Hier. de *Marinis* 474
Franc. *Marinus* 517
Ioh. Phil. *Marinus* 586
Guil. *Marlottus* 244. 266
Andr. *Marmoras* 467
Ferrantes de *Marra* 443

Iac. *Marſarus* 455
Ioh. *Marſelius* 458.460
Franc. *Marshamus* 354
Ioh. *Marshamus* 309
Lud. Ferd. *Marſiglius* 568
Frid. *Martens* 537
Auguſt. *Martinellus* 422. 433
Dominicus *Martinellus* 452
Franc. *Martinez* 185
Nic. *Martini* 146
Martinus *Martinius* 587
S. *Martinus* 424
Franc. *Martius* 433
Franc. *Martorell* 187
Andr. *Maruellus* 337
Ioh. Balth. *Marzolaccius* 476
Auguſt. *Maſcardus* 496
Iulius *Maſcaronius* 270
Iac. *Maſenius* 81.500
Auguſt. *Maſius* 481
Maſſauillaeus 243
Maſſiacus 232
Ioh. Papyrius *Maſſonius* 207. 470
Leo *Matinus* 456
Petrus *Matthaeus* 222. 224
Chriſt. *Matthiae* 23
Frid. Alb. *Maulius* 119
Caſp. *Maurerus* 81
Mauricaeus 207
Ericius *Mauricius* 59
Ioh. Bapt. *Mauritius* 402
Andr. *Maurocenus* 456
Rodericus *Mauſellus* 327
Lud. du *May* 40
Ioach. *Mayerus* 74
Ioh. Frid. *Mayerus* 425.554
Innocentius *Maynus* 195
Ioſeph. Ant. *Mazarellus* 197
Card. *Mazarini* 241
ſcripta de ſucceſſione *Meklenburgica* 156
Hieron. *Megiſerus* 80.440
Henr. *Meibomius* 87
Gerh. *Meinardus* 216
Melch. Mich. *Meinerius* 552
Iac. a *Mellen* 505
Franc. Emanuel de *Melo* 187
Chriſtian. *Melzerus* 83
Decius *Memmolus* 431
Aegid. *Menagius* 281
Menardierius 231
Otto *Menckenius* 11.23
Rodericus *Mendez* 204
Anton. Hortado de *Mendoza* 194
Salazar de *Mendoza* 197
Lud. *Meneſes* 201
Claud. Franc. *Meneſtrier* 218. 231
Franc. Ioh. *Mentelius* 370
Merckius 86
Merclinus 590
Matth. *Merian* 207
Paul. *Merula* 177.417
Ioh. *Meſſenius* 549.550
Ioſeph *Metzgerus* 85
Meurius 593
Ioh. *Meurſius* 375.539
Auguſtinus L. B. de *Meyersberg* 559
Chriſtianus *Meyerus* 126
Corn. *Meyerus* 423

Iuſtus

Iuſtus *Meyerus* 114
Franc. *Mezeraeus* 221. 575
Gabr. *Michaëlis* 215
Ioh. *Micraelius* 84. 162
Petr. *Mieczkowsky* 518
Guido *Miegius* 306
Felix *Milenſius* 471
Ant. *Milledonnius* 468
Thom. *Milles* 354
Bened. *Millinus* 423
Ioh. *Miltonus* 320. 333. 334. 335
Paulus *Mimius* 473
Minucius *Minuccus* 462
Aub. *Miræus* 65. 75. 379. 475
Rolandus *Mirtaeus* 380
Max. *Miſſon* 418
Ioh. *Mitchel* 297
Ioh. *Mochingerus* 530
Modeneſius 446
Franc. *Modius* 2
Fauſtinus *Moiſeſcus* 463
Molesworthius 538. 547
Petrus *Molinaeus* iunior 334
Claud. *Molinetus* 426
Andr. *Mollerus* 82
Ioh. *Mollerus* 41. 88
Ioh. Bapt. *Molliere* 185
Leuinus a *Moltken* 426
Andr. de *Monacha* 443
Comes *Monbaſius* 386
Monconnys 179. 563
Acta *Monetaria* 109. 157
Philib. *Monetus* 227
Petrus Rodriguez de *Monforte* 195
Petrus *Monodus* 470
Guil. *Monſonius* 315
Montalbanus 593
Arnoldus *Montanus* 377
Nic. *Montemerlus* 438
Ioh. Iulius *Montenſis* 93
Lud. de *Monteſperato* 135
Montius 232. 562
Montreſorius 238
Montreulius 290
Seuerinus de *Monzambano* 52
Ioh. Moquetus 583
Ioh. Gomezius de *Mora* 194
Rob. *Mordenus* 298. 303
Ioh. *Moreletus* 231
Ioh. Bapt. *Morellus* 200
Petrus *Morellus* 595
Morellus de Daſſay 232
Lud. *Morerius* 33
Ioh. *Morettus* 190
Matt. *Morgueſius* 252
Paulus *Morigius* 438
Guil. *Morinus* 244
Iac. *Morinus* de la Maſſiere 265
Claud. Barth. *Moriſottus* 224. 285. 288
Adr. de la *Morliere* 242
Phil. *Mornay* S. du Pleſſis 234. 239
Alex. *Morus* 334
Lud. *Moſcardus* 455
Mouettus 592
Gabr. du *Moulin* 243
Mucius 433
Philadelphus *Mughos* 449
Andr. *Müllerus* 20
Andr. *Müllerus* 589
Mich. Angelus *Muriſonus* 230
Ioh. *Murnierius* 245

Philotimus *Muſaeus* 104
Ioh. Bapt. *Muſculus* 445. 498
Vinc. *Muth* 186
N
Annus de *Naberat* 479
Ioh. *Nadani* 506
Franc. *Nadaſti* 505
Paulus *Nagelius* 107
Fauſtus *Naironus* 571
Ioh. *Nalſonus* 314. 315. 316
Bapt. *Nani* 141. 457. 465
Ignatius Ephraim *Naſo* 174
P. *Nau* 570
Dominicus Fernandez de *Nauarreta* 588
Gabr. *Naudaeus* 259. 433
Petrus *Negeſceſſius* 325
Georg. Chriſtoph. a *Neitſchütz* 567
Dan. *Neſſelius* 23
Neudorfferus 174
Guil. Eon *Neuheuſerus* 108
Ioh. *Neuhof* 582. 587. 596
Ioh. Wilh. *Neumayer* 416
de la *Neuuille* 383. 559
Auguſtinus *Nicolai* 448
Ioh. *Nicolai* 292
Eliud *Nicolaus* 584
Hieron. *Nicolinus* 442
Guil. *Nicolſon* 296
Burch. a *Niderſtet* 479
Franc. *Niger* 476
Mauritius *Nitri* 506
Ioh. *Nixdorff* 518
le *Noble* 381. 475
Ioh. Bapt. *Nola* 443
Ioh. Bapt. *Nolinus* 207. 209
Nomagius 382
Lud. *Nonius* 178
Ioh. *Nordenus* 302. 303
Caeſar *Noſtradamus* 247
Alfonſus *Nunneſius* 183. 184
Eduardus *Nunneſius* 198
O
Titus *Oates* 328
Vlr. *Obrechtus* 46. 52. 57. 59. 269
Alex. *Oexmelinus* 594
Carolus *Ogerius* 536
Ioh. *Ogilby* 298. 356
Arnoldus *Oihenartus* 209
Simon *Okolsky* 520
Phil. Andr. *Oldenburgerus* 11. 43. 46. 51
Auguſt. *Oldoinus* 426
Adamus *Olearius* 557. 578
Godofr. *Olearius* 87
Beniam. *Olitſchius* 583
Nic. *Oliuerius* 507
Olszouius 528
Iac. van *Oorts* 310
Lucas *Opalenius* 518
Mart. *Opitius* 446
Dav. ab *Oppen* 136
Petrus Iof. d'*Orleans* 204. 309
Ioh. *Orlerus* 43. 376
Abrah. *Ortelius* 32
Hieron. *Ortelius* 506
Georg. *Oſſalinius* 529
Arnaud. Card. d'*Oſſat* 234
Chriſtian von *Oſterhauſen* 479
Petrus *Oſtermannus* 130
Phil. *Oſuleranus* 366
Daniel *Otto* 48
Axelius *Oxenſtirnius* 49

Latinus

P

Latinus *Pacatus* 390
Rod. *Pacecus* 203
Ioh. Bapt. *Pacichellus* 32. 419
Virgilius *Paganus* 471
Alf. *Paiolus* 239
ſcripta de controuerſia *Palatinorum* & Neoburg. 93
Ioh. *Palafoxius* 190.589.596
Ioh. *Palatius* 72. 416. 456
Palernus 566
Henr. *Palladius* 463
Ferrantes *Pallauicinus* 191. 428
Palliotus 214
Victor *Palma* Caietanus 224
Ioh. Bapt. *Palmerius* 459
Ioh. Ant. *Pancerus* 507
Octav. *Pancirollus* 421
Pappus 64
Mich. *Papinianus* 433
Matthias Maximil. a *Paraſin* 554
Dan. *Pareus* 81
I. N. de *Parival* 26. 375. 400
Sam. *Parckerus* 347. 348
Paul. Ant. de *Parſia* 195
Dan. *Partheys* 583
Rich. *Parturius* 330
Car. *Paſchalius* 413
Ioh. Nic. *Paſquallus* 436
Caietanus *Paſſarellus* 200. 404
Auguſtinus *Paſtorius* 22
Franc. *Paſtorius* 599
Ioach. *Paſtorius* 520. 523. 530
Guido *Patinus* 290
Iac. Henr. *Pauli* 152. 540. 543
Ioh. *Paullſen* 540
Ant. de *Paulo* Maſinus 436
Car. a S. *Paulo* 237
Auguſtinus de *Paz* 220
Laur. *Peckenſteinius* 174
Iulianus *Pelaeus* 211. 224
Paul. *Peliſonius* 270
Ioſ. *Pellicerius* 182. 187
Sam. *Pepy* 362
Franc. *Pera* 435
Harduinus *Perefixius* 224
Camillus *Peregrinus* 442
Conſtantinus *Peregrinus* 43. 65
Caſp. *Pereira* 205
Lupus de Sequeira *Pereira* 205
Iac. *Perizonius* 359
Car. *Perraltus* 292
Ioh. Bapt. *Perſicus* 476
Ioh. Georg. *Pertſchius* 83
Lud. Aurel. *Peruſinus* 65
Dion. *Petauius* 28
Steph. *Petiotus* 268
Guil. *Petitus* 307
Franc. Bermudez de *Petraia* 185
Ioh. Innocent. *Petricius* 523
Franc. de *Petris* 445
Guil. *Pett* 303. 365
Petrus *Pettus* 346
Pettuſius 300
Iſaacus *Peyrerius* 537
Ed. *Peytonus* 312
Tob. *Pfannerus* 42. 47. 70. 71
Pfefferkornius 83
Ioh. Frid. *Pfeffingerus* 54
Ioh. Henr. *Pflaumerus* 416

Salluſtius *Pharamundus* 414
Ephander *Philax* 463
Ioh. *Philippus* 319.334
Ioh. *Philipſotus* 362
Philomathus 498
Gratianus *Philoecus* 57
Mutius *Phrebonius* 442
Paulus *Piaſecius* 522
Carolus Barth. *Piazza* 427
Piccartus 376
Eman. *Pimente* 198
Franc. *Pinſonius* 214
Petrus *Piperinus* 442
Franc. de *Piſa* 184
Helena Lucretia Cornelia *Piſcopia* 491
Ioſeph. de la *Piſe* 247
Guil. *Piſo* 584
Ioh. *Pitoniat* 247
Franc. *Placentia* 568
Placidus 370
Ioh. Bapt. *Plantinus* 410
Ioh. *Plauſtrarius* 107
Scipio du *Pleix* 221
Rob. *Plot* 304.305
Andr. *Pocylus* 447
Ioh. Frid. *Poeppingius* 11
Henr. *Pohlmannus* 153
F. de la *Pointe* 265.597
Poiſſonius 284
Andr. *Politus* 449
Alex. *Pollinus* 499
Franc. *Pomey* 269
Ignatius *Pomplanus* 489
Arnaldus *Pomponius* 290
Poniatouia 107
Ioh. Iſaacius *Pontanus* 373. 375. 406. 536. 539. 590
de *Pontis* 236
Marchio *Poronus* 466
Pornettus 65
Angelus *Portenarus* 455
Didacus Sanchez *Portocarero* 184
Ant. *Poſſeuinus* 460
iunior 471. 476. 558
Phil. *Poſtquierius* 355
Poullettus 565
Sr. de *Prade* 551
Scripta de pace *Pragenſi* 127
Mich. *Pmun* 59
Ioh. Lud. *Praſchius* 154
Iac. *Prempart* 384
Dan. *Printz* a Buchau 558
Beni. *Priolus* 228
Luc. *Probus* 469
Guil. *Prynnius* 318.332
Sam. *Pufendorffius* 12. 52 70. 72. 550
Rob. *Pugh* 318
Ioh. Petr. *Puricellus* 438
Puſchius 83
Eric. *Puteanus* 370. 384. 395. 403
Petr. *Puteanus* 212. 217
Ioh. Bapt. de *Puteo* 511
Roccus *Pyrrhus* 449

Q

Franc. *Quareſmius* 570
Andr. *Quercetanus* 206. 208. 218. 265. 309
Franc. *Quercetanus* 211. 431
Quicletus 565

Ioh.

Ioh. de *Quinnones* 187. 446
Hieron. de *Quintana* 183
Anton. *Quirinus* 457
Petrus de *Quiros* 195

R

Rogerius *Rabutin* C. de Buſſy 240. 288. 292
Sam. *Rachelius* 37. 159
Bernh. *Radulphus* 468
Claud. *Raelamb* 549
Raguenetus 325
Bernard. *Ramazinus* 477
Ranuccius 410
Florimundus *Rapinus* 226
Renatus *Rapinus* 274
Caeſar *Raſſonus* 422
Georg. *Rautkzy* 513
Berchtoldus a *Rauchenſtein* 65
Ioh. *Rauen* 542
Petrus Maria *Rauina* 435
Ioh. *Rauius* 32
Franc. *Raulinus* 483
Placidus *Rayna* 449
Rebouletus 410
Scripta de Gallorum iure *recuperatorio* 151
Iul. Caeſ. *Recupitus* 446
Ioh. Valent. *Rehte* 554
Euerh. *Reidanus* 380
Alb. *Reimarus* 421
Ioh. W. *Relfendſo* 58
Scripta de *Religionis* libertate in S. R. I. 114
Renaudotus 19
Rennefortius 583
Ioh. Wolffg. *Rentſchius* 77
Mart. de *Requena* 193
Petr. Ioh. *Reſenius* 536. 540. 542
Petrus de *Reua* 505
Georg. *Reuellus* 227
Iac. *Reuius* 376
Georg. *Reuterus* 167
Ioh. *Reygersbergius* 376
Ioh. Henr. *Rhan* 412
Ioh. *Rhederus* 543
Ioh. Frid. *Rhetius* 53. 60
Alex. de *Rhodes* 586
Polienus *Rhodienſis* 286
Thom. *Rhoë* 581
Alex. Maria *Rialonus* 457
Ioh. de *Ribere* 189
Ioh. Pintus *Ribere* 177
Mich. *Riberius* 193
Iac. *Ribierius* 217
Paul. *Ricault* 572. 575.
Barth. *Riccepulus* 435
Ioſ. *Riccius* 17. 68. 420
Richardus 231
Richouerius 583
Riencurtius 213. 230
Nic. *Rigaltius* 254. 286
Ioh. Philippus *Ringlerus* 58
Ioſephus *Ripamontius* 437
Georg. *Riſcherus* 135
Chriſt. a *Rittersbach* 115
Nic. *Ritterſhuſius* 28
Andr. *Riuinus* 165. 446
Mart. de *Roa* 184
Gothofr. *Robertus* 1[illegible]
de la *Rocheſaucauld* 239.
Bern. de la *Roche-Flauin* 214. 216
Andr. *Rochotius* 1[illegible]

Henr. *Rochs* 172
I. B. *Rocoleſius* 40
Rocquaeus 219
Rocqueuillius 592
Iohannes Comes *Roffenſis* 358
Abrah. *Rogerius* 582
Eugenius *Rogerus* 570
Henr. Dux de *Rohan* 235
Zoroaſter *Roiterus* 463
Hieron. *Romanus* 205
Alexius *Roncouerius* 226
Malla de la *Roque* 214
le Comte de *Rochefort* 241
Iulianus *Rosbecus* 390
Petrus *Roſellus* 211
Ioh. *Roſenbomius* 378
Ioh. Wolffg. *Roſenfeld* 58
Gundaeus *Roſenkrantzius* 541
Iac. *Roſenkrantzius* 542
Baro *Roſenroth* von Sultzbach 25
Ioh. Iac. *Roſſi* 421
Iulius *Roſſus* 462
Petrus *Roſſus* 440
Frid. *Roſtgaard* 543
Georg. *Roſtius* 108
Ianus *Rotgerus* 99
Claud. *Roubiſius* 245
Petr. *Rouerius* 267. 431
Franc. de *Rougemont* 588
Ioh. *Roux* 18
Ioh. *Rowelandus* 334
Iac. le *Roy* 370
Car. *Ruaeus* 276
Ant. *Ruffius* 247
Ioh. Sim. *Rugierius* 429
Ioh. *Ruiſius* de Laguna 439
Heidenus Boromaeus *Rukruntus* 47
Sebaſt. *Rulliardus* 244
Runtzelwarner von Grund 150
Rupefortius 597
Ioh. Ioach. *Rusdorffius* 111. 112. 162
Rushwortus 314. 316
Ruſſelius 342
Ant. *Ruteau* 372
Eman. Philibert de *Rymen* 425

S

Ioh. Iac. *Saarius* 582
Lud. Rodolphinus *Sabloneta* 419
Aegid. *Sadeler* 423
Gabr. *Sagardus* 598
Caſp. *Sagittarius* 83. 84. 87. 88
Ioh. *Sagredus* 575
Ioh. Bapt. Suareſius de *Salazar* 185
Salbray 376
Claud. *Salmaſius* 333. 334
Rob. Mentet de *Salmonet* 320
Salſeden 270
Ioh. Adlerus *Saluius* 49
Mich. Angelus *Saluus* 473
Fratres *Sammarthani* 13. 218. 219
Abel *Sammarthanus* 219. 226. 227
Dominicus de *Sanctis* 444
Ioh. a *Sande* 378. 381
Guil. *Sanderſonus* 311
Ant. *Sanderus* 369. 371
Franc. *Sandfort* 307. 356

Georg.

Georg. *Sandis* 566
Ioach. *Sandrart* 170
Ant. *Sanfelicius* 441
Nic. *Sanſon* 30. 32. 419. 580
Franc. *Sanſouinus* 419. 451. 575
Ioh. *Santalbinaeus* 245
Thom. de *Santis* 448
Ioh. Bapt. *Santolius* 281
Santolonius 592
Ant. *Santorellus* 445
Franc. *Santos* 183. 184
Octauius *Sapientia* 570
Iulianus *Saracenus* 434
Matthias Caſimirus *Sarbieuius* 497. 532
Caſp. *Sardus* 436
Sim. *Sardus* 460
Pompeius *Sarnellus* 441
Paulus *Sarpius* 457. 458. 464
Ioh. Franc. *Sarraſin* 231
Claud. *Sarrauius* 289
Ioh. *Sartorius* 531
Lud. *Sartus* 436
Ioh. *Sauaro* 212
Ioh. *Sauilius* 356
Franc. *Sauinianus* d'Alquie 375
Ioh. *Saxus* 517
Oſ. *Schadaeus* 14. 86
Iac. *Schallerus* 335
Adamus *Schallius* 589
Carolus *Scharſchmidius* 44
Ioh. *Schefferus* 547. 554
Rabodus Hermannus *Schelius* 398. 399
Guil. *Schickardus* 41
Iac. *Schickfuſius* 173
Schiferdegherus 175
Ioh. *Schilterus* 50. 56. 86
Schiraeus 162
Ioh. Georg. *Schlederus* 18
Schleuſingius 558
Arnoldus *Schlichtenhorſtius* 373
Melch. *Schmid* 567
Tob. *Schmidt* 82
Caſp. *Schneiderus* 83
Zach. *Schneiderus* 82
Ioh. Georg. *Schochius* 566
Georg. *Schoebelius* 75
Mart. *Schoedel* 505
Mart. *Schoockius* 372
Chriſtoph. *Schorerus* 86
Schotanus 376
Iuſtus Georg. *Schottelius* 45
Andr. *Schottus* 415
Franc. *Schottus* 415
Schoutenius 585
Ant. Wilh. *Schowartus* 29
Chriſtoph. *Schraderus* 28
Theod. *Schreuelius* 376
Chriſtianus *Schultzius* 84
Gualterus *Schultzius* 581
Petrus *Schultzius* 325. 554
Ioh. Balth. *Schuppius* 541
Conr. Sam. *Schurtzfleiſchius* 84. 86. 88. 159. 161. 176. 532
Guil. *Schuterus* 598
Guil. Ignatius *Schützius* 46
Gabr. *Schwederus* 55
Dav. de *Schweinitz* 175
Guil. *Schwinian.* 385
Caſp. *Scioppius* 114
Ioſ. Phil. *Scipſius* 101
Car. *Scribanius* 370

Franc. *Scriua* 189
Guil. *Scroggus* 339
Abrah. *Scultetus* 102
Ionas *Scultetus* 41. 157
Paulus *Sczerbitius* 519
VitusLudouicus a *Seckendorff* 55. 58. 89. 144
Guil. *Segar* 354
Thom. *Segetus* 419
S. *Seguezzius* 572
Ant. *Steinorus* 200
Ioh *Seldenus* 354. 362
Regius *Selenus* 122
Sellerus 298
Aluarus *Semedus* 588
Baſilius de *Serenis* 440
Ioh. *Serraeus* 194.221
Syluius *Serraglius* 434
Greg. *Seruantius* 462
Seruientius 158
Ferd. *Seruus* 575
Marcus Antonius *Seſtinus* 447. 450
Andr. *Steuelembergius* 282
Narciſſus *Seuelin* 86
Ioh. *Seuemnus* 423
Regnerus *Sextinus* 424
Ioh. *Seyfridus* 80
Franc. de *Seyne* 421
Coeleſtinus *Sfondratus* 213
Sheringham 298
Rob. *Sibbaldus* 363
Erdmuth *Sibylla* Pr.Brand. 27
Franc. a *Sickingen* 122
Auguſtinus *Siculus* 570
Algernonus *Sidneus* 342. 358
Ioh. *Siebmacherus* 29
Hofmannus *Sigfridus* 126
Curioſus *Sileſius* 174
Ioſias *Simlerus* 409.414
Rich. *Simon* 571
Tob. *Simon* 83
Steph. *Simonius* 496
Iodocus *Sincerus* 207
Theoph. *Sincerus* 553
Waremundus *Sincerus* 44
Gabr. *Sionita* 571
Victor *Siri* 15. 178
Petrus *Siringus* 115
Claud. Letouf Baro de *Sirot* 238
Ioh. *Skenaeus* 363
Thom. *Skynnerus* 317
Bened. *Skytte* 161
Ioh. *Skyttius* 557
Slauata 171
Ioh. *Slezerus* 363
Matth. *Sluterus* 49.88
Ioh. *Smith* 327
Thom. *Smith* 306.313.357.568. 572
Iac. *Sobieſcius* 522
Vladislaus *Sobolensky* 103
Ant. *Sola* 377
Iulius *Solymannus* 172
Caſp. *Sommerus* 174
W. *Somnerus* 302
Sam. *Sorbierius* 299
Ioſeph. Maria *Soreſinus* 422
Soſa 553
Guil. *Soſſius* 214
Eremita *Soulierius* 220
Ezech. *Spanhemius* 57
Frid. *Spanhemius* 76.358. 412

Ioh.

Ioh. *Speed* 298
Ioh. Iac. *Speidelius* 61
Henr. *Spelmannus* 355
Phil. Iac. *Spenerus* 28. 29. 42. 217
Carolus *Speronus* 475
Spindelius 396
Theoph. *Spizelius* 588
Otto *Sponekay* 506
Iac. *Sponius* 245. 414. 418. 562
Ioh. *Spotswoodus* 364
Thom. *Spraat* 399
Fortunatus *Sprecherus* 413
Ioh. Theod. *Sprengerus* 51. 515
Ioſua *Sprigge* 324
Iuſtus *Springerus* 115
Abbas *Squaldus* 427
Guil. *Staadens* 78
Sim. *Starouolſcius* 514. 520. 532
Creſcentius *Steiger* 110
Ioh. Caſp. *Steiner* 410
Ioh. *Steinmannus* 543
Tilemannus *Stella* 129
Hermannus *Stengefolius* 87
Car. *Stengelius* 86
Mich. *Stetlerus* 411
Ioh. *Stirnhoeck* 548
Stochouius 416. 562
Iac. *Stolterfotius* 137
Georg. *Storrius* 366
Ioh. *Stow* 303
Franc. *Strada* 449. 450
Octav. de *Strada* 75
Paulus *Stranskius* 171
Stratemannus 154
Ioh. *Strauchius* 54. 63
Ioh. *Strauſſius* 579
Petrus a *Streithagen* 142
Alexander *Stufa* 167
Ioh. *Stumpfius* 411
Franc. *Sturrus* 168
Ioſephus Maria *Suareſius* 248
Lucianus *Suauis* 215
Scripta de *Suecorum* irrupt. in Germ. priori 121
altera 149
& Brandenb. diſſidiis 143
Chriſtoph. *Suicerus* 583
Ioh. Henr. *Suicerus* 411
Sulpicius I. C. 45
Achatius de *Summa* 446
Ioh. Ant. *Summonte* 444
Ant. de *Suſa* Macedo 199. 201. 202
Wilh. *Swiek* 332
Rodericus Mendez *Sylua* 181. 197
Garzias de *Sylua* Figueroa 180. 578
Lamb. *Syluius* 309

T

Guido *Tachardus* 585
Petrus *Taffinus* 208. 410
Thom. *Tangerfeld* 327
Greg. de *Tapia* 196
Paulus Antonius de *Tarſia* 443. 447
Iac. de Saulx comte de *Tavannes* 240
Ioh. Bapt. *Tauernier* 562 572. 579. 581. 586
Andr. *Taurellus* 425. 427
Ioh. *Tautius* 91
Silas *Taylor* 302

Lud. Iacobus *Tebeſius* 537
Petrus *Techera* 578
Nic. del *Techo* 596
Guil. *Teellinck* 392
Emanuel *Tellez* 592
Guil. *Temple* 361. 366. 373. 385
Caſp. de *Tende* 515
Iac. Alexander *Tenneurius* 197. 291
Sam. *Tennulius* 405
Guil. Erneſtus *Tentzelius* 74
Terlonius 552
Ant. *Terminus* 441
Eduardus *Terry* 583
Tertrey 597
Teſſerellus 217
Hieronymus *Tetius* 423
Ioh. Wolffgangus *Textor* 56
Ioh. *Tiaſſenius* 379
Caſp. *Thaumaſius* de Thaumaſiere 216. 245
Theatrum Europaeum 18
Pacis 22
Ioh. Ioſeph. a S. *Thereſia* 595
Eman. *Theſaurus* 193. 194. 469. 472. 480. 490
Melchiſed. *Theuenotus* 561. 579. 584
Bonauentura *Theulus* 433
Valentinus *Thilo* 530
Philaleutherius *Thimaretus*
Dauid *Thomanus* 156
Arthuſius *Thomas* 575
Gabriel *Thomas* 599
Paulus *Thomas* 271
Iac. Philippus *Thomaſinus* 455
Chriſtianus *Thomaſius* 52
Iacobus *Thomaſius* 53
Theodorus *Thorlacius* 537
R. *Thoroton* 304
Cyriacus *Thraſimachus* 526
Iacobus Aug. *Thuanus* 13. 220
Chriſtoph. Adolph. *Thuldenus* 24
Henricus Günther *Thulemarius* 45. 57
Ant. *Thyſius* 386
Ioh. Petrus *Titius* 220
Titus 423
Fulgentius *Tomaſellus* 460
Iugurtha *Tomaſus* 473
Iul. Caeſar *Tonduzzus* 435
Gabriel *Tontolus* 447
Nic. *Toppius* 441
Emanuel *Tordeſiglia* 463
Garſyas de Gongora *Torreblanca* 184
Carolus *Torellus* 443
Franc. Caro de *Torres* 196
Franciſcus Maria *Torrigius* 442
Tortoletus 445
Matth. *Tortus* 459
Clemens *Toſius* 584
Abbas *Toſatus* 420
Tottus 421
Lucas *Touſſaintius* 245
Heiwodus *Townſendius* 315
Trebius 345
Hippolytus a *Treubach* 59
Innoc. Ehrenbergius a *Treitsberg* 128
Maximilianus *Trelingius* 397
Nic. *Trigaltius* 587. 590
Philippus a S. *Trinitate* 563
Ioh. Bapt. Eremita *Triſtanus* 220
Ioh. *Troeſterus* 426
Cornificius *Trollius* 542
Ioh. Dominicus de *Turre* 439
Raphaël de *Turris* 448
Horatius *Turſelinus* 434
Vincent. *Turturetus* 197
Camillus *Tutinus* 441
Brianus *Twinus* 304
Iacobus *Tyrell* 309

Petrus

V

Petrus du *Val* 31.417
Ioh. de *Valcaſſar* 193
Petrus *Valckenier* 20.385
Iacobus *Valdeſius* 196
Ioh. *Valdorius* 273
Valenzuela 462
Andreas *Valerius* 466
Marianus *Valgarnera* 449
Petrus de *Valle* 561.577.578.582
Theodorus *Valle* 433
Matth. *Vallis* 478
Petrus de *Vallongas* 269
Ioh. Weichardus *Valuaſor* 40
Ferd. de *Valuerda* 194
Vanelius 575
Mich. *Vanslebius* 571
Arius *Varella* 204
Bernh. *Varenius* 590
Balthaſar Moreno de *Vargas* 181
Barnabas Moreno de *Vargo* 184
Ant. *Varillaſius* 81
Antonius de *Vaſconcellis* 198
Ludouicus Mendez de *Vaſconcellos* 204
Simon de *Vaſconcellos* 595
Vaticinia tempore motuum Bohemicorum 106
belli Suecici 135
Franc. *Vauaſſor* 255.268.279
de la Motte le *Vayer* 179
Matth. *Vecchiezza* 435
Georg. *Vechnerus* 41
Lupus Felix de *Vegacarpio* 194
Emanuel *Veija* 593
Antonius Lazarus de *Velaſco* 195
Franc. *Velaſcus* a Goyea 202
Velius 376
Marcus *Velſerus* 454
Carolus de *Venaſie* 475
Balth. *Venator* 151
Theodorus *Verax* 319
Antonius *Verderius* 208.575
Blaſius *Verdus* 189
Ioh. Gonzalez *Verele* 194
Polydorus *Verimundus* 152
Vermeulius 584
Alex. *Verninus* 467
Nic. *Vernulaeus* 80.160
Remigius du *Verron* 253
Abbas de *Vertot* 201
Ioh. Bapt. *Verus* 456
Mich. *Vexionius* 547.548
Ferd. *Vghellus* 432
Bartholomaeus *Vgolinus* 459
Scripta de *Vicariatu* Imperii 141
Ioachimus *Vicqueſortius* 35.557
Andr. *Victorellus* 426
Petrus *Victorius* 76
Franc. *Vicus* 450
Lud. *Videlius* 235
Ioh. Solanus de *Vigueroa* Altamirano 184
Vignan 572
Vignauſius 573
Vilaltus 593
Iac. *Vilanius* 435
Franc. *Viliottus* 24
Marchio *Villa* 466
Franc. de *Villagraſſa* 186
Philpotus *Villare* 302
Villarealis 202
Villarſius 420
Ant. de *Ville* 228.456
Alb. *Vimina* 524.559
Clemens Libertinus S. *Vincente* 191
Liberius *Vincentius* 464
Petrus *Vincentius* 443
Mich. *Virdungus* 161.559
Nic. *Viſcherus* 31.40
Saluator *Vitalis* 450
Phil. Reinhardus *Vitriarius* 64
Ioh. Ludouicus *Viualdus* 291
Pomp. *Vizzanius* 435
Vlieonius 528
Ierem. *Vlitius* 585
Lud. de *Vlloa* 194
Ioh. Petrus a *Veelkeren* 512
Franc. *Voerſius* 469
Vinc. *Voiture* 289

Ioh. Bernh. *Vnefridus* 119
Andr. *Voſſius* 540
Iſaacus *Voſſius* 31. 590
Votlierius 232
Nic. *Vptonus* 355
Oliuarius *Vredius* 376
Sertorius *Vrſatus* 455
Nicolaus *Vryburg* 405
Ioh. Franc. Andreas de *Vſtaroz* 195
Ioh. *Vyterbogardus* 388

W

Ioh. van *Waesberge* 371
Lionellus *Waferus* 598
Ioh. Chriſtophorus *Wagenſeil* 35. 57. 59. 85
Heinr. *Wagnereccius* 131
Tobias *Wagnerus* 129. 134. 137
Wagnerus 410
Franc. *Wahremundus* 253
Clemens *Walkerus* 319. 321
Scripta de caede *Wallenſteinii* 127
Iac. *Wallius* 191. 398. 407
Ioh. Georg. *Waltzius* 43
EreturusGriephirus a *Warendorff* 317
Ioh. *Warnerus* 129. 136
Euerhardus *Waſſenbergius* 66. 87. 523
Otto Henricus Baro de *Wartenberg* 173
Sigismundus Fridericus *Wartmannus* 527
Eduardus *Watershouſe* 304
Ant. *Weck* 82
Ioh. *Weeuerus* 302
Paulus Matthias *Webnerus* 61
Ioh. Gulerus a *Weineck* 413
Ioh. Iac. *Weingartenius* 80. 173
Ant. *Weldonus* 312
der *Welt alter* 27
Georg. *Wendius* 175
Georg. *Wensky* 175
Ioh. Angelus *Werdenhagen* 39. 60
Abrah. *Weſel* 378
Scripta de pace *Weſtphalica* 20
Henr. *Wharton* 318
Georg. *Whelerus* 563
Bulſtrodus *Whitlocus* 316
Simon *Wildius* 122
Laur. *Wilhelmus* 82
Arturus *Wilſonus* 312
Ioh. Iuſtus *Winckelmannus* 25. 29. 43. 87
Pierius *Winſemius* 161. 553
Winſtanley 321
Petrus *Winſtrupius* 542
Ioh. *Wiſſius* 500
Frid. de *Witt* 30
Ioh. *Wittekindus* 550
Frid. *Wohlrath* 103
Vlricus *Wohlrath* 110
Ianus Laurentius *Wolfius* 540
Antonius *Wood* 304. 305
Thomas *Wood* 306
Henr. *Wottonus* 330. 357
Ioh. *Wright* 305
Ioh. Dauid *Wunderer* 99
Leonhardus *Wurfbainius* 29

X

Bartholomaeus *Ximenez* 184

Z

Iacobus *Zabarella* 455
Dominicus *Zanus* 190
Caſimirus *Zawacky* 524
Theodorus *Zawacky* 518. 519
Zazzera 419
Bernardus *Zechius* vid. *Franckenberg*
Martinus *Zeilerus* 39. 86. 169. 177. 207. 299. 417. 505. 537. 547
Ioh. *Zeſchelinus* 94
Philippus *Zeſius* 326. 373
Gonſaluus de *Zeſpedes* 190
Caſp. *Zieglerus* 335
Wilh. *Zinckgraefe* 169
Zoccolus 208
Stanislaus *Zolkieuius* 521. 523
Ioh. Caſp. *Zopfe* 83
Otto *Zylius* 407
Franc. *Zypeus* 377

SPECIAL 88-B 13821

THE GETTY CENTER
LIBRARY

WILLIAM SALLOCH
Pines Bridge Road
Ossining, N.Y. 10562